


MARTINI GERBERTI

(NVNC S. R. I. PRINCIPIS & ABBATIS CONGR. S. BLASII IN SILVA NIGRA)

ITER ALEMANNICVM,

ACCEDIT

ITALICVM ET GALLICVM.



Editio ſecunda, reuiſa, & correcta.

PERMISSV SVPERIORVM.

Typis San-Blaſianis, 1773.

INDEX
LOCORVM.

)(Linda-

ITER



ITER ALEMANNICUM.

Ecclesiae & reipublicae caussa e monasteriis atque abditissimis eremis egressos viros religiosos, remotissimas etiam regiones adiisse & peragrasse, exempla honestissima, piissimaque omnis aetatis demonstrant: quibus recensendis haud immorandum duxi. Quum igitur & ego animum adiicerem ad veterem *Alemanniae*, ceu primariae in *Germania* nostra prouinciae, quae CHRISTO nomen dederit, edendam *Liturgiam*, quam solam adhuc post vulgatas *Italiae*, *Galliae*, & *Hispaniae* liturgias desiderant catholicae *Europae* nationes; necesse omnino habui, istam obire prouinciam, & quae hinc inde latebant, huiusce *Liturgiae* monumenta eruerem, & Ecclesiae, patriaeque bono publici iuris facerem. Eo in itinere, quae alia etiam occurrerunt memorabilia, quum in aduersariis meis collegissem, auctores mihi fuerunt tum amici, tum illi etiam, quibus ad praestandam obedientiam voti religione obstringebar, vt publicam in lucem emittam. Quod

hic habes, lector! qualecumque illud demum, ex rerum, quae ſeſe obtulerunt, momentis penſandum.

Alemanniae limites medio aeuo in Heluetia.

Sexto *Iunii* anni MDCCLX. peractis ſolemnibus redemptionis ſanctificationisque noſtrae feſtis ex aſceterio noſtro *S. Blaſii* digreſſi, eodem *Gurtwilae* pernoctauimus. Locus hic prope vetus caſtrum *Guttenburg* ſitus eſt, haud procul a torrente *Wutach*, quem inter ac *Rhenum* GOLDASTVS a) pagum *Cleggowe* determinat. Aliis etiam torrens ille *Limes Alpegouiae* ſuperioris & *Cleggouiae* fuiſſe videtur.

Altero mane per oppidum *Thiengen* iter inſtituimus, veterem ſcilicet arcem comitum de *Sulz*, qui poſt comites *Habsburgicos Cleggouiae* domini erant. Inde per villam *Lauchingen* profecti, quae apud P. HERRGOTT b) in charta anni DCCCXLIV. *Louchiringa* dicitur, ſcapha *Rhenum* apud *Kaſelburg* in *Heluetiam* traiecimus.

Videri equidem poteramus contrarium ſcopo noſtro incedere viam ad peragrandam *Alemanniam*, quum iter verſus eam plagam, pagum nimirum *Argouiae*, direximus, quae ad veterem

a) Rer. *Aleman.* T. I. p. 252.
b) Geneal. Diplom. *Habsb.* T. II. n. 49.

terem *Burgundiam* pertinuit, *Trans-Iuranam* ſcilicet, ſeu minorem. Loquimur autem hic de nomine ac ſtatu *Alemanniae*, quando res chriſtiana medio aeuo in ea effloruit, ac *Alemannia* ſingularis adhuc *Germaniae* prouincia habebatur; non vero, prout hoc nomine apud *Gallos* tota *Germania* ſeu *Teutonia* venit. „Quidam totam *teutonicam* terram (inquit Otto „*Friſing.* a) apud Vrstisivm b) *Alemanniam* di„ctam putant, omnesque *Teutonicos Alemannos* „vocare ſolent: quum illa tantum prouincia, „id eſt, *Sueuia* a *Lemano* fluuio vocetur *Ale*„*mannia*, populique eam inhabitantes ſolum„modo vocentur *Alemanni.*" *Lemanus*, a quo Otto *Friſing.* hoc loco *Alemanniam* dictam vult, iuxta *AEneam* Sylvivm: c) „*Heluetiae* eſt „fluuius, quem *Limatum*, ſeu *Limagum*, *Lima*„*gam*, *Lindemagum*, *Limacum* dicimus, qui e „lacu *Turiceno* manans per ipſam *Turicenſium* „vrbem primo, deinceps vero *Zurichouiam* in„terluit." Nihil eos moramur, qui per *Lemanum* hic *lacum Turicenum* intelligunt, quum omnes, quotquot hinc *Alemanniae* nomen, etſi falſo, deriuant, *fluuium* illum eſſe teſtentur: veluti iam Sec. V. *Seruius* Honoratvs in notis ad *Georgica* Virgilii, & Sec. VII. Isido-

rvs

a) De geſtis Frid. I. Imp. L. I. cap. 8.
b) *Germ.* Hiſtoricor. illuſtr. pag. 412.
c) In deſcript. *Germ.* cap. 2.

RVS *Hispalensis lib. IX. Orig.* Hoc qui non attenderunt, nimis amplificarunt veteris *Alemanniae* limites.

Recte autem P. *Marquardus* HERRGOTT a) obseruat, certos *Burgundiae Trans-Iuranae*, vti & veteris *Alemanniae* fines ac terminos constituere, qui toti illi aeuo, quod medium dicimus, vniuersim congruant, ac instar regulae deseruire possint, rem factu esse non modo perdifficilem, sed pene impossibilem. Citat ibi instrumentum RVDOLPHI Viri nobilis de *Keyserstuhl*, *Wettingensi* monasterio datum VIII. Kal. *Dec.* MCCLV. quo eidem duo arua (vulgo *Hofstette*) vnum videlicet in ducatu vel districtu *Sueuiae*, *Mure* dictum, prope oppidum *Owe* ad ripam *Rheni*; alterum in prouincia *Burgundiae* in villa, quae dicitur *Glattefelt*, situm dono dedit. *Owe* enim oppidum, quod hodie *Eglisau* nominatur, teste etiam *AEgidio* TSCHUDY in epistola ad *Nicolaum* BRIEFFERUM, quae in MS. codice *San-Blasiano* habetur, ad *Cleggouiae* pagum ac ducatum *Sueuiae* veterisque *Alemanniae* attinebat: *Glattefelt* vero oppidum, quod in districtu *Burgundiae* esse scribitur, in pago *Turchgouiae* situm est. Ex quo quidem constat, *Burgundiam Trans-Iuranam* se non intra solos *Argouiae* terminos orien-

a) Proleg. VII. p. LIV. Geneal. diplom. Aug. Gent. *Habsburg.*

orientem versus continuisse, sed & partem pagi *Turicensis* attigisse, quin & ipsam vrbem *Turegum* regno *Burgundiae* adnumeratam fuisse. Otto *Frisingensis*, a) tamen, pacem Fridericvm, ducem *Sueuiae* inter, & Bertholdvm *Zaringensem* pactam commemorans, eius hanc fuisse conditionem narrat, „vt Bertholdvs ducatum „exfestucaret, sic tamen, quod *Turegum*, no„bilissimum *Sueuiae* oppidum, a manu impera„toris ei tenendum remaneret.“ Iam Lvdovicvs *Germanicus* in *diplom.* an. DCCCLX. vt ex Hartmanno b) constat, curtim *Turegum* in ducatu *Alemanniae* collocat, facta nimirum tunc regni *Francici* diuisione, vti deinceps obtinuit: cui successu temporum etiam *Burgundia* accessit, sese orientem versus in *Heluetiam* protendens. Quin tamen dici possit, quod Cocceivs in *Iurispubl. prudent.* c) contendit, vti *Sabaudiam*, ita & *Heluetiam* vsque ad pacem *Osnabrugensem*, non alio, quam regni *Burgundici* iure *Germaniae* membrum extitisse; est enim distinctio attendenda *Alemanniae Trans-Rhenanae* a *Burgundia Trans-Iurana.* Ostendit quidem in *Genealogia diplomatica* P. Herrgott, quod, etsi *Burgundiae Trans-Iuranae* prouincia, extinctis *Burgundionum* regibus, *Germaniae* denuo ac-

a) De gestis Frid. L. I. c. 8.
b) Annal. *Einsidl.* p. 15.
c) Cap. V. Sect. II. n. 26.

acceſſerit, eius tamen proceres *Alemanniae* ducibus ſubiecti haud fuerint: id quod ex diplomatibus & chartis obſeruat, dum illa monumenta, quae in *Alemanniae* ducatu condita ſunt, *Alemanniae* ducis paſſim meminerunt; quae vero in *Burgundia* exarata, vix vllam de duce iſtius prouinciae mentionem faciunt. Sed non tacet *Trans-Rhenanam Alemanniae* in *Heluetia* partem. „ Etenim (verba HERRGOTTI noſtri recito) vbi „ a *Rom.* regibus ac imperatoribus coenobiis „ illis, quae in pagis ducatui *Alemanniae* ſubie- „ ctis ſita erant, diplomata, tuitiones ac pan- „ chartae concedebantur, id plerumque inter- „ uentu ducis *Alemanniae* factum memoratur, vt „ nemo non obſeruat in diplomatibus, quae „ abbatiis *San-Gallenſi, Einſidlenſi, Rhinaugienſi*, a- „ liisque per *Alemanniam* conceſſa ſunt. Pagen- „ ſes quoque chartae, quibus fundi iacentes in „ pagis *Turgowe*, *Brisgowe*, vel *Rhaetia* eccle- „ ſiis tradebantur, in fine praeter comitem pagi, „ mentionem quoque ducis *Alemanniae* frequen- „ ter ingerunt." Pluribus hoc monumentis declarat, nec alia de cauſſa id factitatum exiſtimat, quam quod pagi illi priores, & quae complectebantur monaſteria, iurisdictioni ducis *Alemanniae* obnoxia erant: pagi vero *Burgundiae* placitis illius ducis non obtemperabant. „ Non „ nos moueat (pergit) quod in charta traditio- „ nis bonorum in *Zurachgouve* anni CMLXXV.

„ 26.

„26. *Decemb.* Otto dux *Alemanniae*, & Ma-
„nagoldvs comes ad calcem chartae legantur;
„pagum vero *Zurechgouve* ſecundum chartam
„anni MCXXV. 28. *Decemb.* ad *Burgundiam*
„ſpectaſſe conſtet. Nam hoc poſterius ſumen-
„dum eſt ſolummodo de parte *Zurchgouiae.* Ta-
„ceo, quod inter diem promulgati inſtrumen-
„ti an. CMLXXV. illudque aliud an. MCXXV.
„ſeſqui ſeculum intercurrat, quo temporis in-
„teruallo fines prouinciae vtique dilatari pote-
„rant." Equidem in fixis regionum terminis non attenduntur eiusmodi regiminis reuolutiones: nihilominus tamen ab eo ſaltem tempore, quo pulſis *Romanis Franci* cum *Alemannia* etiam *Heluetiam* occuparunt, licet inter fratres Lotharivm, Lvdovicvm *Germanicum*, & Carolvm *Caluum*, apud *Viridonum* anno DCCCXLIII. regni diuiſio facta ſit, haec *Burgundiae* pars a temporibus pacti *Virodunenſis* ſemper ſtetit ſub tutela & imperio regum ac imperatorum *Germanicorum*, vt a Conringio, Schvrzfleischio, & Mascovio, quos citat P. Herrgott, ſatis ſuperque demonſtratum habemus. Idem poſtea refert monumentum datum an. aerae Chriſt. DCCCLXVII. 17. *Aug.* id eſt XXI. annis ante erectionem regni *Burgundiae Trans-Iuranae*, quo Lvdovicvs rex orientalis *Franciae*, ob interuentum Odolrici comitis, & Hiltiboldi miſſi regii, quibusdam

minibus de *Argengewe* diploma conceſſit, per quod illis elargitus eſt plenam legem, quae vulgo dicitur Baath, *ſicut caeteri Alemanni habent.* Ex quo liquet, vt concludit Herrgottvs, pagum *Argouiae* ante iacta memorati regni fundamenta ad *Alemanniam* ſpectaſſe, legibusque ac priuilegiis *Alemannorum* gauiſos eſſe illius pagi incolas. Rem adhuc firmius probat Tom. III. P. I. *Monumentorum Auguſtae Domus Auſtriacae*, a) imprimis ex Ottone de *S. Blaſio*, qui inter alias Adalberti, ſeu Alberti III. cognomento *diuitis*, proaui Rvdolfi I. in *Alemannia* ditiones, etiam comitatum *Lenzburgicum* in *Argouia* ſitum recenſet, aliaque monumenta affert medii aeui, in quibus illae partes *Sueuiae* ſeu *Alemanniae* accenſentur. Quin imo ex *Ioanne* Vitodvrano *Bernam* vrbem vſque fines *Alemanniae* protendit, prout haec a *Gallia* diſterminatur.

Nobis vero eouſque exſpatiandum non eſt, qui fines *Alemanniae* legimus, prout medio aeuo *Burgundiam Trans-Iuranam* terminum habuit. Refert laudatus Herrgottvs monumentum Lvpoldi, ducis *Auſtriae*, anno MCCCLXXV. quo *Argouia* a *Sueuia* ſeculo adhuc XIV. vergente diſtincta fuiſſe demonſtratur; quamquam tunc abſorptum adhuc fuerit *Heluetiae* nomen,

con-

a) Proleg. III. fol. LVIII.

coniuncto *Cis-* & *Trans-Iurano Alemanniae* dominio vnacum *Burgundico Trans-Iurano*, sola subsistente inter pagos seu comitatus nominis distinctione.

Limagus fluuius *Argouiam* a *Turgouia* seiungit, quae *Rheno* propius iuncta constanter *Alemanniae* accensetur, veluti etiam *Zurigouia*, atque adeo comitatus *Badensis* ex sententia GOLDASTI, BEBELII, GASSERI, STVMPFII & aliorum; ex antiquioribus etiam *Walafridi* STRABONIS de termino *Alemanniae*, quae *Burgundiae* fuit confinis. Errat vero idem WALAFRIDVS cum aliis tam antiquis EKKEHARDO, HEPPIDANNO & NOTKERO, quam recentioribus nonnullis *Ararim* cum *Arola* confundens, prout etiam nuperrime abbas CALMET in itinere suo per *Heluetiam*, cuius partem alluit *Arola*, secumque in *Rhenum* defert *Limacum* fluvium limitem *Argouiae*, quae *Burgundiae*, *Turgouia* vero *Alemanniae* medio aeuo accensita fuit cum parte saltem *Zurigouiae*: licet antea *Romanis* paruerint pagi hi, atque ad *Heluetiam* pertinuerint cum parte *Rhaetiae*, cui ad meridiem coniungitur *Alemannia*, sicut ad occidentem *Burgundiae*, ad septentrionem *Thuringiae* & *Franciae*, ad orientem *Boiariae*. Ita fere iam medio sec. VI. IORNANDES: a) „Regio illa (inquit)

a) De rebus Geticis. c. 55.

„ quit) *Sueuorum* ab oriente *Baioboros* habet, „ ab occidente *Francos*, a meridie *Burgundio-* „ *nes*, a ſeptentrione *Thuringos.*"

Patet hinc, quum iter meum *Alemannicum* praecipue inſtituerem ad facienda collectanea pro *Liturgia Alemannica* ex monumentis medii aeui, non potuiſſe me praeciſe continere intra fines *Alemanniae*, prout hodie *Sueuiam*, aut olim ſub *Romana* republica (*Burgundis* a VALENTINIANO I. inuitatis, vt communibus armis creſcentem *Alemannorum* potentiam infringerent) *Rhenum* terminum habet: ſed prout medio aeuo vltra *Rhenum* ſeſe protendebat in haud exiguam *Heluetiae* partem.

Interim, dum haec ſcripſi, incidi in *Alſatiam* Clar. *Dan.* SCHOEPFLINI, opus omnigena eruditione refertum, & quod prius ſuſpicabar, reperiſſe me vehementer ſum gauiſus. Teſtatur HIERONYMVS in *Chron. Burgundiones* partem *Galliae Rheno* propinquantem tenuiſſe; quod *Tiro* PROSPER iisdem verbis aſſerit, & CASSIODORVS eos partem *Galliae Rheno* coniunctam tenuiſſe ſcribit. Receptam de *Alemannis* & *Burgundionibus Heluеticis* opinionem ſequutus primo SCHOEPFLINUS, vbi de *Rauracis* egit, HIERONYMI, PROSPERI ac CASSIODORI loca ad illam hypotheſin explicauit. Poſtea vero, a) re pro-

a) *Alſat.* illuſtr. T. I. p. 262.

profundius examinata, mutauit ſententiam, atque *Burgundionibus*, rem ipſius verbis expono, non modo *Cis-Vrſanam*, quae & *Burgundia Trans-Iurana* vocatur, quamque *Burgundionibus* nemo abiudicat, ſed & *Trans-Vrſanam*, quae hactenus conſtanter fuit *Alemannis* adſcripta, vindicauit ſeculo ſaltem adhuc quinto, ita vt ſeculi VI. temporibus (quibus *Alemannia* atque *Burgundia Francis* paruerunt) *Heluetiae* pars illa, quae inter *Rhenum* & *Vrſam Alemanniae* contigua eſt, ad *Alemannicum* ducatum fuerit relata, altera parte inter *Vrſam* & *Iuram* montem *Burgundiae* accenſita. Qua in hypotheſi genuinus atque natiuus HIERONYMI, PROSPERI & CASSIODORI verborum ſenſus ſeruatur, qui *Burgundiones* partem *Galliae Rheno* propinquam & coniunctam tenuiſſe ſcribunt. Contraria certe argumenta, quae VALESIVS protulit, atque totam *Heluetiam* iam ſeculo V. *Alemanniae* adſcripſit, de ſtatu *Alemanniae* medio demum aevo loquuntur; de quo nullum relinquitur dubium. Ego vero antiqua medii huius potiſſimum aeui monumenta inueſtigaturus neceſſarium duxi, traiecto *Rheno* hanc veteris *Alemanniae* percurrere partem.

Zurzach.

Ad litus *Rheni* primum ſe nobis vicus *Zurzach* obtulit, quem a CERTO ex familia *Vol-*

Voltiniana veterano milite, vt vetus inſcriptio lapidis ſepulchralis muro eccleſiae collegialis inſerti docet, *Certiacum*, inde *Zerzach*, *Zurzach* dictum volunt. Nos ſaltem inſcriptionem illam, prout integra apud MVRATORIVM a) legitur, adponimus.

M. IVNIO. M. F. VOLT. CERTO.
DOMO. VIEN. VETERAN.
MIL. LEG. XIII. GEMINAE.
CERTVS. ET. AMINANTHVS.
PII. HAEREDES. FECER.

Alii malunt a *Celtico* deriuare, veluti etiam ſunt qui *Zurich* a *Zur ach*, ceu rupes ad aquas (quomodo a multis notatum, *Tyrum* a צור *Zor*, *rupes*, nomen habere) ſeu hic lingua *Celtica* vel *Germanica* vrbem aquae adhaerentem haud leuiter coniectant. P. *Ruſteno* HEER, ſodali meo, haud procul inde *Clingnouii* nato, in mentem venit, nomen obueniſſe ex *Surb* & *Ach*, mutata priori litera in *Z*; quod ſaltem exemplis non caret. *Surb* torrens eſt, mediam fere *Zurichouiam* ſecans, & in villa *Detingen* ſupra *Clingnouium* in *Arolam* ſe praecipitans, a quo non modo *Zurzachium*, ſed & ipſum pagum *Zurichgau* nomen accepiſſe ſuſpicatur: ſicut ab amne ſeu riuo *Thur* *Thurgouia*, ab *Arola* *Argouia* ſeu *Er-*

a) Tom. IV. Inſcript. in append. poſt praefat. p. 6. n. 9.

Ergouia, multique *Germaniae* pagi, quorum nomina ab vrbibus & villis deducere ſolent eruditi, ab amnibus & riuis denominandi videntur. *Zurzachium* etiam *ad aquas duras* vocatum GUILLIMANNUS a) ex antiquo martyrologio probat, vbi S. VERENA V. & M. apud *aquas duras* depoſita memoratur: cuius honori olim monachi S. BENEDICTI, nunc Canonicorum inſigne collegium inſeruit.

Certiacum vero a milite veterano, qui ibi diem obierit, aut vrbem murosque reſtituerit, dictum friuolum putant. a) Niſi familiae forte ratio habenda ſit, de qua incertum tamen eſt, patricia fuerit vel plebeia; celebratur nihilominus veterum teſtimoniis ac nummis. Munitionem autem ac milites hic loci fuiſſe alii ſuperſtites

a) De Rep. *Helvet.* lib. I. cap. IV.

b) Illuſtr. *Loyſius* de BOCHAT *Memoires critiques ſur l'hiſtoire ancienne de la Suiſſe*, *Tom. II. Mem. V. pag.* 381. hanc appellationis formationem a milite veterano CERTO iure merito explodit, dicens: „ Ce ſeroit donner aux villes un grand-nombre des fondateurs ou „ des reſtaurateurs, que de décerner ce titre à tous „ les perſonnages dont on trouvera le nom ſur quel„ que Inſcription déterrée dans l'endroit même. Il y „ a bien peu d'apparence, qu'un ſimple Veteran, ſans „ autre titre ni emploi, eût fait les frais du rétab„ liſſement, quel qu'il fût, d'un Bourg detruit. Ce„ pendant on n'a pas balancé à donner en Latin à „ *Zurzacb* le nom de ce Soldat." Accedit, quod haec appellatio *Certiaci* neque in antiquis monumentis aut chartis medii aeui vſquam occurrat.

perſtites lapides duo indicant, ambo militum legionis XI. STVMPFIVS in chronico vrbem hic ſitam, tempore DIOCLETIANI ab *Alemannis* dirutam, a CERTO reſtitutam eſſe coniicit, veluti ab *Aurelio* PROCVLO muri *Vitodurenſes* in antiquo lapide reſtaurati leguntur. Cernuntur adhuc rudera duorum pontium ad ripam *Rheni*, nuperque inſtrumentum ferreum oblongum inferius cuſpidatum effoſſum eſt, illis haud abſimile, quorum etiamnum vſus eſt ad fundamenta pontium firmanda. At veriſimilius eſt, illa ex poſteriore aetate eſſe, qua imperio *Romano* corruente, *Francis*, ac poſtea auguſtae genti *Habsburgicae* vtraque *Rheni* ripa patuit, paruitque. STVMPFIVS vetus caſtrum adhuc *Romani* operis eſſe vult, iisque accedit, qui *forum Tiberii* hic fuiſſe putant pro militibus, quos is ac DRVSVS contra *Rhaetos* & *Vindelicos* viuente adhuc AVGVSTO vitrico duxerit, hic autem locorum commeatus pro quotidiano nummo venumierit, atque hinc etiam taxillos eſſe volunt, qui nòn raro hic effodiuntur. *Forum Tiberii* TACITVS a) memorat, quod PTOLEMAEVS ponit in tertia *Europae* tabula; locus autem tam diuerſe aſſignatus difficulter in indiuiduo definiri poteſt. „Plerique exiſtimant (ait *Ioſias* „SIMLERVS, b) hoc eſſe *forum Tiberii*, cuius „PTO-

a) Lib. IV. Hiſt. c. 61. & 70.
b) De *Helvetiorum* Rep. lib. II.

„Ptolemaevs meminit, & ideo nundinas has „antiquiſſimas eſſe, & ab ipſo Tiberio inſtitu- „tas.“ Vulgo quidem haec appellatio ad oppidum *Keyſerſtuhl* referri ſolet; ſed non ſine manifeſto errore. Glareanvs primum germanicam hanc appellationem *Keyſerſtuhl* latine reddidit per *ſolium*, *tribunal*, *praetorium Caeſaris*, quum ante Glareanvm non ſub alio, quam teutonico nomine vſquam in antiquis diplomatibus occurrat. Eſt autem error inde natus, quod *forum* de loco iudicii, ſeu tribunali acceperint; quum tamen illud vocabulum de foro rerum venalium ſit accipiendum, vt id pluribus docuit Illuſtr. Maffeivs a) quod vnice in *Zurzachium* conuenit. *Conſtantienſes* ad lacum *Acronianum*, ſuas has nundinas eſſe contendunt, aliquando bona fortuna reſtituendas, vtpote ad tempus tantum huc translatas. Vernacula lingua dici ſolent *Meſſe*, a *Miſſa* haud dubie in feſto S. Verenae, prout & aliae nundinae ab eiusmodi *Miſſis* ſive *feſtis Meſſe* nuncupari ſolent. Aguntur nunc bis per annum, nec vnius diei tantum ſunt, vt Stvmpfivs, Simlervs, & Calmetvs volunt inde, quod principalior vna ſit dies feria II. poſt *Pentecoſten*, & prima *Septembris* S. Verenae tutelari ſacra. Vulgaris eſt traditio, ſanctam hanc virginem iam ineunte ſeculo tertio hic ſacerdotem ſacris operam dantem offendiſſe,

a) *Veron.* illuſtrata, lib. IV. p. 141.

ſendiſſe, quum antea prope *Solodorum* deprehenſa coram praefecto palam confeſſionem chriſtianae fidei feciſſet. Atque hinc vt martyr colitur, licet ob beneficium ſanitatis praefecto collatum dimiſſa, *Zurzachii* demum placide obdormierit in cella, qua ſeſe concluſerat, ibique ſepulta: vbi poſtea miraculis inclareſcentibus eccleſia exſtructa eſt, hodieque locus hic ſepulchri concurſu populorum deuotionis cauſſa inuiſitur. Cuncta tamen, quae de S. VERENA dicuntur, prorſus incerta atque perplexa videntur *Bollandianis* Scriptoribus ad diem 1. *Septembris.*

Vindoniſſa.

NOS *Zurzachii* celebrato ſacro, quum nihil amplius ex ſupellectili litteraria veteri reperiremus, diſceſſimus, locum adituri celeberrimae olim vrbis *Vindoniſſae*, quae ſe a *Kiſnac* vltra ſpatium *Leucae* protendiſſe dicitur, in confluentia fluviorum *Ruſae*, ſeu *Vrſae*, & *Arolae*, cui ſeſe mox *Limacus* inſinuat: quem transfretantibus nobis, primo occurrit *Gabinii villa*, vulgo *Gebisdorff*, quam a GABINIO, tempore *Romanorum*, quum adhuc *Vindoniſſa* floreret, exſtructam tradunt. Fuit iſtic veriſimiliter buſtum: quippe multae vrnae ſepulchrales effodiuntur, ex quibus vna eſt cum epitaphio, illaque in bibliothecam *Zofingenſem* repoſita,

hoc

hoc aedium parochialium muro inditum eſt. Oſtendit mihi paſtor illius loci gemmas figuratas, hic locorum nuper erutas, prouti non raro contingit, vt nummi & alia vetera monumenta effodiantur; deduxit me etiam ad duas inſcriptiones *Romanas*, quarum vna in aedibus ſuis, altera in eccleſiae pariete conſpicua legionem XI. & XXI. indicant: quum teſte Tacito a) *Romani* contra *Alemannos* pugnantes hiberna ad *Vindoniſſam* habuerint. Lapis litteratus ad aedem ſacram *zu Gebisdorff*, qui locus in antiquis etiam diplomatibus *Gabinii vicus* dicitur, hodie adhuc viſitur. Referunt eum Gvillimannvs in *Habsburg.* exque eo Plantinvs: optime tamen Grvtervs in *Theſ. Inſcript. pag. DLI.* 10. quem Stvckio acceptum refert. Is ita habet:

M. MAGIVS. M. F. POB. MAC.
CAIVS. VERONA. MIL. LEG. XI. G. P. F.
MARCI. MODESTI. ANNO. XXXIII.
EX. TESTAMENTO. H. F. C
L. ENNIVS. SECVNDVS.
Q. ROMANVS. VERECVNDVS.
H. S. E.

Exſtat inſcriptio iſta hodie adhuc, ſed litterarum ductibus a male feriato quodam atque cer-

rito

a) Lib. XX. Annal.

rito homuncione misere deturpatis & corruptis, atro insuper liquore inductis. Ea vero hodierna eius facies est:

M. MALIVS. MI. OB. MAL.
C. AVS. VERONA. MIL. LEG. XI. C. P. F.
MARCI. &c. reliqua conueniunt.

Dignum vero notatu est, quod BREITINGERVS ex DIONE inuicte demonstratum iuit; legionem XI. ad SEVERI vsque tempora *Geminae* epithetho insignitam non fuisse, sed *Claudiam* nuncupatam: adeoque in omnibus illis inscriptionibus, in quas G per errorem irrepserit, C esse restituendum. Lapis litteratus inter arcis *Altenburgi* prope *Vindonissam* reliquias cernitur ita inscriptus:

L. VECNATIO.
POL. MAXIMO. DO.
FOR. COR. MIL. LEG.
XI. C. P. F. CVSORIVS.
ANN. XLVIII. STIP. XX.
H. S. E.
G. ROSCIVS. OMPHA.
LVS. HER. FAC. CVR.

Hunc vero titulum TSCHVDIVS in opere MS. *Antiqq. Helvet. pag.* 106. hunc in modum exponit: *Lucio Vecnatio e Pollia tribu, Maximo, Domo, Foro Cornelii, Militi Legionis XI.*

Ge-

Geminae. Piae. Fidelis. Guſonio (ita enim legit) *annorum XLVIII. ſtipendiorum* XX. *Hoc ſignum erectum. Gaius. Roſcius. Omphalus. Heres. faciundum. curauit.* Illuſtr. *Loyſius* de BOCHAT legit : *Guſorius Hic Situs Eſt.* Sed perperam, contra omnem ſtili epigraphici ſyntaxin & analogiam : quae ita reſtituenda videtur: MIL*iti*. LEG*ionis*. XI. C*laudiae*. P*iae*. F*idelis*.

ANNOR*um* XLVIII. STIP*endiorum*. XX.
C. VSORIVS. H*oc*. S*ignum*. E*rexit*.
C. ROSCIVS. OMPHALVS. HER*es*.
FAC*iundum*. CVR*auit*.

Eſt & alius titulus ſepulchralis *Vindoniſſae* repertus , qui ita habet :

L. TITENNIVS. L. F.
LEMONIA. VIC.
TROINVS. BON.
MIL. LEG. XI. C. P. F.
VALERIANA.
ANNOR. XXV.
STIPENDIOR. LVI.
H. T. F. C.

In muro aedium paſtoris *Gabiniovicenſis* inſcriptio conſpicitur :

- - M. CLAVDIO. HMNO. *hymno.*
MEDICO. LEG*ionis* XXI.
CLAVDIAE. QVIETAE. EIVS.
ATTICVS. PATRONVS.

Ex Tacito a) haec habemus: „Atque interim „vna & vicesima legio *Vindonissa*; *Sextilius* „Felix cum auxiliariis cohortibus per *Rhae*-„*tiam* irrupere.

Nauigio *Vrsam*, seu *Rusam* transeuntibus occurrit in littore hospitium, cum paucis aedibus rusticorum paullulum per decliuum montis ascendentibus, quae retinuerunt nomen *Vindonissae*, nostra dialecto *Windisch*: quae etsi ab *Alemannis* tempore imperii *Romani* diruta, adhuc tamen christiano etiam nomine, sedeque episcopali claruit. Ecclesiam parochialem, cuius muro ex Gentilismi ruderibus *Mercurii* statua, nec non *Castoris* & *Pollucis* inhaeret, ab Vrsino *Constantiensi* episcopo, Maximi successore, & Dietbaldo opera Linculfi exstructam esse, lapis exteriori parti parietis infixus prodit:

I N O N O R E S C I
M A R T I N I E C P I
V R S I N O S E B
E S C V B V S I T D E
T I B A L D V S· † L I N
C V L F V S F I C I T.

Id

a) Lib. IV. Hist. 70. Tom. III. edit. *Venet*. a. 1708. pag. 762.

Id eſt: *In honore Sancti Martini Epiſcopi Vrſinus Epiſcopus & Detibaldus* conſtruxerunt, *Linculphus* fecit.

Vindoniſſam regno *Burgundiae* iam ineunte Sec. VI. accenſitam fuiſſe palam eſt ex ſubſcriptione BUBULCI epiſcopi in Syn. *Epoanenſi* his verbis: a) *Bubulcus in Chriſti nomine epiſcopus ciuitatis Vindoniſſae relegi & ſubſcripſi die & conſule ſupraſcripto*: id eſt, die 17. Kal. menſis octaui AGAPITO viro clariſſimo conſule. Quod claret ex ſubſcriptione AVITI *Viennenſis*, qui concilio praefuit, habeturque eius epiſtola tractoria generalis ad epiſcopos prouinciae *Viennenſis*, vt ad ſynodum veniant. Quamuis autem *Vindoniſſa* ad prouinciam *Sequanorum*, cuius metropolis eſt *Veſontium*, pertinuerit, veluti etiam in libello prouinciarum *Gallicarum* caſtri *Vindoniſſae* mentio in prouincia maxima *Sequanorum* fit; SIGISMVNDI tamen *Burgundionum* tunc regis eouſque ſe protendebat regnum. Hic erat GVNDEBALDI filius, qui, quum opera S. AVITI epiſcopi *Viennenſis* ex *Ariana* perfidia ad catholicam religionem acceſſiſſet, nihil antiquius habuit, quam vt ditionem ſibi ſubiectam ab *Arianorum* haereſi repurgaret, collapſamque eccleſiaſticam diſciplinam reſtitueret. Quum vero primum circa an. 516. patri

B 3 in

a) T. IV. Conc. ed. *Labb.* f. 1582.

in regno ſucceſſerit, non potuit circa an. 509. celebrari concilium *Epaonenſe*, vt viſum eſt CALMETO in itinere *Heluet.* congruitque annus 517. cum conſulatu AGAPITI. Capto poſtea SIGISMVNDO, atque *Aureliae* in puteo cum vxore & liberis ſuffocato a CLODOMIRO, qui CLODOVAEO M. patri in regno *Aurelian.* ſucceſſit, atque etiam *Burgundicum* occupauit; patet, cur conciliis *Aurelianenſibus* IV. & V. ſubſcripſerit GRAMMATIVS epiſcopus *Vindonienſis* ſeu *Vindonenſis*, vt ſe ipſum nominat. a) *Grammatius epiſcopus ciuitatis Vindonenſis conſenſi & ſubſcripſi.* Item: b) *In Chriſti nomine Grammatius epiſcopus eccleſiae Vindonenſis ſubſcripſi* Concilii prioris tempus notatum indictione IV. BASILIO conſule congruit anno 541. ante autumnum, quum quarta indictio finem habitura eſſet menſe *Septembri*, & quintae futurum initium. In poſteriori primus, qui ſubſcripſit, epiſcopus *Lugdunenſis* notauit ſub die V. Kal. *Nouemb.* anno XXXVIII. regni domni noſtri CHILDEBERTI regis, indictione XIII. quod congruit an. DXLIX.

Medio ſeculo ſexto vergente a CHILDEBERTO II. poſtquam caſtrum *Vindoniſſenſe* euerſum eſſet, ſedes epiſcopalis *Conſtantiam* eſt translata, vt tamen in illius memoriam tribunal eccleſiaſticum *Vindoniſſae* ſit conſeruatum, vt diſcimus

a) T. V. Conc. c. 388. b) Cap. 398.

ſcimus ex ſcriptore actorum *Murenſium* apud P. HERRGOTT: a) „Populus autem iſte vadit „ad condictum epiſcopi, quo & caeteri eius „conuicanei vadunt, ſcilicet ad *Windeſch*, ibi-„que eccleſiaſticum ius audiat, & iudicium „ſuſtinebit, ſicut conſtitutum eſt omni ſan-„ctae eccleſiae." In diplomate FRIDERICI I. *Rom.* regis NOTGERVS decanus de *Vindoniſſa* ſubſcripſit; at in altero monumento ad annum MCCXXXII. tantum PLEBANVS de *Vindiſco* memoratur apud eundem P. HERRGOTT. b) Hic etiam in *Prolegom. IV.* cum GVILLIMANNO congreditur, quod, quum in origines Auguſtae familiae *Habsburgicae* curioſius inquireret, a *Vindoniſſenſibus Romanorum* praefectis *Habsburgenſes* nomen, dignitatem, ipſumque adeo comitatum adeptos adſerat. *Vindoniſſam*, quae & *Altenburgum* poſtea vocata ſit, *Romanorum* antiquitatibus percelebrem primo a legatis, mox a tribunis, poſtremo a comitibus adminiſtratam dicit GVILLIMANNVS; vnde infert, comitatum *Vindoniſſenſem* atque *Altenburgenſem* exſtitiſſe: quumque caſtrum *Habsburg*, poſteriore aeuo exaedificatum, vicinum proximumque ſit *Vindoniſſenſi* caſtro, *Habsburgenſes* ante ortum caſtri huius nominis *Vindoniſſenſes* & *Altenbur-*

B 4 *gicos*

a) Geneal. diplom. T. I. pag. 323.
b) T. II. n. CCXCV.

gicos promiſcue adpellat. In alia omnia it HERRGOTTVS noſter. Negat itaque, *Habsburgenſium* maiores vnquam *Vindoniſſae* comites adpellatos. „Quin (ait) incertum eſt, nullaque ſolida ratione hactenus probatum, *Vindoniſſenſem* comitatum in orbe terrarum vnquam „exſtitiſſe. Tempore enim *Romanorum* legio„nis praefectos, quae *Vindoniſſae* erat, comi„tes iam eſſe dictos, mera coniectura eſt. Sub „regno deinde *Francorum* in chartis & diplo„matibus comitum *Vindoniſſenſium* memoria „nulla. Nullus *Germanorum* imperatorum de „comitatu *Vindoniſſenſi* vel verbo quidem me„minit &c.„ Equidem nemo dixerit, nec ipſe admittit GVILLIMANNVS, fuiſſe a principio perpetuas illas adminiſtrationes comitum, & in ſtirpem, ſeu haereditarias. Id poſtea demum inſtaurato imperio *Francico* & *Germanico* paullatim ingruit, atque adhuc recentior vſus eſt, vt a caſtris comites nomen aſſumerent a Sec. XII. circiter vel XIII. vt obſeruat P. HERRGOTT, fundatoremque caſtri *Habsburg* ex litteris fundationis monaſterii *Murenſis* anno MXXVII. datis ex ipſo auctore palam facit WERNHERVM *Strasburgenſem* epiſcopum: *Qualiter ego Wernherus Strasburgenſis epiſcopus, & caſtri, quod dicitur Habesbur, fundator &c.*

Nomen *Habsburg* varie in antiquis monumentis ſcriptum inuenitur, *Habesbur*, *Habesburc*,

burc, *Habechesburc*, variaque varii etyma huius nominis excogitarunt, quae ſingulari capite *VI. lib. I. de Genealogia diplom.* recenſentur, vbi natiua praeterea primigenii huius caſtri *Habsburgici* delineatio, vt quatuor mundi plagas ſpectat, atque in praeſens in *Argouia* exſtat, totidem tabulis aeri curate inciſa lectoris oculis exhibetur. Eſt & aliud huius nominis caſtrum ad lacum *Lucernenſem* altero recentius. Quin alia etiam finguntur in *Brisgoia*, ac *Lotharingia*. Sed primigenium eſt in *Argouia*, nunc ſemidirutum in monte, ad quem arduus vndique eſt acceſſus, vnius horae ſpatio diſtans ab oppido *Brugg*, quod perſpicuum nomen habet in noſtra vernacula a ponte, quem inde a *Romanis* temporibus fuiſſe tradunt, vti etiam turrim ad vrbis ingreſſum, portam antiquae *Vindoniſſae*. In huius vrbis ſitu medio inter *Arolam* & *Ruſam* eleuatiore loco monaſterium *Königsfeld*, lat. *Campus regius*, eſt excitatum ab ELISABETHA, ALBERTI ducis *Auſtriae* & regis *Romanorum* vxore, quae primum ad monaſterium iſtud lapidem poſuiſſe dicitur, atque altare ſummum eccleſiae eo in loco poni curaſſe, vbi ALBERTVS ex equo delapſus animam exhalauit, lethali a IOANNE nepote accepto vulnere an. 1308. Propoſuerat ſibi imperatrix vnacum filia AGNETE vitam eo in monaſterio ponere, ſed quum praeuenta diem *Viennae* an. 1313.

B 5 obiiſſet,

obiisset, post tres annos illuc ad sepulturam translata est. Vbi AGNES deinceps vixit, cuius adhuc illuc aduentantibus domicilium minime superbum ostendunt; ibidemque an. 1364. sepulturam accepit, veluti etiam plures vtriusque sexus personae Augustae *Habsburgicae* domus, atque inter alios dux LEOPOLDVS post infaustam cladem in *Sempach* an. 1386. in crypta sepultus, quae media in ecclesia sita est; cuius hic breuem descriptionem ex *Monum. Austr. Tom. IV. P. I. cap. VI.* damus. Anno 1739. aperta est pro opere monumentorum *Austriacorum*, quod pluribus tomis post *Genealogiam Diplomaticam* edidit noster P. *Marq.* HERRGOTT, socio P. *Rusteno* HEER. Vtroque fatis abrepto, quum nos manum huic operi absoluendo admoueremus, iterato hanc cryptam a. 1769. summa diligentia lustrauimus, ac plura deteximus, quam in prima inquisitione factum.

Vndecim in ea reperti sunt loculi, cum decem funeribus integris, quae hic ordine chronologico recensemus:

I. Funus ELISABETHAE reginae *Romanorum*, ALBERTI I. coniugis, an. 1313. demortuae, cum inscriptione:

ELIZABET. REGINA. ROMANORVM.

II. Funus cum inscriptione: LEOPOLDVS DVX AVSTRIAE; *Gloriosus* scilicet a. 1326. mortuus.

III.

III. Loculus cum cadauere HENRICI *Auſtriae* ducis cognomento *Placidi*, filii ALBERTI I. qui a. 1327. obiit, cum lamina inſcripta:

HENRICVS. DVX. AVSTRIAE.

IV. Loculus cum funere GVTTAE ſeu IVDITHAE filiae ALBERTI I. comitiſſae de *Oettingen*, quae a. 1329. defuncta eſt; cum inſcriptione: GVOTA. COMITISSA. DE. OTINGEN. SOROR. DVCVM. ISTORVM. nempe HENRICI & LEOPOLDI.

V. Loculus cum funere CATHARINAE, viduae LEOPOLDI I. ducis *Auſtriae* a. 1336. demortuae, ita notatus: KATHARINA. RELICTA. QVONDAM D. LEOPOLDI. DVCIS. AVSTRIAE.

VI. Funus ELISABETHAE HENRICI *Placidi* viduae, cum epitheſi:

Anno. Dni. M. CCC. XLIII. DNA ELIZABETH. RELICTA. QVONDAM. DNI. HENRICI. DVCIS AVSTRIAE ET STIRIAE.

VII. Sarcophagus cum funere CATHARINAE de *Cuſſino* ſiue *Cuſſiaco*, anno 1349. demortuae; ſine inſcriptione.

VIII. Ciſta cum exuuiis ELISABETHAE duciſſae *Lotharingiae*, cuius inſcriptio fere exeſa ita reſtituenda videtur: *Anno M. CCC. LII.* ELIZABET *obiit Lotharinghiae Duciſſa feſto* POTENTIANAE *Martiris.* Fuit autem haec

ELI-

ELISABETHA filia ALBERTHI I. & vxor FRIDERICI IV. ducis *Lotharingiae.*

IX. Loculus cum cadauere AGNETIS reginae *Hungariae*, viduae ANDREAE III. & filiae ALBERTI I. mortuae an. 1364. ſine inſcriptione.

X. Sarcophagus cum exuuiis LEOPOLDI *Probi* ducis *Auſtriae*, filii ALBERTI II. *Contracti*, qui prope *Sempachium* occubuit an. 1386. nulla hic habetur inſcriptio: repertus tamen eſt cum eo capulus gladii.

XI. Paruus loculus, qui continebat exuuias in cinerem nunc reſolutas FRIDERICI filii FRIDERICI *Pulchri Romanorum* regis, ducis *Auſtriae*, qui praecoci morte circa a. 1322. ſex circiter annos natus obiit. Lamina ita inſcripta eſt: FRIDERICVS. FILIVS. F.*riderici*. REGIS. ROMANOR*um*.

In choro templi, nunc profanati, duae olim tabulae e pariete erant ſuſpenſae, nunc humi ſtantes, quarum prima ALBERTI I. Imp. liberos ſuperſtites enumerat, atque haec eſt:

Anno domini M. CCC. VIII. in die Beatorum Apoſtolorum Philippi & Iacobi occiſus eſt Sereniſſimus dominus Albertus Romanorum rex, filius Rudolphi regis Romanorum, a filio fratris ſui Iohanne, loco vbi politum eſt maius Altare, qui videlicet dominus Albertus in ipſo die occiſionis reliquit decem liberos ſuperſtites, ſcilicet

Fri-

Fridericum nunc Romanorum regem, & illustres dominos Leopoldum, Albertum, Henricum, & Othonem duces Austriae, nec non & praeclaras dominas, dominam Agnetem reginam Vngariae: Elizabeth ducissam Lotharingiae: Annam ducissam Presslauiae, Guttam comitissam de Ottingen, & Catharinam ducissam Calabriae, pro cuius animae remedio inclyta domina Elizabeth filia domini Mainhardi ducis Carinthiae relicta praefati domini Alberti regis vidua & Mater liberorum omnium ducum, de voluntate & adiutorio eorundem fundauit, construxit, & dotauit haec duo monasteria fratrum Minorum & Sororum S. Clarae cum choro & ecclesia, & aliis aedificiis vniuersis.

Altera funerum ibi conditorum nomina nonnulla exhibet, hoc modo:

Post tabulam continentem defunctos de dominio tam viros quam mulieres, qui sunt hic sepulti: vbi in primo locum habet serenissima domina Elizabeth relicta quondam diuae memoriae domini Alberti Romanorum regis cum subsequentibus in dicta tabula. a) *Tunc vero sequitur haec tabula, quae continet defunctos de dominio postea hic sepultos in dicta tabula, cum annis domini & diebus, quibus ex hoc seculo migrauerunt ad Dominum.*

Domina

a) Tabula tamen hic citata haud amplius reperitur.

Domina Katharina contboralis domini de Cuſſino filia domini Leopoldi ducis Auſtriae anno Domini M.CCC.XLIX. in vigilia S. Michaelis: domina Elizabeth quondam duciſſa Lotharingiae filia incliti principis domini Alberti regis Romanorum anno Dni M.CCC.LII. in die S. Potencianae V. Item ſereniſſimi domini Leopoldi filii domini Alberti ducis Auſtriae, qui prope Sempach in conflictu interiit anno Do. M. CCC. LXXXVI. IX. die Iulii, hic ſepulti.

In templi medio ſupra ſolum erectum eſt monumentum ex albo nigroque marmore conſtructum, in cuius vertice per circuitum germanica haec inſcriptio litteris aureis expreſſa continetur:

In diſem Grab ligend von Vnſerer Hochgebornen Herrſchafft von Oſtereich die Edlen Frauen und Herren, die hienach geſchriben ſtand. Zum erſten Fro ELIZABETHA, *geborn von Kernthen Künig* ALBRECHTS *von Rome gemahel, der auf der hofſtat verlohr ſein leben. Demnach F.* AGNES *Iro tochter wylund Künigen ze Vngern. Ferner auch unſer genediger Herr Hertzog* LÜPOLD *der ze Sembach verlor* 1386. *Hertzog* LÜPOLD *der alt und Fro* CATHARINA *ſein gemahel geborne von Sauoy und Fro* CATHARINA *iro tochter Hertzogin von Cüſſin. Hertzog* HEINRICH *und Fro* ELIZABETH *ſein gemahel geborne von Virnburg. Hertzog* FRIDERICH *Künig* FRIDE-

RICH

RICH *Son von Rome.* *Fro* ELIZABETH *Hertzogin von Lothringen.* *Fro* GUTTA *Gräuin von Ottingen deren gedenckhen thuen* CH (quas ſiglas quidam pro *chronica* interpretantur) *Ward erneuert* 1600.

Atque haec de crypta *Koenigsfeldenſi Habsburgica* ex *Taphographia principum Auſtriae*, vbi cuncta prolixius deſcribuntur, paucis adiungere viſum eſt, vel ideo etiam, quod in eo iam ſit, vt pretioſa haec Auguſtae *Habsburgicae* Domus funera, ſi fata permiſerint, in nouum D. *Blaſii* noſtri chorum e fundamentis iamiam exurgentem inferenda, atque in ſpeciali mauſolaeo reponenda ſperemus.

In feneſtris eccleſiae ſingulares hiſtoriae ELISABETHAE, aliarumque perſonarum Domus *Habsburgicae* inſigni opere depictae cernuntur; atque omnia hic auguſtum nomen *Habsburgicum* ſpirant. Nec dubium eſt, quin ſit eius primigenium hoc haeredium *Vindoniſſae*, forte quum primum haereditaria eſſe ceperunt regalia eiusmodi *Romano* imperio collapſo, ſub quo inter praecipuas vrbes fuit in ANTONINI auguſti itinerario deſignata, a qua per *Auguſtam Rauracorum*, ac *Argentoratum* ad *Treuiros* iter erat. Rudera adhuc theatri oſtenduntur, ac varia monumenta eruuntur, vrnae ſepulchrales, lapides, gemmae figuratae, nummi; qualis nuper inuen-

tus

tus eſt aureus PHILIPPI *Macedonis*, qui noſtrum nunc ornat *San-Blaſianum numophylacium*; ac nuperrime cum imagine *Sphingis* gemma, quae etiam figura in vetuſtiſſimo lapide turris ad ingreſſum oppidi *Brugg* conſpicua eſt.

Baden.

Non procul ab his veteris *Vindoniſſae* terminis abeſt *Bada* oppidum ad *Limacum* fluuium, a taxillis, qui ibidem inueniuntur in prato, quod ideo *Würffel-* ſeu *Spiel-Wieſe* nominant, & a thermis calidis celebratiſſima, quarum iam TACITVS a) meminit, adpellatque locum in modum municipii exſtructum, amoeno aquarum ſalubrium vſu frequentem. Hinc locus ſermone Romano *ad aquas Helueticas, thermae Helueticae, Thermopolis, caſtellum ſeu vicus thermarum* adpellatur. Etſi vero non adeo aperte ex laudato TACITO colligatur, haud leui tamen coniectura creditur, hoc eſſe caſtellum, quod *Romani* ad eius loci praeſidium munierunt, eoquod montes eo loco coëuntes pene in angulum regionem claudant. Haud procul in confinibus comitatus *Badenſis*, qui cum aliis medio aeuo, vt apud P. HERRGOTT videre licet, effloruit, columna effoſſa eſt anno 1534. atque in arce *Badenſi* expoſita cum inſcri-

a) Hiſtor. lib. I. c. 67.

ſcriptione TRAIANI auguſti, itineris index, qua iter ex *Italia* per alpes *Rhaeticas*, *Curiam Rhaetorum*, *Brigantium*, *Felicem arborem*, (*Arbonam* nunc vocant) *Fines*, & *Vitodurum* iuxta itinerarium ANTONINI ad *Rauracos*, per loca *Heluetiae* mediterranea trans *Rhenum*, ceu imperii *Romani* limitem, patebat: atque in hac columna iter deſignatur mille paſſuum octoginta quinque.

IMP. CAESARI.
DIVI NERVAE F.
NERVAE TRAIA.
NO. AUG. GERM.
PONT. MAX. TRIB.
POT. COS. II. P. P. DEF.
III. M. P. LXXXV.

Duas in his partibus a *Romanis* munitas vias, vnam ad ſummitatem lacus *Wallenſtadienſis*, alteram ſupra *Heluetiae* confluentiam primus notauit, deſignauitque Clar. SCHEVCHZER *Itin. Alpin.* tertio anni 1704. a) „*Wallenſtadium* oppi„dum inter (inquit) & ripam lacus porrigitur „per prata paludoſa via *Romana* glarea & lapillis „ſtrata. Talis modi *Romanae* munificentiae mo„numentum ad ſeſqui horam fere protenſum „inueni nupero anno in comitatu *Badenſi* inter „pagum *Groß Tettingen*, & *Limagi* cum *Arola* „con-

a) *Lugd. Batav.* 1723. p. 160.

„confluxum." Id genus vias, in *Hungaria* passim obuias commemorat Illustrifs. atque Excell. comes *Aloysius Ferdinandus* MARSIGLIVS in *Prodr. Oper. Danubial.* p. 25.

Ad vrbem *Badensem* quoque pertinet, quod in alia inscriptione a *Franc.* GVILLIMANNO a) relata, vir *Aquensis* ANNVSIVS MAGIANVS memoretur, qui deae *Isidi* templum a solo de suo posuit. Ita autem habet inscriptio:

DEAE ISIDI TEMPLVM A SOLO
L. ANNVSIVS MAGIANVS
DE SVO POSVIT VIR AQVENSIS. B.
AD CVIVS TEMPLI ORNAMENTA
ALPINIA ALPINVLA CONIVNX
ET PEREGRINA FIL. X.C. DE
DERVNT L∴D∴D∴ VICANORVM. b)

Ornamenta huiusmodi vasa fuerint sacris seruientia, qualia hac in vicinia non pauca superiore seculo sunt effossa. Nescio, an ad probro exponendum cultum imaginum, quidam imaginem S. VERENAE, quae ad balnea *Badensia* visitur, olim *Isidis* idolum fuisse dicant: quod, sicut & idolorum templa, ad sacrum vsum

a sim-

a) Lib. I. de Repub. *Heluet.* c. 14.

b) Nimirum: *Denarios Centum Dederunt. Locus Datus Decreto Vicanorum.* Vicani autem rustici sunt in vicis degentes.

a ſimplicibus hominibus adhiberi potuiſſe forte quis dicat, nulla in ipſa imagine poſita virtute, ſed ad prototypon viuamque imaginem relato cultu. *Quum templa*, inquit S. AVGVSTINVS, epiſt. XLVII. ad PVBLICOLAM, *idola, luci, in honorem Dei conuertuntur, hoc de illis fit, quod de hominibus, quum ex ſacrilegis & impiis ad veram religionem conuertuntur.* In *Lugdunenſi S. Stephani* eccleſia imago *Opis* vel *Abundantiae* ſub barbaro apud vulgus nomine *Ferrabo* ad ſec. uſque XVI. perſtitiſſe fertur. *Iſidis* ſtatua in abbatiae *S. Germani* in *Pratis* templo a *Lutetiae* gentilis aeuo ad annum vſque MDXIV. illaeſa permanſit, vt *Iacobus* DV BREVL a) monachus *San-Germanenſis* teſtatur. Sed hoc de *Badenſi* illa non adeo vetuſta imagine dici haud poteſt. Vulgo perſuaſio eſt, turrim, in cuius muro inſcriptio, quam mox retulimus, adhuc legitur, reſiduam eſſe ex templo *Iſidis;* ſed parum plauſibili ratione, quum frequens ſit, nouis etiam muris eiusmodi infigi lapides, ne ſaltem pereant.

Wettingen.

Viſuntur eiusmodi in vico *Wettingen*, quod nomen dat celebri monaſterio *Ciſtercienſis* ordinis, alias *Maris ſtella* dicto. Quam quidem nomenclaturam ex veteri traditione repe-

C 2 tunt

a) Antiq. *Pariſ.* lib. II. p. 359.

tunt a prima fundatione, facta ab HENRICO comite de *Rappenſwil* ſec. XIII. Hic enim in ſacra peregrinatione & expeditione *Hieroſolymitana* in mari periclitatus, edito voto, indicio ſtellae euaſit incolumis. Comiti ad propria reuerſo, atque de apto loco ad exſtruendum voto promiſſum monaſterium deliberanti, eadem ſtella in loco, vbi nunc dictum eſt monaſterium, iterum ſe conſpicuam dedit, vnde illud *Maris ſtella* ſit adpellatum. At hoc ego factum exiſtimarim more aliorum tutelae B. M. V. conſecratorum monaſteriorum, *Ciſtercienſis* ordinis maxime, cuius auctor praecipuus S. BERNARDVS hac ſalutatione exorſus vulgo creditur hymnum *Aue maris ſtella.*

Acceſſimus monaſterium hoc mane diei dominicae infra octauam Corporis Chriſti 8. *Iunii*, vbi nos, antequam monaſterium ingrederemur, iunximus ſolemni proceſſioni, magna pompa celebratae, concurrentibus vndique ex vicinia populis. Peractis ſacris bibliothecam adiuimus, nullis fere, ob binam conflagrationem, manuſcriptis veteribus inſtructam, praeter ſacra biblia in forma regali, in principio tamen & fine manca, quae maiorem, ac ipſum monaſterium, praeſeferunt antiquitatem. Notauimus etiam liturgica quaedam, *breuiaria* & *lectionaria* ex ſacris ſcripturis & homiliis Patrum. Seruantur

hic

hic item *chorales libri* ingentis molis, olim ecclesiae *Tigurinae* ſacris adhuc Catholicis addictae. Praecipuum vero monumentum eſt *necrologium*, cuius primigenia ſcriptura eſt ſeculi XIII. alia diuerſae adpoſuerunt manus. Typographo igitur error adſcribi debet, dum in *Geneal. Habsb.* ad ſec. XII. notatur *necrologium* ante monaſterii natales. Excerpta inde vſui fuerunt hiſtoriae diplomaticae domus *Habsburgicae*, ac porro eſſe queant illuſtrandis ſtemmatibus illuſtrium *Heluetiae* familiarum: vſui etiamnum eſt in capitulo quotannis ad benefactorum commemorationem. Singulariter vero laudatae hiſtoriae diplomaticae commodo accidit autographum diploma anni MCCLIX. in quo comites *Habsburgici* longa ſerie recenſentur, atque certiſſima ſtirps adſeritur ex *Habsburgica* progenie oriundi Rvdolphi I. *Romanorum* regis. In hoc enim inſtrumento Rvdolphvs non modo patrem ſuum indicat, verum etiam auum & proauum, iſto tenore: „Quidquid etiam iu„ris in ſaepe dictis vniuerſis & ſingulis bonis „& hominibus tam nos, quam bonae recor„dationis progenitores noſtri comites, videli„cet Albertvs mihi *Landgrauio* pater, nobis „tribus fratribus patruus; Rvdolphvs auus, „Albertvs proauus, ratione proprietatis vel „infeodationis ab imperio vſque in praeſentia„rum diuiſim & coniunctim & communiter ha-

„buiſſe, poſſediſſe, quaſi poſſediſſe dignoſcun-
„tur.“ Ex altero diplomate an. MCCLV. VIII. Kal. *Decemb.* Indict. XIV. notabilis eſt ſolemnis donationum ritus: *Acta ſunt haec ante portam ſaepe dicti monaſterii extra ipſius ſepta & clauſuras, ſecundum conſuetudinem donationum, in ſtrata regia & publica ſub aere libero non concluſo. anno &c.*

Varia monaſterium iſthoc *Wettingenſe* habuit fata; atque licet ordinis ſit *Ciſtercienſis*, nonnullos tamen abbates poſtulatos habuit ex monaſteris *San-Gallenſi*, & *Schafhuſenſi*, imo etiam ex ordine *Wilhelmitarum* Ioannem Priorem antea in *Sion* prope *Clingnouium*, D. *Blaſio* noſtro nunc incorporato; eo quod ſub eadem S. Benedicti veniant regula. Anno MDXXIX. 18. *Auguſti*, vt ſcribit Stvmpfivs, abbas *Georgius* Müller *Badenſis*, & conuentus *Wettingenſis* habitum monaſticum, Miſſam, imagines, aliasque caeremonias eccleſiaſticas abiecit, atque circa religionem cum *Turicenſibus*, *Bernatibus*, aliisque *Heluetiae* ciuitatibus, reformatae, vt vocant, religionis conuenit: poſtea tamen a. 1531. eaedem caeremoniae cum antiqua religione ſunt reuocatae. Alter chronographus Stettlervs id factum eſſe memorat agentibus potiſſimum *Nicolao* Manvele *Bernate*, & *Bernardo* Brvner *Glareano*, praefecto *Badenſi*, vt omnes, vno ſolo

excepto, auitam religionem mutarent, abbate lacrymantibus id oculis faciente cum caeteris, hoc ſolum obteſtantibus, ne comburerentur ſaltem imagines. Hoc tamen non obſtante merito abbas ille male apud ſuos audit, cuius etiam imago male habita eſt, quae hodieque cum aliis abbatum imaginibus in ambitu monaſterii cernitur. Seruatur adhuc ingens volumen mſc. quo abbas quidam *Wettingenſis* hiſtoriam motuum ob religionem ſec. XVI. immutatam eſt complexus.

Turicum, *Tigurum*, ſeu *Zürch.*

Eodem adhuc die *Turicum*, ſeu *Tigurum* contendimus; vrbem tamen tunc haud ingreſſi in *Stamphenbach* in ſuburbio pernoctauimus, quae prima monaſterii noſtrii S. *Blaſii* eſt fundatio, a nobili REGINBERTO de *Seldenbüren* facta, quod vico in *Argouia* prope monaſterium *Murenſe* in agris *Turicenſibus* ſito hodiedum eſt nomen. *Tigurinorum* frequens apud ſcriptores veteres CICERONEM, CAESAREM, PLVTARCHVM, STRABONEM, FLORVM, EVTROPIVM, OROSIVM eſt mentio. Quaeſtionem autem hic mouit *Beatus* RHENANVS a), imo aperte plagam hanc alio reuocauit, ad pagum *Vri* ſcilicet. „Horum pars (inquit b) quam ob cauſ-

a) Lib. I. rerum *German.*
b) De veterum in *Heluetiam* commigratione pag. 76.

„ ſam neſcio, mutatis ſedibus in *Heluetiis* con„ſedit, proxime *Tigurinos*, quorum hodie pa„gus mutilato vocabulo *Vri* dicitur. Nam *Ture„gum* a *Turo* fluuio nomen habet, quaſi *Turga„uienſis* tractus extremitas aut angulus.“ RHENANVM alii aut ſequuti ſunt, aut confutatum iuerunt; quos inter GVILLIMANNVS a) malam apud *Vranios* iniit gratiam. Dubium hac in re mouit, quod apud ſcriptores *Romanos*, imprimis in CAESARIS commentariis, *Tigurinorum*, pagique *Tigurini*, nuspiam vero vrbis *Tigurinae* fiat mentio, primusque *Henricus Loritus* GLAREANVS in panegyrico vrbium *Heluetiae* confoederatarum ita adpellet; quum apud veteres *Turicum*, *Turegum*, *Thuregum*, *Turregum*, *Duregum* ac *Zurich* vocetur. Vnde ſunt, qui THVRICVM, regem *Arelatenſem*, *turres regum*, *duo regna*, aut *reges* nomen huic vrbi dediſſe comminiſcerentur: cuius originem 2062. annis ante Chriſtum collocarunt non pauci, a dicto nempe THVRICO rege circa tempora ABRAHAMI, triginta annis poſtea, quam a TREBETTA rege, NINI filio, vrbs *Treuirorum* fuerit aedificata: quo de pluribus agit GVILLIMANNVS l. c. Quae circa commenta cordatiores *Turicenſes* ciues illud LIVIANVM in animo habent: „Quae ante conditam, condendamque vrbem, „poëticis magis decora fabulis, quam incorru-

„ptis

a) Lib. III. c. 5. de reb. *Heluet.*

„ptis rerum geſtarum monumentis traduntur,
„ea nec adfirmare, nec refellere in animo eſt.
„Datur haec venia antiquitati, vt miſcendo
„humana diuinis, primordia vrbium auguſtio-
„ra faciat." Certe *Chriſtoph.* CELLARIVS a) fatetur, neminem veterum ſcriptorum huius vrbis meminiſſe. „Haud vero dubie, ſubdit, e duo-
„decim (oppidis) fuit, quae migraturi in interio-
„rem *Galliam*, vt apud CAESAREM lib. I. c. 5. eſt,
„ipſi *Heluetii* exuſſerunt. Quod pronius ad
„fidem fit, quia vrbs nobilis eius nominis *Zürch*
„hodie ſupereſt, quod ipſum *Tigurum* cum
„*Germanorum* praepoſitione *Zu* eſt, ſicut cum
„eadem vocula ex *Taberna* fit *Zabern*, ex *Tol-*
„*biaco Zülpich.*" Quod vero vult, praepoſitionem *Germanicam zu* in locorum iſtorum, quae inter ſe ſtudioſe contulit, nominibus a T inchoatis, ab initio ita adcreuiſſe, vt Z in *Zürch*, *Zabern*, & *Zülpich*, idem ſit ac *zu Türch*, *zu Tabern*, *zu Tulpich*, merito explodit *Io. Caſp.* HAGENBVCHIVS b) in ſuo τεσσαρακοσολογίῳ *Turicenſi*, ſeu inſcriptione antiqua (ex qua *Turici* ſub imperatoribus *Romanis* ſtationem quadrageſimae *Galliarum* fuiſſe primum innoteſcit) commentario illuſtrata; atque ſimplicius longe veriusque habet, T & Z inuicem permutata eſ-

C 5 ſe;

a) Notit. orbis ant. T. I. p. m. 281.
b) Epiſt. epigraph. ad GORIVM V. C.

ſe; in teſtimonium etiam vocato CLVVERIO a) geographorum ſui temporis principe, qui adſerit T & Z litteras plerisque in vocibus conuerſas inter ſe fuiſſe, variante *Celtici* ſermonis dialecto, innumeris demonſtrari poſſe exemplis. Inter alia ipſa mox a CELLARIO relata adfert HAGENBVCHIVS: cui autem in dubio relinquendum videtur, vtrum iam *Heluetii* priſci *Zürich* per Z, *Romani* autem ſibilum τȣ *Z* peroſi tantum *Turicum* dixerint; an potius *Türich* antiquitus ab ipſis quoque *Heluetiis*, vt *Turicum* ab *Romanis*, vſurpatum, poſtea demum ab *Alemannis Heluetiam* occupantibus, quod ſibilum amabant, in *Zürich* conuerſum ſit. Adgreditur deinde tam altis radicibus defixam in hominum etiam doctiſſimorum animis hanc ſententiam, *Zürich* Latino nomine *Tigurum* vocari; petit autem CLVVERIVM & CELLARIVM, quibus etiam VALESIVM iungit, qui tamen circa ſeculum IX. & X. *Turicum*, aut etiam *Turricum*, nec non *Turregum* nuncupatum eſſe agnoſcit. Quos tres viros in geographiae antiquae ſtudio exercitatiſſimos, a nemine veterum ſcriptorum *Tigurum* nominatum eſſe optime gnaros, non dubitat HAGENBVCHIVS, in alia omnia fuiſſe ituros, ſi ipſis conſtitiſſet, non medio demum aeuo *Turicum* dici cepiſſe, vt male putabant, ſed

a) *Germ.* Ant. lib. II. c. 4. p. 13.

ſed iam ſub imperatoribus *Romanis* ita vocatum eſſe. Documentum huius rei luculentiſſimum, cuius cauſſa haec modo diximus, praebet titulus ſepulchralis, qui nobis ad bibliothecam publicam admiſſis, mox ad introitum conſpicuus fuit in veteri lapide oblongo (vt eum aeri inciſum damus (Tab. I.) XV. Calend. *Iunii* MDCCXLVII. in ipſa vrbe apud *Tilietum*, vulgo *Lindenhof*, eruto, hancque habet inſcriptionem: *Diis manibus. Hic ſitus eſt Lucius Aelius Vrbicus, qui vixit anno vno, menſibus quinque, diebus quinque, Vnio Auguſti libertus praepoſitus ſtationis Turicenſis quadrageſimae Galliarum, & Aelia Secundina puero dulciſſimo fecerunt*: vti laudatus doctiſſimus HAGENBVCHIVS (quem ipſum graui morbo detentum, quum eſſemus *Tiguri*, conueniri a nobis non potuiſſe, doluimus) eſt interpretatus, atque inſigni commentario illuſtrauit ex veteribus aliis inſcriptionibus antiquis. Et licet in aliis iam lapidibus ſtationis quadrageſimae *Galliarum* memoria ſit conſeruata ante erutum ſaxum *Turicenſe*, hoc tamen ſingulare habet, quod ſtationis huius locum quoque deſignet, addito ſtationis epitheto locali *Turicenſis*. „Ita (ait HAGENBVCH. a) „vt dilucide adpareat, hanc ſtationem XXXX. „*Galliarum* olim *Turici* fuiſſe, & ab hoc oppi-

„do

a) Pag. 53.

„do nomen *Turicenſis* habuiſſe. Habuit igitur fi-
„ſcus imperatoris *Romani Turici* ſuam ſtatio-
„nem ſeu manſionem, in qua officium fiſcale
„quadrageſimae *Galliarum* erat conſtitutum. Ab
„hiſce fiſci ſtationibus diuerſae erant ſtationes
„militum per opportuna loca diſpoſitae, ita ta-
„men, vt olim adiuncti quoque fuerint milites,
„qui publicanis in exigendis pecuniis opem
„ferrent, & contra vim & fraudes mercatorum
„adeſſent, quod ne antiquitatis teſtimoniis con-
„firmem, otium mihi fecit, doctrina BVRMAN-
„NI *de Vectig. pag.* 145. Cuius ego rei potiſſi-
„mum memini, quia & ſtationi *Turicenſi* XL.
„*Galliarum* quosdam legionum duarum XI. &
„XXI. (quarum memoria in ſaxis antiquis haud
„procul *Vindoniſſa* erutis reſtat) milites praeſi-
„dio fuiſſe exiſtimo. Hanc coniecturam ex eo
„potiſſimum duco, quod paucis paſſibus ab la-
„pide noſtro aberant eodem die & poſtridie e-
„ruti lateres cocti, in quibus hae duae legio-
„nes legio XI. *Claudia. Pia. Felix.* (vel *Fidelis*) &
„legio XXI. (illa litteris extuberantibus ſeu ex-
„ſtantibus, haec introcedentibus ſeu inciſis) le-
„guntur, forma & litteris ſimillimi eorum, quos
„abhinc annos XXIII. in agro *Turicenſium Clo-*
„*tana* inuentos bibliotheca noſtra ciuica adſer-
„uat.“ In noſtra etiam *San-Blaſiana* bibliothe-
ca laterculi eiusmodi legionis XI. & XXI. *Tu-*

ri-

ricenſibus per omnia ſimiles adſervantur, ex *Helvetiae* partibus ad nos delati, & *Vindoniſſae* effoſſi; TACITVS quoque legionem XXI. *Vindoniſſenſem* nominat.

Sed vt ad vrbem *Turicenſem* reuertamur, gratulandum ei eſt, monumentis eiuscemodi nunc ſaltem demum antiquitatem eius adſertam prodi: quum adhuc triceſimo huius ſeculi anno *I. I.* SCHEVCHZER harum rerum curioſiſſimus veſtigator in praefatione ſpecim. Alphab. ex diplomatibus & Codd. *Turicenſibus* dicat: *De antiquitate patriae noſtrae dixeris, vix eſſe ex antiquitate notam.* Miror autem, virum ſagaciſſimum, dum in veteribus documentis extricandis verſaretur, nihil notaſſe, quod de caſtro, nunc vulgo *auf dem Hof*, ſeu *apud Curiam* dicto, conſtanter memoratur, circa finem ſeculi III. *Romanum* praeſidem DECIVM ſedem ibi habuiſſe, ac ius dixiſſe, vbi etiam *Romani* ſubinde nummi ſunt effoſſi. Sed non ita olim, ſicuti nunc, erant ſtudioſi *Turicenſes*, in conſectandis eiusmodi antiquitatis reliquiis ac argumentis, quod non nemo data occaſione repertae ad initium ſuperioris ſeculi apud *Kloten* columnae litteratae perſcripſit: „ Aliae respublicae tale ſuae vrbis „ & pagi, ſiue prouinciae monumentum anti„ quum & praeclarum publicum fieri curarent,

„ in

„ in quodam loco publico ponentes, quo & a „peregrinis conſpici poſſet; & fieret ſane non „ ſine admiratione, ſi ampliſſima reſp. *Tigurina* „ idem cum hac columna fieri curaret.“ Refert hoc ſumme mihi colendus *I. I.* BREITINGERVS, quo loco verſatur in recenſendis eiusmodi antiquis monumentis, in agris pagi *Turicenſis* ab ineunte hoc ſeculo primum in *Limperg*, an. 1709. paſſim inuentis, quae apud P. MONTFAVCON *Antiquit. illuſtr.* a) videri poſſunt: illa autem ſecundo in *Kloten* anno 1724. detecta, ſingulari commentatione illuſtrauit idem BREITINGERVS, quam SCHELHORNIVS b) *Amoenitatibus litterariis* inſeruit. Idipſum praeſtitit laudatus BREITINGERVS in eiusmodi monumentis 1741. apud vicum *Lunneren* detectis, peculiari diſſertatione lingua vernacula conſcripta, & *Turici* an. 1742. in 4*to* edita, vbi haud obſcura rudera ſpectabilium aedificiorum ſeſe prodiderunt, quae oppidi ſeu vrbis antiquae indicium praebent. Nec dubitare ſinunt, quae ſimul inuenta ſunt monumenta, quin ad ea tempora referenda ſint, quibus adhuc paganica ſuperſtitio obtinuerit; idolum inter alia pudendum (ſimilem fere imagunculam exhibet illuſtr. CAYLVS, *Recueil d'Antiquites* c) & deforme, ſimiae potius aut cani caput, quam

a) Tom. II. Tab. 189. b) Tom. VII. p. 1 - 74.
c) Tom. I. Tabula VII. 4. inter *AEgyptiaca*: & Tabula XXIIII. 1. 2. 3. inter *Hetruſca* monumenta.

quam homini ſimile; nummi item varii *Romani* vſque ad CONSTANTINVM M. detecti; furnum quoque ac hypocauſtum vaporarii ad balneum clare diſcernere licuit: imprimis autem officinam fictiliarii ex materia partim parata ad opus, maximam autem partem iam confecta, innumeris teſtis ac fruſtis variorum vaſorum, vrceorum, patellarum &c. & vno pene integro vaſe, in cuius fundo hae litterae leguntur OPASN. Nomen *Eponae* deae legitur in vrna ſeu ſcutella, quae inter ſceleta humana poſita erat, non procul a ſtrato, cum variis partibus aliarum vrnarum ſepulchralium, inter quas vna oſſibus referta: circa aliarum fragmenta erant oſſa aduſta cum carbonibus & cinere, vti mos erat apud *Romanos* in cinerem redigendi cadauera. In eiusmodi teſta inter noſtra cimelia apud *S. Blaſium* legitur ASIATICI cum parte litterae ſequentis M vel N; in alia autem figurae conſpicuae ſunt leporis, aquilae alis extentis, cerui &c. vt in *Tigurinis* hominum. Materia eadem eſt terra ſigillata, colore ad lateritium accedente ſubobſcuro, in ſuperficie concinne complanata, vt mihi conſtitit oculari inſpectione in bibliotheca ciuica. Vbi eiusmodi alia etiam, aliis occaſionibus, vt iam memini, inuenta habentur; inter caetera pars pauimenti teſſelati ſeu lithoſtroti, ex marmore inſigni opere conteſſerati, oſtenditur. Cernitur hic etiam diptychon

con-

consulare AREOBINDI, quod ex duobus laterculis *Norimbergensi* ac *Turicensi*, collatis simul vtriusque tabulae schedis redintegrasse Clariss. GORIVS in opere *de Diptychis veterum* refertur: vtraque in superiore parte sculptam refert imaginem hominis in sella sedentis, cum caduceo seu sceptro, ac alia parua persona superius, & duabus ex vtroque latere prospicientibus. Inscriptio litteris longiusculis haec est ex vna parte:

F. AREOB*indus* DAGULI*uus* AREOBINDUS
V*ir* ILL*ustris*.

In altera parte, vbi eadem est sculptura superior, sed inferior dissimilis, ac duae personae stramine oppletae notantur, haec est inscriptio:

EXC*omite* SAC*ri* STA*buli* ET MA*gistro* MI-
litum PA*latii* OR*ientalis* EX*consule*
CO*nsul* ORD*inarius*.

In parte postica plana, verba quaedam, minime incisa, sed colore expressa comparent, quae aliud, quam nomina propria praeseferunt. Diptycha sunt *Flauii* AREOBINDI consulis an. 434. aut potius 505. Christianum eum fuisse crucis signum prodit, quod aliquoties occurrit, vt consulibus christianis consuetum fuit. De eius coniuge ANICIA IVLIANA agit MONTFAVCON, a) cuius etiam imaginem exhibet LAMBECIVS ex cod.

a) Palaeogr. Gr. p. 207.

cod. Dioscoridis *Vindobonae* ſeruato. Vide etiam Dvcangivm in diſſert. ad ſequioris aeui vel imperii numiſmata imperatorum *Cpolit.*

Inter MSS. huius publicae bibliothecae principem locum tenet pſalterium *Graecum*, totum vncialibus litteris perſcriptum in membrana tincta purpureo colore, ad violaceum accedente, adeo gracili, vt quibusdam impoſuerit, chartam eſſe hombycinam exiſtimantibus. Pſalmorum tituli, ac notae numerales, integerque vltimus pſalmus aureis litteris perſcripti ſunt, reliqui pſalmi omnes argenteis. Accentus *Graeci* ordinarii non comparent, praeterquam in littera Y, vti etiam de aliis *Graecis* codicibus vncialibus, nominatim S. Germani *de Pratis*, conſtat, duo puncta ſuperpoſita habere eam litteram, quando verbi principium facit. Vocum nulla in cod. *Tigurino*, verſuum vero per ϛιχȣς accurata eſt diſtinctio more antiquiſſimo, quemadmodum etiam omnia recenſita extremae ſumme venerandae canitiei ſunt ſigna. Id vero pretium huius codicis inaeſtimabile, vſumque praeſtantiſſimum facit, quod, licet multis partibus mancus ſit ex incuria imperitiaque, quam deplorat *I. H.* Hirzelivs in epiſtola ad *I. Hen.* Waservm bibliothecarium, apud *I. Iac.* Breitingervm, a) maximam tamen partem

a) Ep. ad Emin. Card. Qvirini.

tem hiatus, qui in ſimilibus codd. celeberrimis *Vaticano* & *Alexandrino* in *Anglia* ſunt, expleri poſſint. Inſignem adeo operam praeſtaret doctiſſimus BREITINGERVS, ſi, quod propoſitum habet, effectum iret de *Turicenſi* LXX. intt. editione quinto volumine locupletanda ac illuſtranda, vbi ex hoc incomparabili codice, quoad ipſos pſalmos eorumque priſcam ac genuinam lectionem diſtinctionemque, materia ampliſſima foret. Quod quantum ad poſterius pro reducenda priſca verſuum diſtinctione iuxta fidem antiquiſſimi *Vaticani* codicis *Graeci*, Card. *I. M.* THOMASIVS ſua induſtria dignum exiſtimauit argumentum, in pſalterio cum canticis, verſibus priſco more diſtinctis, *Romae* MDCXCVII. typis *Ioſ.* VANNACCII edito. Inter recentiora MSS. quorum maior eſt copia, imprimis hiſtoriam *Helueticam* concernentium, prae caeteris notabiles viſi ſunt *Ioſiae* SIMLERI antiquitatum *Helueticarum libri V. voll. IV.* manu ipſius auctoris exarati, necdum editi, ac nuperrime bibliothecae illati ex priuata *Henr.* WASERI; cuius etiam hiſtoria ſynodi *Dordrectanae.* V. tomis mſc. in eadem bibliotheca ſeruatur, multaque continet ignota adhuc & oblitterata illius ſynodi acta, cui is praeſens fuit nomine reformatorum *Heluetiae*, cum *Io. Iac.* BREITINGERO ſeniore a ſecretis.

Inter

Inter libros impreſſos eminent libri CICERONIS *de officiis,* litteris *Rom.* minuſculis, quae quod ad elegantiam hodiernis typis minime cedunt, impreſſi a. 1465. *Moguntiae* per *Iohannem* FVST & *Petrum* SCHOIFFER; vt patet ex his ad calcem verbis:

Preſens Marci tulij clariſſimū opus. Iohannes fuſt, Mogūtinus ciuis. nō atramēto. plumali cāna neque aerea. Sed arte quadam perpulcra. Petri manu pueri mei feliciter effeci finitum. Anno. M. cccc. lxv.

Vidimus *Auguſtae Vindel.* eorundem *officiorum* CICERONIS editionem de a. 1466. ex officina FAVSTI, quam etiam ſe vidiſſe teſtatur Cl. SCHOEPFLINVS a) in bibliotheca *Genuenſi*, in cuius fine haec verba manu adlita leguntur: *Hic liber pertinet mihi Ludouico de la Vernande militi, cancellario Domini mei Ducis Borbonii & Aluernie, ac preſidenti Parlamenti lingue Aquitanie, quem dedit mihi Io. Fuſt ſupradictus Pariſiis in menſe Iulii anno Domini MCCCCLXVI. me tunc exiſtente Pariſiis pro generali reformatione totius Francorum regni.* Plures fuere bibliographi, qui cum *Mich.* MAITTAIRE in *annalibus typographicis* ambas has editiones de a. 1465. & 1466. ſola anni ſubſcriptione inter ſe differre, de reliquo vnam

D 2 eſſe

a) In Vindic. typogr. p. 61.

eſſe eamdemque editionem adſererent. Hos tamen deceptos, illasque editiones in aliis quoque diuerſas eſſe oſtendit *Dauid* CLEMENT; quin eousque progreditur, vt eodem an. 1465. duas diuerſas libri huius editiones factas eſſe contendat, vnam in *fol. paruo*, cuius exemplar exſtat in bibliotheca *Harleiana*, alteram in forma *quarta*. In fine editionis de an. 1466. haec habetur ſubſcriptio litteris rubris impreſſa. *Preſens Marci tulii clariſſimũ opus. Iohannes fuſt Mogũtinus ciuis. nõ atramẽto. plumali cãna neq; aerea. Sed arte quadam perpulcra. manu Petri de Gernshem pueri mei feliciter effeci finitum. Anno M. cccc. lxvj. quarta die menſis februarii &c.* Eodem anno 1466. peſtis adflixit *Lutetiam*, qua menſibus *Auguſto* & *Sept.* 40. hominum millia perierunt. Lues haec FAVSTVM quoque abſtuliſſe videtur SCHOEPFLINO, quod poſt haec ſolus vbique SCHOEFFERVS in libris *Moguntiae* impreſſis occurrat. Memoranda ſunt praeterea in bibliotheca *Turicenſi* Biblia *Italica* ex verſione *Nicolai de* MALERMI ſeu MALETBI *Veneti*, *Venetiis* per *Vindelinum de* SPIRA impreſſa a. 1471. quae prima eſt totius S. Scripturae in linguam *Italicam* verſio luci publicae data, quamque *Iacob.* LELONG a) recenſet. Notandum hic vero, duas horum bibliorum haberi editiones eiusdem an.

1471.

a) Bibliothec. Sacr. pag. 354.

1471. In prima haec a fine eſt *Italica* ſubſcriptio: *Impreſſo fu queſto Volume, nel alma patria de Venetia, ne gl'anni di la ſalutifera Incarnatione del figluolo di l'eterno & omnipotente Dio M. CCCC. LXXI. in Kalende de Auguſto.* Altera, in veteri maxime Teſtamento multum diuerſa, in fine *Apocalypſeos* ita ſubſcribitur: *Quivi finiſſe l'Apocalypſis & e il fine del Novo Teſtamento, M. CCCC. LXXI. In Kalende de Octobrio.* Notanda adhuc eſt *Ioannis* Geigeri calamo picta tabula geographica ditionis *Tigurinae* cum vicinia, montes, valles, ſiluas, aquas, vias, terminos &c. menſura geometrica accuratiſſime ſiſtens; ſolet in litibus dirimendis adhiberi ſaltem apographum pluribus tabulis deſcriptum.

Bibliotheca *Carolina* canonicorum in eadem vrbe pluribus abundat veteribus MSS. quae inter codicem biblicum in fol. regali ipſius Caroli M. eſſe dicunt, ac certe indicia illius aetatis praebet. a) De quo ſpecimen dedit *Io. Iac.* Schevchzer in *Alph. ex diplomatibus & codicibus Turicenſibus*, ſed ſolum litterarum maiuſcularum ſeu vncialium, quae frontem ornant; quum tamen contextus ſcriptus ſit litteris minuſculis *Romanis*, quae D. la Groze ex parte

D 3 *Lon-*

a) Exhibet enim diſſertam temporis notam ex Alcvini aetate.

Longobardicae ſunt viſae. Nos hic (Tab. II.) ſpecimen dabimus ſcripturae codicis praeſtantiſſimi *Turicenſis*, quod amica manus nobis ſubminiſtrauit in aes inciſum. Exhibet prologum S. Hieronymi a capite epiſtolarum *catholicarum*, cum pericopa illa 1. *Ioan. V.* de tribus teſtibus, quae ab hoc codice excluditur tota, quum tamen ex hoc pro *Hieronymiano* manifeſtum ſit, pericopam illam diu ante Hieronymi tempora in vetuſtiſſimis N. T. codicibus lectam iam fuiſſe a Patribus, ſynodo *Nicaena* vtique antiquioribus. In codice paullo recentiore habetur ordo eccleſiaſticus *Romanus*, ac poſt eum variis titulis plura inſignia ad rem ſacram ac liturgicam capita. Codicem hunc ad rem liturgicam *Alemanniae* haud parum vſui futurum ad *S. Blaſium* etiam deferendum indulſerunt *Turicenſes* canonici. In pſalterio ſec. IX. vel X. habentur adhuc Origenis ſigna ⊣ ÷ .x. Poſt ſymbolum apoſtolorum habetur ſymbolum vulgo Athanasii hoc titulo: *Incipit fides catholica edita a Sco Athanaſio Alexandrino epiſcopo.* Quae ſequuntur etiam litaniae & preces indicio ſunt, ad ſacrum eccleſiae vſum hunc fuiſſe codicem. Cuiusmodi alios ex bibliotheca *Carolina* ad manum praebuit humaniſſimus *Io. Iac.* Breitinger, ling. *Graec.* profeſſor doctiſſimus, qui nihil cauſſatus argumentum liturgicum, cuius gra-

tia

tia iter meum inſtitueram, forulos non ſolum ipſe perluſtrauit, atque ad manus dedit, quae ad rem meam erant: ſed etiam domum ſuam omnes a me notatos codices ex bibliotheca collegit, & quamdiu excerptis faciendis operam dedi, totum ſtudiis meis conſecrauit tempus; propria etiam manu delineando inſtrumentum vetus muſicum ſingulare, ante annos quadraginta, & quod excedit, inuentum *Forſteckia* in arce, alteri immixtum reiectitio ferro, totum rubigine obductum, & iam ad metalli fuſorem damnatum, niſi *Hen.* WOLFIO prouinciae *Altoſaxonae* praefecto ob formam ſuam triangularem ſingulare aliquid praeferre viſum eſſet. Quod proin ſumma cum ſolicitudine expoliri curauit, in quo quum figuras ſatis curioſas animaduerteret, litui genus aeſtimans, maxima cura in cimelio ſuo ſeruauit. Forma illius ex adpicta figura (Tab. III.) clare ſatis perſpici poteſt, niſi quod litterae quaedam, ſiue figurae in lateribus diuerſis a ſe inuicem diſcrepent: in uno enim latere omnes figurae punctis ſunt expreſſae, in altero figurae quaedam tantum punctis nonnullis ſunt notatae. Praeterea in alio latere litterae ſiue figurae manubriis propiores exiſtunt. Caeterum omnes characteres cunctis in lateribus ſimillimi ſunt, eodemque etiam ordine diſpoſiti. Quoad materiam, ferri haec ſpe-

 ciem

ciem praefefert, chalybem enim negant, tum quod ignis cum illo excitari nequit, tum quod magnes eamdem attrahit, licet non ea vehementia, prout reliquum ferrum. Sonus plane fingularis eft, ac claritate cuiusuis aeris fonum vincit, ob id argenti quid admixtum effe credibile eft. Quantum ad fonum vero fequentia infuper obferuantur. Prope baculi aciem clariffimus eft, verfus manubria paullatim grauior, donec tremulo quodam motu fiue vndulatione aeris inclufi in cauo baculi, in manubriis terminetur. Si leuiter tantum pulfetur, ita in tremorem impellitur, vt ipfi quafi manui imprimatur. Quodfi fonantem baculum leui digito tantum attingas, omnis fonus ftatim tollitur atque ceffat, fimul ac tremulatio illa ceffauerit. Denique pro diuerfitate laterum variat fonus, quin ipfi quoque anguli diuerfum a lateribus fonum edunt. De hoc inftrumento clar. ALTMANNVS vltro ignorantiam fuam eft faffus his verbis: „Effigiem baculi magici mihi miffi vi„di, fed in eius explicatione me haerere non „diffiteor: & malo ignorantiam meam hic fa„teri, quam incerta & forfan abfurda conie„ctare. Litui genus effe colligo, non tamen „adfirmo: incerta enim funt, quae poft fepul„tas artes in feculis illis ignorantiae, vbi cali„go & mera barbaries ab ordine cucullato in-

„ferri

„ ferri cepit, facta & inuenta funt, & merum „ rus olent: nec fanae mentis mica vnquam a- „ nimaduertitur. Quotquot enim *Gothici* tem- „ poris reliquias vidi, totidem certe infcitiae & „ barbariei monumenta.“ AEquior alter, ex eadem tamen fchola, qui in lituum huncce commentatus eft, addit: „ Mihi vero non fit du- „ bium, quin omnia non dicam, fed plurima e „ cimeriis eruta forent tenebris, ni plurimi his „ obfeffi effent praeiudiciis, quibus ducuntur

. . . *ut neruis alienis mobile lignum.*

Putat autem inftrumentum facrum muficum myfticum effe in fortibus, vel cultu famofi apud *Germanos* idoli *Triglaf* adhibitum, & ad auerruncanda mala factum. Luculentius eft *Ludouici* Bovrgeti iudicium ex litteris 26. *Ianuarii* MDCCXXXV. „ Eft hoc inftrumentum vel e „ *Saxonia inferiori*, vel ex *Suecia*. Eius generis „ inftrumenta mufica & apud veteres *AEgyptios* „ in vfu fuiffe, ex veteribus monumentis com- „ pertum effe puto. De magico igitur vfu hu- „ ius monumenti nulla eft fufpicio. Quando „ autem fuerit confectum, non habeo dicere. „ Saltem hoc accidiffe, antequam inuentae fue- „ rint arithmeticae notae vulgares, dici minime „ poteft: obftant enim characteres *Tertiae*, & „ *Quintae* mufices, qui fub duplo triangulo prio-

— —

„re proſtant 333 355 in vnoquoque latere
„trigoni. Inſcriptionem hoc modo legendam
„cenſeo: *Detſa Kitris* (Kitres) *Brüſs ſoexe*
„*thoon apamma quaex ene thüne tam cloim*
„*Ioohiub.* h. e. *Dieſe Zitter bringt ſexhs thō-*
„*ne auf einem erquickennde Thone zu klingen*
„*Ioohiub.* Eam ſic facis latinam: *Haec cithara*
„*ſex edit tonos, gratiſſimo tinnitu ad clangen-*
„*dum iubila*, ſeu ad canendas gaudii cantile-
„nas. Differt *Ioohiub* a *Iodute*, quae vim patien-
„tium clamor eſt, vt docte ſcripſit nuperrime
„*Io. Leonh.* Frisch in Contin. III. Miſc. *Berolin.*
„p. 195. lingua autem inſcriptionis eſt *Saxoni-*
„*ca inferior* vel *Suecica.* Quum deſint mihi le-
„xica, omnibus numeris abſolutam interpreta-
„tionem dare haud potui, ſed ex analogia cum
„*Germanica* explicaui voces inſcriptionis. Ex
„loco, in quo inueniebatur, ſuſpicor, a quo-
„dam milite *Suecico* venumdatum eſſe, quum
„Gvstavi Adolphi milites *Lindauiam Brigan-*
„*tiam*que accederent. De charactere mixtobar-
„baro nihil habeo, quod dicam, ſunt hi mono-
„grammate & conſonantibus cum vocalibus or-
„nati eodem modo, quo & ante V. & VI. ſe-
„culum ad tachygraphiam pingebant *Romani.*"
Hæc mecum communicauit Cl. Breitingervs,
quod aliquid conferre cenſeret ad opus meum
muſicum (vbi aliquid breuiter de hoc inſtrumen-

to

to diſſero) promiſitque, ſiquid deinceps egerem ſua opera, opusque haberem monumentis *Turicenſibus*, praeſto ſe ſemper ad nutum fore. Hac igitur ſpe laetus *Tiguro* abii X. *Iunii*, eodemque die ſoſpes perueni ad celebre *Murenſe* monaſterium.

Monaſterium Murenſe.

Locus iſte, vt habent acta fundationis huius *Murenſis* monaſterii „inde, quod inter agrum noſtrum & agros ruſticorum hic iuxta „ſuperiorem vicum ſubterranei muri antiquitus „conſtructi inueniuntur, quod vocatur *Muir-* „*lon*, nominatur *Mura*.“ Eosdem habet fundatores, qui caſtrum *Habsburg* condiderunt, Wernhervm epiſcopum *Argentinenſem*, & Radebotonem, qui etiam cum vxore Idda, Adalberto filio, filiaque Richenza, filius item Wernharivs, & vxor Regvlinda, cum filio Ottone, & Hedwige comitiſſa de *Habsburg*, nata de *Kyburg*, Rvdolphi I. regis *Romanorum* matre, in eccleſia *Murenſi* ſepulti iacent. Laudatus actorum *Murenſium* auctor in recenſione variae, qua tunc gaudebat monaſterium iſtud, librariae ſupellectilis imprimis ad argumentum liturgicum, fruſtra mihi ſpem iniecerat: quum fere incendiis direptionibusque theſaurus iſte interierit, ex ruina ſuperſtitibus monumentis inter

ter pauca ſacramentorum libro uno: quem quintum auctor ille deſignat, qui ſolas continet orationes ſeu collectas, vti mos fere vſque ad ſeculum circiter XII. obtinuerat. Calendarium in eo codice praemittitur. Quale habetur adhuc amplius, ac ſubinde auctum, in alio codice cum epactis, & nonnullis benedictionibus initio, & ad finem ſubnexa regula S. BENEDICTI monialibus accommodata, quae, vti in plerisque monaſteriis ordinis noſtri, ſeparatim olim hic habebant clauſtrum, propius aut longius inuicem diſtans, ſub monachorum praepoſitura. In diplomate LOTHARII III. fundationis monaſterii *Farenſis* ſub WERNERO I. abbate III. *Einſidlenſi*, ad exemplum *Murenſium*, de quibus modo diximus, & *Beraugenſium* ſanctimonialium, quae ad noſtrum *S. Blaſii* monaſterium pertinent, prouocatur: „Ita ſcilicet, vt huius „abbas WERNERVS & omnes ſucceſſores ſui „cum fratribus ſuis eundem locum libere & „poteſtatiue perpetualiter poſſideant, & ſerui„tium Dei ibidem inſtituere, ſicuti Deo ratio„nem reddituri ſunt, ſtudioſe contendant. Ad „publicam quippe & legitimam donationem „praedicti LVTHOLDVS pater & IVDENTA con„iux, & LVTHOLDVS filius amatores Chriſti, „annuente abbate cum fratribus, petitionem fe„cerunt ſub teſtimonio fidei & diuinae recogni-

„tionis

„tionis cellam ibidem conſtrui, & regulare „clauſtrum religioſis feminis monaſticae pro„feſſionis, in modum ſanctimonialium *Muren„ſium* vel *Beraugenſium :* & in eis tot & tales „monachos praeponi, qui ſciant illis praeeſſe „& prodeſſe." Sub CHVNONE ſeu CONRADO abbate apud *Muros* peculiaris ordo etiam incluſorum vtriusque ſexus fuit. Regulae praemittitur imago S. BENEDICTI moniali genuflexae regulam tradentis cum habitu criſei coloris, ſub quo ad manus & tibias ſedentis prominet albi coloris tunica. Cap. 60. & 62. regulae, quae de ſacerdotibus monaſterii ſunt, ad calcem reiiciuntur. Gradus 12. vero humilitatis in totidem fere capita diuiduntur. Vnde ſi non probetur, diſtributionem capitum titulosque autographos non eſſe, ſaltem colligitur, non eandem ſemper capitum diuiſionem fuiſſe.

Alter codex hiſtoricus eſt, atque inter alia complectitur chronicon, quod eadem manu vſque ad annum MCLXXV. perſcribitur, quo tempore CHVNO abbas, abdicata praelatura, priuatus degebat. Quum vero praeter dies emortuales pontificum, imperatorum, regum, ac ſingularia quaedam epiſcoporum *Conſtantienſium*, circumiacentiumque monaſteriorum ea praecipue referantur, quae ad monaſterium *S. Blaſii*

perti-

pertineant, facile animum induxerim, ipſius eſſe Chvnonis ſeu Conradi partum, cui etiam chronicon *Bürglenſe* P. *Ruſtenus* Heer vindicauit, ac edidit a); quin eundem ipſorum actorum *Murenſium* auctorem facit magno virorum doctorum conſenſu. Ipſi venerandi *Murenſes* ſodales ea ſunt in opinione, MS. cui chronicon iſtud inſertum eſt, ad ſe delatum videri a quodam abbate e *S. Blaſio Muros* poſtulato. Poſt Reginboldvm enim & Bvrchardtvm praepoſitos ex *Eremo* B. M. V. accitos, ac Vdalricvm e monaſterio *Diſſertinenſi*, qui poſtea pedum abdicauit, Rvpertvs primum ex *S. Blaſii* monaſterio huic *Murenſi* aliquibus annis Prioris nomine praefuit, quum abbas *S. Blaſii* eum, vt *Murenſes* petebant, ſtatim abbatem dare renueret. Poſt hunc conſequenter Lvitfridvs, & qui ſub eo iam antea Priorem egerat ex eodem monaſterio, Rvpertvs, abbates fuerunt. Huic, depoſito an. 1108. abbatis munere, Vdalricvs II. primus ex gremio electus, ſucceſſit, vt tamen poſt eius ſucceſſorem Ronzelinvm iterum e *S. Blaſio* abbas accitus ſit Chvno ſeu Conradvs, de quo mox dixi, exiſtimoque eius eſſe iſtud chronicon, ex quo nunc quaedam excerpta dabo, donec forte integrum luci publicae detur b). Sequitur

a) In Anonymo *Murenſi* denudato.

b) „*Ad an. CCCCLIII.* Vndecim millia virginum ab Attila rege Hunnorum martyrio coronatae ſunt. Pantilus

In eodem *Murensi* codice alio non minus antiquo charactere sec. circiter XII. chronicon Reginonis cum continuatione Hermanni *contracti*, & Berchtoldi *Constantiensis*. In quo ad an. MLXXXIII. ita habetur: „Eo autem „tem-

Basiliensis[1] episcopus virgines sacras cum gaudio susceptas Romam perduxit, inde reuersus Coloniam peruenit: ibique cum eis martyrium suscepit. *DXXXV.* Mamertus ẽps, qui triduanas letanias ante ascensionem Domini instituit, migrauit ad Dominum VI. Id. May. *DCVIIII.* Focas August. templum omnium idolorum, quod Pantheon vocabatur, obtinuit, & in honore S. Mariae & omnium Sanctorum dedicauit, & Scae Mariae ad martyres adpellauit. *Ad an. DCXI.* B. Columbanus abbas cum discipulis suis Sancto Gallo & aliis tempore Sigeberti regis de Hibernia veniens Luxouiense coenobium multis coruscans virtutibus construebat: indeque postmodum a Theodorico rege pellitur. *DCXIII.* Scus Gallus solitudinem cellae suae incolere cepit. Theodericus & Theodebertus cum infestis exercitibus apud Tulense territorium forti pugna confligunt, & magna caede vtrinque peracta Theodebertus victus Coloniam aufugit. Quibus diebus Scus Columbanus de Brigantino pulsus febricitantem Gallum ibi reliquit. " Mirum imprimis est, quod ponit ad an. DCLXX. „Scus Nicolaus Myrreorum ẽps migrauit ad Dominum (quum tamen constet, illum sec. IV. obiisse.) *DCCIII.* Beda presbyter vir doctus & prudens hucusque cronica minoris libri de temporibus perduxit. *DCCXIII.* Pipinus filius Ansgisi nepos Sci Arnulphi maior domus & dux Francorum anno regni XXVII. obiit, pro quo filius eius Karolus regnauit XXVII. *DCCXXII.* S. Pirminus abbas & ẽps a Bertolfo & Nebi principibus ad Carolum ductus Augiae insulae ab eo praefectus serpentes inde fugauit, & coenobialem vitam inibi III. annis in-

„tempore in regno *Teutonicorum* tria monafte-
„ria cum fuis cellulis regularibus difciplinis
„inftituta egregie pollebant: quippe coenobium
„*S. Blafii* in nigra filua, & *S. Aurelii*, quod
„*Hirfaugium* dicitur, & *S. Saluatoris*, quod
„*Schaf-*

ftituit. *DCCXXIIII.* Scs Bonifacius a Gregorio P. Moguntiae archiepifcopus ordinatus eft, qui verbo & exemplo multis praefuit. *DCCXXX.* Scs Othmarus cellae S. Galli primus abba conftitutus coenobialem inibi vitam inftituit, & per XI. annos nobiliter rexit. *DCCXXXI.* vel circiter: Etho primus Augiae abbas, poft quoque Argentinae ẽps ecclefiae a Carolo promotus, non longe poft fui nominis, id eft Ethenheim coenobium longe ante fua tempora conftructum atque alio vocabulo nuncupatum, fed tunc pene dilapfum ipfe conftruxit. *DCCXLIIII.* Karolus Saxones petit. Gesbure caftrum cepit. Idolum illorum Irmenful dictum diruit, & laborantem fiti exercitum dans diuinitus in ficco quodam torrente aquis reficere meruit, acceptisque pro pace obfidibus XII. rediit DCCLXXII. *Ad an. DCCCIIII.* Sanguis Domini Mantuae inuentus. Karolo nunciatur. Cuius rei veritatem perquirendam Leoni pp. imperator demandauit. Qua occafione arrepto itinere papa ad imperatorem venit, & cum eo natale dñi Carifiaci celebrauit &c. *DCCCLXI.* Meginardus Augiae mon. & primus incola heremi, quae Turiceno adiacet lacui, a quibusdam latronibus inibi XII. Kal. Febr. peremtus eft, poft mortem virtutibus claruit, Augiaeque fepultus eft. *DCCCLXIII.* Translatio S. Othmari in bafilicam Sci Galli. *DCCCLXXXVIII.* Karolus (Craffus) imperio iam priuatus Deo deuote feruiens in villa Alamaniae Nidinga infirmatur, & vt quidam perhibent a fuis ftrangulatus, Id. Ianuar. vita mortali deceffit, & quibusdam videntibus coelo aperto & lumine fuper adparente Augiae delatus & fepultus eft. Hatto cellam & Bafilicam S. Georgii Augiae in infula

„ *husin*, id est *nauium domus* dicitur. Ad quae „ monasteria mirabilis multitudo nobilium & pru„ dentium virorum hac tempestate in breui con„ fugit, & depositis armis euangelicam perfe„ ctionem sub regulari disciplina exsequi propo„ suit:

construxit. *DCCCLXXXVIIII.* Bern. Augiae abbas missis Romam coenobii sui priuilegiis a papa Iohanne item priuilegium, vt cum sandaliis & episcopalibus indumentis missas ageret, accepit. Vnde commoto Warmanno Constantiensi epo apud imperatorem, quasi sui peruasor officii & honoris accusatus, eousque ab vtrisque coarctatur, donec idem cum sandaliis priuilegium ipsi episcopo traderet publice in synodo sua, id est in coena dñi sequentis anni, incendendum. *CMXIII.* Apud Scum Gallum Notkerus magister doctus obiit. *CMXVI.* (recentiore manu) Hoc anno Basilea ab Vngaris destructa est, quae postea per Henricum reparata est. *CMXXIII.* Sanguis dñi in Augiam insulam a quadam matrona defertur, sicut inibi litteris historica relatione refertur. *CMLXII.* Otto rex a Ioanne pp. imperator ordinatus. *CMLXIII.* Hoc anno datum est edictum Ottonis anno regni eius XXVII. imperii autem secundo indict. VI. Actum Veronae Nonis Iunii. *CMLXXIII.* Scs Vdalricus Augustensis IIII. Non. Iulii feria VI. migrauit ad dñum: eodem quoque anno, sed prius, Otto imperator non. May subitanea morte apud Partenopolim obiit & sepelitur. Otto secundus magni Ottonis filius regnauit annis VIIII. *CMLXXVI.* Scs Chovnradus Constantiensis ẽps migrauit ad dominum, & pro eo Gaminoldus praefuit. *CMLXXVIIII.* Gamenoldus Constantiensis ẽps obiit, eique Gebhardus nobilis & venerabilis succedens XVI. annis ecclesiam rexit, qui basilicam Sci Gregorii in ripa rheni, abbatiamque suis ex praediis construxit. *CMLXXXXV.* Gregorius pri-

„ſuit: tanto, inquam, numero, vt ipſa mona-
„ſteriorum aedificia neceſſario ampliarentur, eo-
„quod

mus abbas cellae S. Meginardi obiit, cui Wern. in regimine ſucceſſit. *MVII.* Bern. vir doctiſſimus Augiae abbas ordinatus. *MXXVI.* Wern. abbas S. Meginardi obiit. *MXLII.* Bern. abbas Augiae obiit. *MLII.* Leo pp. VIIII. dedicauit altare Schafhuſe. *MLXII.* Agna imperatrix velamine ſacro ſe Chriſto dedicauit. *MLXIIII.* Conſecratum eſt monaſterium Schafhuſenſe ab epiſcopo Rumaldo. *MLXVIII.* Wernherus abbas obiit. *MLXVIIII.* Rovmaldus ẽps Conſtantiae obiit. *MLXXI.* Otto Conſtantiae ẽps a rege conſtituitur. *MLXXII.* Petrus Damiani Cardinal. ẽps & monachus iam dudum mundo crucifixus VII. K. Martii migrauit ad dnum. *MLXXVIIII.* Adelheit vxor Rovdolphi regis obiit & apud S. Blaſium ſepulta iacet. *MLXXXXI.* Willehelmus Hirſaugienſis abbas obiit. *MLXXXXII.* Dedicata eſt eccleſia S. Nicolai a Gebehardo Conſtant. ẽpo. Inceptio noui monaſterii S. Blaſii. *MLXXXXVI.* Sigefridus abbas Schafhuſenſis & Luitfridus abbas Murenſis obiit. *MCXXIII.* Bertholdus dux obiit. Edictum Heinrici IIII. imperatoris datum Spirae ind. I. V. K. Ian. *MCXXV.* Domnus Rovſtenus abbas obiit. Priuilegium Henrici imperatoris datum Argentinae V. K. Ian. Ind. III. Datum eſt edictum a Lothario III. regni eius I. anno. *MCXXVII.* OVdalricus epiſcopus Conſtantienſis obiit. *MCXLI.* Domnus Bertholdus venerabilis abbas feliciter exſpirauit. *MCXLIII.* Iſte eſt annus CLXXX.*mus* ex quo datum eſt edictum Ottonis magni imperatoris. Ignitus lapis quaſi maſſa candentis ferri cecidit de coelo ſuper montem Briſach ante valuas eccleſiae XVII. K. Iul. hora diei quaſi VIIII. cum eſſet dies ſereniſſimus.“ Eiusmodi alia exempla lapidum ex aëre cadentium, ignitorum ſignorum & fulgurum draconis inſtar &c. in hoc chronico recenſentur. Vidique ingentem talem in eccleſia *Enſisbemenſi* in *Alſatia* ſuſpenſum ſubnigri coloris, quem ſereno coelo in terram delapſum traditio tenet.

„ quod non aliter in eis locum commanendi ha-
„ berent. In his itaque monaſteriis nec ipſa ex-
„ teriora officia per ſeculares, ſed per religioſos
„ fratres adminiſtrantur, & quanto nobiliores
„ erant in ſeculo, tanto ſe contemptibilioribus
„ officiis occupari deſiderant, vt qui quondam
„ erant comites & marchiones in ſeculo, nunc
„ in coquina vel piſtrino fratribus ſeruire, vel
„ porcos eorum in campo paſcere pro ſummis
„ deliciis computent. Ibi nempe & porcarii &
„ bubulci praeter habitum idem ſunt quod mo-
„ nachi. Tanto autem caritatis ardore omnes
„ pariter feruent, vt quilibet eorum non tam
„ ſuum, quam alienum deſideret proficuum, &
„ in exhibenda hoſpitalitate tam mirabiliter in-
„ ſudant, ac ſi ſe perdidiſſe aeſtiment, quidquid
„ pauperibus Chriſti, vel hoſpitibus non eroga-
„ uerint." Chronicon BERCHTOLDI habetur
etiam in codd. *Engelbergenſi*, & *San-Blaſiano*
eiusdem aetatis in codice incomparabili ope-
rum ex omni ſcientiarum genere quinquagin-
ta duum eadem manu, & quidem, vt ex qua-
dam picta littera initiali multi ſunt coniectati,
a moniali ſcriptorum, quum figura monialis ca-
lamum tenentis videretur in littera illa, quam
rectius alii monachi imaginem eſſe putant. Non
fuit tamen infrequens labor hic monialium et-
iam in lingua latina pro vicinis praeſertim bi-

 bliothecis

bliothecis monachorum. Talis in hoc *Murensi* monasterio insignis fuit, vt ex laudata iam amplissima eorum recensione in actis *Murensibus* constat, addente insuper eorum auctore monitum abbate dignum: „ Sunt adhuc hic multa „ alia opuscula libellorum satis vtilia, quae o„portet seruare, & meliorare, & non destruere, „ quare nos non potuimus, nec voluimus, ea „ hic sigillatim describere. Libros autem opor„ tet semper describere, augere, & meliorare, „ & ornare, & annotare cum istis, quia vita o„ mnium spiritualium hominum sine libris ni„ hil est.“ At dira incendia direptionesque, quum praesertim an. 1551. monasterium funditus destrueretur, haec fere absumserunt, & ex paucis, quae residua manserunt, hoc etiamnum seculo vetus necrologium, nescio quo fato, periit, quod superstites adhuc nonnulli monachi vidisse se testantur; atque excerpta saltem aliqua supersunt in recentiori membrana cum titulo: *Tabulae defunctorum monast. Murens. abbatum, monachorum & conscriptorum, collatione antiquorum codicum restitutae anno MDCXXIII.*

Inter libros impressos ostendunt *Murenses* biblia a. 1479. impressa, quae vsui olim ZWINGLIO fuerunt: habenturque non solum passim in margine notae eius manuscriptae, verum etiam

quaedam

quaedam mutationes in textu. Vti in celebri loco *Geneſ. III.* 15. ita ſubtiliter eraſa eſt littera *a*, eiusque loco ſubſtituta artificioſe *e*, ſcilicet *ipſe* pro *ipſa conteret*, vt, niſi manifeſtum foret ex alio eiusdem editionis exemplari, quod etiam apud *Muros* ſeruatur, vix oculus interpolationem aduertat. Quod non ideo obſeruo, ac ſi diuerſa lectio aliquid in fide immutet; chriſtianis omnibus ſerpentis antiqui protritionem Chriſto ſeruatori attribuentibus, vt tamen Catholici contra Nouatores *B.* V. MARIAE honorem deferant, quae Deiparae debetur, praecipuo ſalutis noſtrae inſtrumento: quo etiam totus contextus vexati loci adludit, MARIAM EVAE opponens.

Inter Gentiliſmi reliquias apud *Murenſes* notabile eſt thuribulum aereum quaquauerſum occluſum, praeter eminentem in medio fiſtulam mobilem, vnde fumus exurgebat; perſona habitu *Romano* ſuperius inſiſtit. De idolo, quod pariter apud *Muros* ſeruatur, eique ſimillimum *Rhinaugiae* cernitur, (eſt autem figura aenea ſtans, capite manibusque expanſis ſurſum eleuatis) ſingularem diſſertationem P. CALMET *Itinerario* ſuo *Heluetico* ſubnexuit, nihilque cauſſatus barbatam faciem, habet pro *Herto*, ſeu *Hertha*, id eſt terra matre, quae fuit celebris apud

 antiquos

antiquos dea, etiam *Ceres*, *Cybele*, *Iſis* habita. Huius nomine haud procul a *Muris* vulgo adhuc mons *Iſenberg* dicitur, nec longe inde collis *Islisberg*, aliaque eiusmodi notantur in pago *Turicenſi* nomina; quo etiam ſunt, qui referant *Luneren*, *Lunghofen* a luna, quo nomine, teſte TACITO, *Iſis* venit, cuius celebris in his locis fuit cultus, vt iam ſuperius notaui. Sed vt ad nos reuertamur, venerandosque ſodales *Murenſes*, celebrem ſuperiore ſeculo abbatem *Dominicum* TSCHVDY habuerunt, cuius multa numerant opera inter recentiores codices. Noſtra aetate Reu.mus abbas primusque S. R. I. princeps PLACIDVS, inſignis aſceta & concionator exſtitit. Cuius ſacratior eſſe apud me debet memoria, quod, haud dedignatus, e ſacro baptiſmatis fonte me leuarit. Edidit is *Spiritum duplicem humilitatis & obedientiae per varias exhortationes ſpirituales praeſentatum. Conciones panegyrico-morales.* Eius poſt GEROLDVM ſucceſſor tertius S. R. I. princeps FRIDOLINVS paucos ante annos defunctus vindicias dedit actorum *Murenſium* pro & contra P. *Marquardum* HERRGOTT, qui hyperaſpiten nactus eſt P. *Ruſtenum* HEER, in *Anonymo Murenſi denuato*, id eſt, auctore eius detecto, CHVNONE abbate *Murenſi* e *S. Blaſio*, diſtincto a genealogiſta, quem P. *Marquardus* HERRGOTT petit.

tit, quando eum a diplomatibus, documentis omni exceptione maioribus, abire deprehendit. Id quod vtique commouere haud debuerat charissimos sodales, vt si in quopiam deuiarit a vero auctor ille, fides in aliis labascat. Aliud caussantibus respondi, nec genealogiam Christi a MATTHAEO descriptam difficultatibus carere; quum tamen illic in auctore Theopneusto obsequium fidei teneat; hic vero, in argumento critico, cuilibet proferre liceat suas libere rationes, ac defendere opinionem sine offensione cuiusquam: vti solent in eiusmodi argumentis eruditi salua pace & charitate eousque in sua stare sententia, donec certius aliquid & adsertius eruatur. Quod facilius *Murenses* praestare potuerunt in genuina detegenda lectione msc. quod penes ipsos est, actorum *Murensium*, lectuque difficile est, ac abbreuiationibus scatet (vt autopti testantur, mihi enim, vtut flagitanti, videre non contigit) quam in eo, in quo maxime vertitur controuersia; quum id institutum HERRGOTTI nostri fuerit, ex diplomatum indubitata fide historiam Augustae domus *Austriacae* scribere. Haud vero obscurum est arcanum consilium, cur PEIRESKIVS, imo ipsi *Gallorum* reges per suum apud *Helueticos* pagos legatum tanta contentione hanc e latebris educere, vindicareque studuerint genealogiam contra Augustae *Au-*

ſtriacae domus genuinas ab *Habsburgicis* comitibus origines; obtinentibus tunc ſimultatibus ac litibus de ſtemmatis antiquitate cum *Auſtriacis*, tunc *Hiſpaniarum* regibus. Opportuna aderat *Murenſis* genealogia, qua principes *Auſtriaci* ſerie dumtaxat feminea, non virili, ad *Habsburgicam* familiam, maſcula vero ad *Tierſtainicam* pertinere perhibentur. Qua de re GASSENDVS in *Vita* PEIRESKII, & MABILLONIVS in *Itinere Germanico* legi poſſunt, imprimis vero *Io. Iac.* CHIFLETII *Vindiciae Hiſpanicae*, lumina item noua ad *Vindicias Hiſpanicas*. Haec dixerim ſine praeiudicio, vel cauſſae meorum ſyncellitarum, quos locus profeſſionis monaſticae, vel *Murenſium*, quos ordo communis S. BENEDICTI arcta neceſſitudine conſtringit, atque ſingularis humanitas, & in iuuandis meis ſtudiis ſolertia nunc vel maxime deuicit.

Tugium.

M*uris* 13. *Iunii* ſummo mane diſceſſimus ſacram *Eremum* B. V. petituri per pagum *Zug*, *Tuginum*, ſeu *Tugerum*, vnum ex principalibus *Heluetiae*, quos cantones vocant, vnacum *Barenſibus*, quo etiam nomine oppidum venit, vbi eccleſia vetuſta iam tempore CAROLI *Calui* aedificata eſſe dicitur. Sub *Romana* republica *Tuginos*,

ginos, quos STRABO *lib. VII. Toygenos* vocat, cum *Tigurinis* ac *Cimbris* foederatos contra MARIVM, PLVTARCHVS in *Vita* MARII a), & EVTROPIVS memorant. Oppidum ad ripam laci eius nominis iacet, quem olim lacum *Artensem* dictum ferunt. Anno 1435. pars oppidi subito absorpta aquis disparuit. Superato asperrimo monte in valle *Ægeri* ad *aquas regias*, sic nominato lacu, ob nobiles, cum LEOPOLDO *Austriaco* facientes, in illo submersos, sacrum celebraturi ecclesiam inuenimus amplam cum aedibus parochialibus non ita pridem exstructam, fundata primum parochia an. 1725. pietate & munificentia zelosi his in partibus parochi, qui, licet pauper patrimonio, parsimonia & frugalitate potuit 24. florenorum millia huic sancto operi addicere. Ex adpenso in sacristia BENEDICTI XIII. decreto de rite impendendis prouentibus ecclesiasticis facile intelleximus, quantum res ea religioso pastori cordi fuerit. Inde sumto prandio, iterato ascensu, descensuque praeruptorum montium, sacram tandem *Eremum* confluxu Catholicorum *Europae* celebratissimam tenerrima animi affectione adhuc a longe sumus venerati.

a) Lib. V. Histor.

S. Eremus B. V. ſeu *Einſidlen.*

Eam dum attigimus, expoſitis itineris noſtri cauſſis optimo principi ac abbati numeroſiſſimae monaſticae ordinis S. Benedicti congregationis, indiuiduum mox comitem accepimus R. P. *Auguſtinum* Fevrstein, bibliothecarium, nosque per vices in bibliothecam, aut in eccleſiam ſacrumque Thaumaturgae Virginis ſacellum abdidimus, ad quod nunquam niſi aegre per condenſa populi terga aditus patet, mutuo ſibi ſuccedentis, ac aliis concurrentibus dantis locum. Frequens illuc concurſus integrarum tribuum e locis etiam longinquis ſacram inſtituentium proceſſionem. Quo tempore in *ſacra Eremo* degimus, inter alios vicani *Gerſauenſes* adfuerunt, inter *Lucernates* & *Vrinates*, vbi olim *Turgouia Argouiam* ab *Alemannia* diſterminabat, ſiti, atque ad *Turgouiam* pertinebant; nunc ſupremum ius dicunt, vt principes pagi, quod, vt mihi relatum eſt, in pagorum diribitione, nulla eorum habita ratione ac memoria, ſibi relicti ſint. Sed vt ad nos redeamus noſtramque Thaumaturgam: vulgares hic ſunt explodendae fabulae de fuſco nigricanteque colore, quo obducta facies adparet, qui imaginem haud dedecorat, quin tenerrime aſpicientes adficiat, vt locum habeat il-

lud

lud Cant. Cantic. *Nigra ſum, ſed formoſa.* Contractus eſt is color ex fuligine lampadum continuo ardentium in ſacello haud ſpatioſo, media in ampliſſima, & auro, marmore, picturis ornatiſſima eccleſia.

Omne vero pretium ſuperat eccleſiae ſacra ſupellex, ac ſummorum principum piorumque fidelium anathemata Quae inter nunc ad nos ſolum attinet commemorare litterariam deuotionem doctiſſimi P. *Gabr.* BVCELINI, *Galliam* inquam *Marianam* adhuc ineditam, quam ſub nomine *Lebuini* DE RICHEMONT abs ſe compoſitam, quum editionem flagrantia tunc imperatorem inter & regem *Galliarum* bella impedirent, ſacram eſſe voluit *Eremo Thaumaturgae;* veluti autographae auctoris epiſtolae docent operi adglutinatae, quod in bibliotheca MSS. ſeruatur, quae proprium habet locum adhaerens alteri bibliothecae impreſſorum librorum ſat amplae, exurgentibus in medio pyramidibus duabus concinni operis, quarum altera numophylacium, altera curioſa quaedam naturae opera recondit. Vbi inter alia baſiliſcus, ſi in rerum natura ſit, ouo primum excluſus oſtenditur. Inter menſuras *Romanas* ſemiſextarius hemina Benedictinorum portio, quadrans *Friburgenſis*, triens *Baſileenſis* menſu-

rae

rae ſignatur, acetabulum quarta pars heminae, ſextarii pars octaua, drach. 24. ſeſquicyathus. ATHENAEO κοτυλη hemina eſt nouem vnciarum, *Graece* etiam τρυβλιον vocatur.

In magna MSS. copia quaedam ſunt inedita, e. g. B. FROWINI abbatis *Engelbergenſis* opera *De libero arbitrio*, & *in orationem dominicam*. Hunc ſuum *Einſidlenſes* eſſe contendunt, nos *San-Blaſianum* monachum agnoſcimus, *Montis angelorum*, ſeu *Engelbergenſibus* ſodalibus calculum nobis addentibus. Edidit in ſuis *annalibus Benedictinis* MABILLONIVS praefationem, vt ſtimularet ad integri operis editionem *de libero arbitrio*. Id propoſitum fuerat *Bern.* PEZIO, ac poſtea mihi, antequam opus ipſum volueram. Profeſſionis eius locum quod ſpectat, hactenus praeter teſtimonium P. *Chryſoſt.* HARTMANNI a) quem MVRERVS ſequutus eſt, nihil adferre potuerunt *Einſidlenſes*, quo ſuum eſſe probarent; quum nos demonſtremus noſtrum eſſe *San-Blaſianum* ex necrologio coaeuo *S. Blaſii*, charta item CONRADI imp. anni. 1141. in qua FROWINVS monachus *S. Blaſii* vnacum BERTHOLDO I. abbate nominatur, qui adfuerint *Argentinae*, quum CONRADVS contra ORTLIEBVM *Baſileenſem* epiſcopum *S. Blaſii* libertatem ſtabiliret. ANONYMVS noſter in *Libro*

a) in *Annal. Heremi Deip. p.* 189.

bro constructionis Frowinvm similiter nostrum testatur, cum constanti nostrorum scriptorum voce ac traditione haud minus, quam *Engelbergensium*; qua de re Bvcelinvs a) in *Germ. sacra.* certare quidem dicit *Blasianos* & *Einsidlenses*, ex *Angelomontanis* tamen monumentis eum *Blasianum* fuisse constare attestatur, atque in *Menolog. Bened. p.* 230. *Blasianum* sine ambagibus pronunciat. Quodsi Hartmannvs inde argumentum duxisset, quod autographa operum B. Frowini possideant, si inscriptionem codicis attendisset, facile dedoctus fuisset errorem; sic autem habet: *Iste liber est monasterii Montis angelorum praestitus Domino H. de Ligerz thesaurario mon. Heremytarum, & pro memoriali habetur ibidem biblia.* Vixit autem H. de Ligerz an. 1356. Saepius repetitos fuisse hos codices ceu suos ab *Engelbergensibus*, annales eorum docent, actaque congregationis *Helueticae.* Ad *Sacram Eremum* magis referendum est fragmentum, quod inscribitur S. Conrado *de secretis secretorum, de caeremoniis sacrae capellae coelitus consecratae.* Thietlandi abbatis *Eremitani* sec. X. commentaria in epistolas D. Pavli. Werneri abbatis *Eremitani* an. 1210. mortui leges sumtuariae, ad victum & amictum monachorum sui coenobii spectantes.

a) P. III. p. 40.

tes. BERCHTOLDI abb. *Erem.* liber contra errores abbatis S. IOANNIS in *Turana* valle. RVDOLPHI iuuentutis in ſchola *Eremitana* magiſtri duo libri carminum, quibus monachorum captiuitatem, atque monaſterii huius deuaſtationem ab *Heluetis Suitenſibus* an. 1314. illatam deplorat. Sermones MSS. ſuper regulam SS. P. N. BENEDICTI manu. ill. *Placidi* RAYMAN, abb. *Eremi.* Item ill. abbatis *Auguſtini* REDING *Exhortationes in regulam S. P. Benedicti.*

In codice antiquiſſimo, ex quo deſcriptionem regionum vrbis *Romae* edidit MABILLONIVS, habentur etiam, praeter varias inſcriptiones vrbis *Romae Graecas* & *Latinas*, quae ante ſec. X. ſaltem *Romae* conſpicuae erant, initioque codicis abbreuiationes antiquorum vocabulorum, ſpuria quidem at antiquiſſima *Geſta Saluatoris dñi ñri Ihu* Xρι *inuenta Theodoſio magno imperatore in Ieruſalem in praetorio Pontii Pilati, in codicibus publicis.* Item: *Excerpta de pluribus canonibus poenitentialibus.* Circa finem poſt officium 3. dierum ante paſcha, prout *Romae* celebratur, alia, vt videtur, non minus antiqua manu VICTORIA CONSTANTINI de MAXENTIO deſcribitur. ORIGENIS, EVSEBII, RVFINI presb. SS. AMBROSII, HIERONYMI, PRVDENTII, IO. *Chryſoſtomi*, AVGVSTINI,

gvstini, Caesarii, Gregorii M. Bedae, Alcvini, *Rhabani* Mavri, varia opera noni aut proxime ſequentium ſeculorum per plures codices ſparſa ſeruantur. Synodus *Carthaginenſis*, canones apoſtolorum, fides *Nicaeni* concilii; item Regulae *Ancirani* concilii, *Neocaeſarienſis*, *Gangrenſis*, *Laudocenſis* (Laodicenſis) *Cpolitani*, *Chalcedonenſis* cum epiſt. Gelasii P. Sec. circ. IX. *De vitis PP. Pars II. III. & IV.* Sec. X. *Pars* I. Sec. XII. *Omilliarium Patrum pro officio monaſtico, Pars hiemalis & aeſtiualis.* Sec. XI. *Epiſt. & Euangelia cum expoſitionibus.* Sec. fere VIII. *de virtutibus & vitiis Sacerdotum.* Sec. IX. Accedit Boetivs *de conſolatione.* Aratoris ſubdiaconi *Hiſtoriae apoſtolicae libri II.* metrice Florino abbati inſcripti:

Qui meriti florem maturis ſenſibus ortum &c.

Willerami abbatis ord. S. Bened. in Cantica.

Prologus: *Quum maiorum ſtudia intueor &c.*

Inc. opus:

Quem mihi venturum prompſerunt organa vatum &c.

Sec. circ. X. Paterivs in *Pentateuchum*, *libros regum*, *pſalmos.* Reginonis *chronicon.* Rvthardo monacho *Hirſaugienſi* inſcribitur commentarius in regulam, qui eſt Hildemari, ac incipit:

incipit: *Tres enim ſunt eccleſiaſticae diſciplinae.* De MSS. liturgicis, quae mihi promtiſſimo animo domum ferenda conceſſerunt *Einſidlenſes,* ad *Liturgiam Alemannicam* illuſtrandam, dicemus eo in opere. Tantum hic ex vno quodam *fol. num.* 18. corrigo vulgarem errorem, quo opuſculum AMALARII *de caeremoniis baptiſmi* ad CAROLVM M. ALCVINO fuit attributum. Cui nempe in laudato cod. *Einſidl.* praemittitur epiſtola ALCVINI ad ODWINVM, quae breui compendio caeremonias baptiſmi explicat; copioſior eſt vero AMALARIVS, vbi mox in MS. *Einſidl.* ſequitur, prout apud *Hen.* CANISIVM habetur.

Inter raros impreſſos libros poſt primam artis inuentionem, eminet membranaceus liber VI. Decretalium, cuius ad finem habetur: *Praeſens huius ſexti decretalium praeclarum opus non atramento, plumali canna, neque aerea, ſed artificioſa quadam adinuentione imprimendi ſeu characterizandi, ſic effigiatum, & ad euſebiam Dei induſtrie eſt conſummatum per Iohannem Fuſt, ciuem Moguntinum: & Petrum Schoiffer de Gernsheim anno Domini MCCCC ſexageſimo quinto, die vero decima ſeptima menſis Decembris.* Die 17. *Iuniii* vltimo Thaumaturgae Deiparae, poſt celebratum ſacrificium, vale dicto, ſacra *Eremo* egreſſi ſumus. In deſcenſu aſperrimi

mi montis de fonte S. MEGINARDI ſeu MEINRADI a) aqua nobis dulciſſima eſt propinata, locusque, vbi adhuc eius oratorium cernitur, in praerupta rupe digito monſtratus eſt, in quo vitam eremiticam primum egit per ſeptem annos, donec frequentiam hominum ſanctitatis fama percrebreſcente aduentantium fugiens, in interiorem eremum acceſſu difficilem ſeſe abdidit, vbi opera virorum religioſorum cellam ac aediculam ſacram exſtruxit, de qua diximus, *Thaumaturgae Deiparae Einſidlenſis.* Quae poſt mortem S. MEINRADI, quam ab impiis praedonibus ad an. 863. pertulit, frequentari coepit, vt poſtea circa an. 934. EBERHARDVS praepoſitus *Argentinenſis* primum eremiticam etiam hic vitam, deinde coenobialem concurrentibus ſociis inſtituerit, primus factus abbas. Corpus S. MEINRADI ad *Augiam* primum aduectum, vbi monachus antea erat, an. 1039. ſacrae *Eremo* reſtitutum eſt. Ad quam ſermonem iterum reduxit fontis iniecta mentio, apud quem frigida recreati

Rappeſwila.

Tandem difficillimo duarum horarum itinere pedeſtri expedito per ſublicium pontem tabulis

a) Ex illuſtri comitum de *Zolleren* proſapia.

tabulis mobilibus confectum, non ſine horrore quodam, propemodum milliare *Italicum* procedentes *Rappeſwilae* oppidum contigimus. Hoc *noua Rappeſwila* nominatur, vt a veteri diſcernatur, quae *ad fines*, ſeu in *Marca* ſita eſt, fuitque prima comitum huius nominis ſedes, a RVPERTO quodam exſtructa, qui ſub *Germanorum* rege LVDOVICO praetor cohortis militaris, ſeu dux militum ſtipendia meruit, vti in inſtrumento publico inter MSS. *Ægidii* TSCHVDY occurrit: a) amoenitate loci enim inuitatus prope

a) Integrum hic ponimus, quod etiam originem celebris apud Lucernam monaſterii prodat. „ In nomine Domini Amen. Notum ſit omnibus nobilibus & ignobilibus tam futuris quam praeſentibus, qualiter ego Wichardus & frater meus Rupertus dux militum regis Hludouici, qui nobis ex conſanguinitate coniunctus eſt, omnia praedia noſtra, quae nobis ex paterna haereditate aduenerunt, ex illius permiſſione & iuuamine diuidimus. Poſtea frater meus pro amore Dei & remedio animae ſuae ductus omnem partem ſuam, quae ad eum ſpectabat, domino ſuo regi contradidit, ea videlicet ratione, vt in caſtro Turicino iuxta fluuium Lindemaci eccleſiam conſtrueret, & ſeruitium Dei ibidem perpetualiter conſtitueret. Vnde ego Wichardus presbyter quamuis indignus ex intimo deſiderio compunctus in quodam loco, qui Lucerna ex antiquitate eſt dictus, iuxta fluuium, qui Ruſa vocatur, qui de ſummitate magni lacus fluit, in honore S. Mauritii & ſociorum eius & S. Leodegarii martyris & omnium Sanctorum paruum tugurium conſtruxi, omnemque ſubſtantiam, quae me contigit, de monte qui Albis vocatur, incipiens a praedio meo Lunguſch & omnibus

prope lacum *Tigurinum* arcem exſtruxit, quam de ſuo nomine *Ruperti villam* nuncupauit, vt in *Genealogia* ſua *Habsburgica* P. HERRGOTT refert, docetque, qua ratione RVDOLPHVS, filius GOTTFRIDI, comes *Habsburgicus* ad finem ſec. XIII. ducta filia RVDOLPHI, comitis de *Rapperswil*, relicta vidua LVDOVICI quondam comitis de *Homberg*, ſeu *Homburg*, cum aliis in dotem accepit maiorem partem ditionis *Rapperswilenſis*, cum firma reliquae partis ſtipulatione, quam WERNERVS ELISABETHAE ex priore thoro filius poſſederat. Atque ita comitatus iſte exſtincta veterum comitum proſapia vix haereditario iure ad comites de *Homburg* peruenerat, dum eodem iure per matrimonium ab hac familia deficiente ad *Habsburgi* comites deuolutus fuit, qui

locis circumquaque iacentibus ex permiſſione regis cognati mei, ad ipſum locum contradidi & meipſum illuc propter ſeruitium Dei collocaui, & tantos, quantum potui, illuc congregaui. Vnde vir quidam nobilis ac bonus ad me veniens, qui ſpretis omnibus curis huius ſeculi, quem ego ipſe monachum illuc ordinaui, nomine Alucius, ita vt pene dicam per omnia Dei amicus, prudens in ſcripturis ſanctis, qui ſuis ammonitionibus ac verbis ſalutaribus corda omnium ciuium regionis illius in Dei prouocauit affectum: inde de die in diem creſcente ſeruitio Dei ipſum Alucium mei ſucceſſorem ac rectorem ipſo loco reliqui. Datum menſe Octobris die V. Indictione XI. Regni glorioſiſſimi Hludouici anno V. actum in loco ipſo Lucernae. "

qui etiam nomen comitum de *Rapperswil* ſuum fecerunt, a quibus tandem, Ioanne nimirum *Habsburgico*, ex linea *Lauffenburgica*, *Auſtriae* ducibus diuenditus eſt. Quo tempore, ſeculo nimirum decimo quarto, *Vetus Burgum Rapperswilanum* in *Marca* ſitum a *Tigurinis* dirutum eſt, noua vrbs vero amoeniſſimo ad lacum *Tigurinum* ſitu ac munito portu hodie libertate *Heluetica* gaudet. Aliud relatu dignum haud reperi.

Fiſchingen.

Inde nos per iuga montium ad monaſterium *Fiſchingen*, olim *Piſcina*, *Augia S. Petri* dictum, contendimus, cui dum in deſcenſu praealti montis *Hoerlini* propius acceſſimus, ſtatuam in columna conſpicuam habuimus S. Iddae, quae ſeculo ſeptimo ſanctiſſime illic in eremo traduxit vitam, quum a zelotypo marito ob iacturam annuli nuptialis e feneſtris proiecta incolumis euaſiſſet. Reu.mum abbatem in ipſo monaſterio promtiſſimum inuenimus ad omnia, quae ſtudiis noſtris accommoda eſſe poſſent, haud dedignante ipſo praeſule laborem inquirendi in ſe ſuſcipere. Spem nobis amplae vindemiae fecerat vetus inſtrumentum, quod Mabillonius in *Itinere* ſuo *Germanico* notauerat: in quo recenſentur inter alia ad rem liturgicam

libri,

libri, quos monaſterio comparauerat venerabilis presbyter WALTRAMMVS, *Petrishuſenſis* monachus anno MCXXXVIII. in patrem & abbatem electus, *miſſale* ſcilicet, *euangeliarium*, *lectionarium*, *officialium*, *benedictionale*, *antiphonarium*, *pſalterium*, *regula* &c. ſed rapacitate flammarum ac iniuria temporum accidit, vt nec recenſita, nec alia etiam vetera monumenta inſtituto noſtro ſuppeterent: nec forte etiam primaeuus huius monaſterii ſtatus magnam admodum eorumdem copiam ferret, quamuis antiquitatem maximam venditet. Auita quidem traditio eſt, in loco iſto, ſiluis & montibus praecluſo, chriſtianos quosdam ex *Italia* iam initio ſeculi II. ſub TRAIANO latibulum quaeſiuiſſe, & perfugium a perſequutionis immanitate: cuiusmodi haud abſimilem monaſterium noſtrum *S. Blaſii* veterem ſeruat traditionem de perſequutione *Diocletiana*. Vnde in vtroque loco ex vita primum eremitica poſtea coaluerit ſocietas, ſuſcepto demum ſucceſſu temporis S. BENEDICTI inſtituto.

Quidquid vero ſit, cauſſantur ac dolent *Fiſchingenſes* eadem veterum monumentorum ſuorum fata, vt diximus, ac nos, apud quos indubitatum eſt, ingentem copiam MSS. in omnis generis tabulis contentorum periiſſe, vt tamen re-

ſidua ſint apud nos, aut iterum comparata, ex omnis generis raris antiquis ſcripturis litterisque vncialibus integri codices, *Merouingicis* nimirum, *Angloſaxonicis*, *Scoticis*, *Carolingicis*, *Capetianis* &c. atque ab annis plus mille continua ſerie ſeculorum praeſertim in materia liturgica a nono vſque per omnia ſecula, ſeries MSS. habeatur; quum contra in *Fiſchingenſi* monaſterio praeter *martyrologium* & nonnulla *necrologia*, variis acceſſionibus aucta, hiſtoriae patriae haud raro illuſtrandae apta, nihil repererim, quod ſeculum decimum quartum aut decimum quintum excedat. Quae inter nonnullae Sanctorum vitae ſunt lingua *Teutonica*: veluti S. THOMAE *Aquinatis*, in cuius fine ita habetur: *Diſ buch hat ze tütſche bracht, gemacht, und geſchriben pfaff Eberhard von Rapreſwil Kilcher ze Sonen* 1418. In Mſc. papyraceo an. 1438. habetur vita *Germanica* comitis EBERHARDI de *Nellenburg*, fundatoris monaſterii in *Schafhauſen*, & ELISABET filiae regis *Vngariae*. Vergente ſeculo ſuperiore celebris fuit editis multis libris *Latina* & Vernacula lingua abbas IOACHIMVS. Vidi in hoc monaſterio in depoſitum datam imaginem crucifixi in achate naturae quidem miraculo, vt volunt. Lapidem hunc LVDOVICVS XIV. *Galliarum* rex pro ſumma viginti quinque corona-

torum

torum mill. comparare non potuit, oblata etiam poſſeſſori charta *bianca*, quam vocant, ſeu alba, pro gratia, quam vellet, ſcribenda, nunc vero venalis proſtat. Gemma eiusmodi *Viennae* inter cimelia theſauri caeſarei ſummo pretio habetur; a) ſimilis eſt, quam COLERVS b) tempore IOANNIS FRIDERICI electoris *Saxoniae* repertam narrat, quae Chriſtum crucifixum cum SS. MARIA & IOANNE adſtantibus exhibet. Videantur quae infra dicemus tit. *Stutgardia*.

S. Galli monaſterium.

F*iſchingae*, quum nihil praterea reperiremus, quod ſtudiis noſtris congrueret, mox altera die iter ad celeberrimum *D. Galli* archiſterium direximus. Ad quod dum per vrbem cognominem, quae iam ante defecerat ab imperio *San-Gallenſis* principis, quam religionis catholicae iugum excuſſerat, accedere neceſſe fuit, ingemui, ampliſſimum monaſterium principe in loco adeo in arctum conſtringi, aegre an. 1567. muris altis quidem 32. pedibus & clauſtro obtentis, quum prius ſepe tantum ſeparaRetur, eadem cum vrbe clauſum porta. Nihil tamen anguſtiae hae impediunt, quo minus omnia magni-

a) Vid. LAMBEC. Bibl. Caeſ. T. I. p. 25.
b) *De piſcibus* c. 8.

gnifice inſtructa compareant, nouisque exornentur aedificiis. Cuiusmodi baſilica pictoria aeque ac ſtatuaria arte ornata exurgit, quam inſtaurat nunc princeps celſiſs. COELESTINVS II. nomen ac dignitatem ſuſtinens *Coeleſtini* SFONDRATI, in ſacrum poſtea purpuratorum *Rom.* eccleſiae cardinalium album adſumti, compluribus libris editis celebris, aliis adhuc manuſcriptis apud *S. Gallum* ſeruatis. COELESTINVS vero iam *ſecundus* immortalem ſibi apud ſuos memoriam promeruit, rebus compoſitis cum epiſcopo *Conſtantienſi*, vindicata ſibi, quam in ſuo territorio exercet, iurisdictione eccleſiaſtica quaſi epiſcopali, transactioneque ſolemni cum primoribus *Heluetiae* (vbi primum princeps *San-Gallenſis* inter foederatos cum pagis *Helueticis* tenet locum) ad officium reuocatis refragariis in comitatu *Doggenburgenſi.* Litterarum, litteratorumque cultor inſignis me ad audientiam indulgentiſſime admiſſum docto ſuauique colloquio detinuit, accerſitumque bibliothecarium veteranum ac ſolertiſſimum P. *Pium* KOLB ſtudiis meis adeſſe voluit. Paratum is mox attulit catalogum MSS. abs ſe digeſtum, notisque illuſtratum: quem ardenter expetit noua academia litteraria *Boica*, nuper adnata, accito etiam ſocio P. PIO, ea conditione, vt pro doctrinae eruditionisque ſpecimine, in eiusmodi ſocie-

cietatibus ad annum & dies peti solito publici iuris faciat catalogum hunc MSS.

Documento is est sua amplitudine, non obstantibus incendiis & direptionibus, maxima adhuc copia omnis generis optimae notae manuscriptorum bibliothecam *San-Gallensem* esse instructam, vbi a prima fere origine litterarum studia floruerunt, in quibus nec ipse S. GALLVS, aut S. OTHMARVS peregrini fuerant. Exstat S. GALLI sermo dictus in consecratione IOANNIS episcopi *Constantiensis* apud CANISIVM a) & in bibliotheca maxima PP. b) Ex eius vita scripta a *Walafrido* STRABONE, RATPERTO, & BVRCHARDO de casibus monast. S. GALLI, *Notkero* BALBVLO c) in GOLDASTI scriptoribus rerum *Alemannicarum* palam fit, eum in munere praedicandi tum infidelibus quum etiam fidelibus, quo parochos in *Turgouiae* pago, & ad lacum *Acronianum*, *Arbonae* imprimis iuuabat, elaborasse strenue primum sub S. COLVMBANO, a quo in *Italiam* abeunte in his partibus aegre relictus fuerat, indiuiduus antea eius socius, atque sanguine etiam iunctus, vt in veteri breuiario Sec. XII. lectiones habent his verbis: *Tempore, quo B. Columbanus cum verae lucis praecone Gallo, iure consanguinitatis*

F 5 *sibi*

a) Ed. *Basnag.* T. I. p. 781.
b) T. V. P. II. p. 893.
c) Bibl. PP. ed. *Lugd.* T. IX. p. 1046.

ſibi propinquo, per totam Hiberniam verbo praedicationis inſudauit, quidam Magnoaldus &c. Quum Fridbergam Gvnzonis ducis *Alemanniae* filiam a daemone liberaſſet, eaque poſtea Sigeberto *Francorum* regi nupſiſſet, hic vicina cellae ſancti viri, vbi celeberrimum nunc ex eius nomine floret hocce monaſterium, bona tradidit, quae magis magisque deinceps poſt eius mortem, fama ſanctitatis eius & diſcipulorum creſcente, ſunt aucta, vt publica docent inſtrumenta ac diplomata a ſeculo vsque ſeptimo, quo vixit: cuiusmodi vnum tantum hic adſcribam, ex archiuo *S. Galli*, quod in *Genealogia diplomatica Habsburgica* non exſtat, vbi demum ex Sec. VIII. & ſeqq. magna eorum habetur copia, ex huius monaſterii archiuis, quae nimirum ad rem erant. „Partem eccle-
„ſiae noſtrae quae dicitur *Raudenleim*, vbi Lan-
„darivs presbyter eſſe praeſens videtur, Ebo
„& coniugis mea Odalsinga & Alodoes a-
„liqua de rebus ſuis admirmauerunt & tam
„tradiderunt ad *S. Gallum* terris, caſis, caſalis,
„mancipiis cum caſatis: campis, pratis, viniis,
„ſiluis, paſcuis, aquis, vel aquarum decurſi-
„bus, mobilis & immobilis, quidquid in *Vach-*
„*cinchoua* & in *Laidoluinchoua*, *Bodinchoua* ica-
„gimus omnibus, & ex omnibus ad ipſum *S.*
„*Gallum* tradimus, a die praeſente habeat, te-

„niat,

„ niat, qui exinde faciri voluerit ad poſſidendum habiat poteſtatem, ſiquis vero ego aut „ nos ipſi, aut haeredes noſtri, aut nulla oppoſita perſona, qui contra hanc firmitatem ita „ veniri timtauerit, inferat mulcta ipſo ſancto „ auri libram vnam, argenti pondos duos, & „ nihilominus donatio iſta omni tempore firma „ & ſtabilis permaniat, ſtipulatione ſubnexa. „ Actum in *Vahcinchoua* villa publici. Sig. EBONIS & coiouis meae OODALSINDAE, qui fieri rogauit. Sig. WOLFFARO † BERTARIO † „ AIMONI VVANINCO † TERETMARO † BERNO „ comitis † CONLEVSOTES † AVTTINI † DODONI. Ego LANDARIVS presbyter roitus ſcripſi. „ Data VII. idus ſept. anno X. regni domini „ noſtri ILDIRICI riis.“ Stilus ſatis & donationum genera produnt antiquitatem diplomatis, atque anni CHILDERICI regis (*Ilderici riis*) regni, qui reſpondent fratri CLOTARIO III. filio CLODOVEI II. vergente ſeculo VII. quo mediante obierat S. GALLVS, eius diſcipulis ſanctum in eremo proſequentibus inſtitutum, donec ſeculo octauo ineunte regula S. BENEDICTI ſub S. OTHMARO abbate introduceretur. Fuit is coaeuus S. BEDAE, quem ferunt litterarum magiſterium in hoc monaſterio ſuſcepiſſe, idque P. PIVS in praefatione catalogo praemiſſa adſertum it; etſi ſint, qui eum nec unquam ex

Anglia

Anglia pedem tuliſſe exiſtiment: ſecus ac de ALCVINO BEDAE diſcipulo conſtat, quem etiam in monaſterio *S. Galli* aliquamdiu degiſſe auctores tradunt. Qua de re quidquid ſit, conſtat, ſub primis *San-Gallenſibus* abbatibus magis magisque effloruiſſe ſtudia, ac ſcholam *San-Gallenſem* inter celebriores ſemper habitam cum aliis, in monaſteriis ordinis S. BENED. paſſim excitatis: de cuiusmodi ſcholis LAVNOIVS ſingulari libello egit, hocque *San-Gallenſibus* merito laudi tribuit. Opus hanc in rem fuit librorum adparatu, qui in ipſo monaſterio quotidie auctus fuit; tum ſtudio ſcribendi libros, quae monachorum ante inuentam typographiam praecipua ſemper fuit cura, atque in laudato catalogo celebres in arte ſcriptoria *San-Gallenſes* monachi magno recenſentur numero; quum etiam aliunde comparatis libris, vt coniicere eſt ex variis codicibus variarum nationum charactere exaratis.

Pretio & aetate omnes ſuperant fragmenta, ſeu paruus codex *San-Gallenſis* in papyro *AEgyptiaca*, Homil. S. AVGVSTINI, & lib. ISIDORI, vti ex fine patet: *Explicit liber dni* ESSIDERI. Sequuntur homiliae duae ad monachos. Scripta haec ſunt, vti alius membranaceus, ex integro vncialibus litteris, quales in noſtro D.

Blaſii

Blasii monasterio duos optime conseruatos tenemus, secus ac *San-Gallensis* sit; quod inde forte est, quia vsui quotidiano officii diuini fuit, vtpote homilias seu sermones per circulum anni complectens. Mentionem faciens MABILLONIVS a) huius *San-Gallensis* codicis, eum a mille annis scriptum dicit. In re antiquaria experientissimi duumviri e congregatione *S. Mauri* b), qui nouum tractatum diplomaticum adornant, ita de huiusmodi manuscriptis iudicant: „In „manuscriptis, quae per integrum litteris ca„pitalibus exarata, quatenus ab vncialibus di„stinguuntur, posteriora seculo octauo haud „sunt. Ipsa vncialia, nisi sacrae scripturae par„tem conficiant, aut ad vsum officii diuini per„tineant, vel cuiuspiam principis, saltem se„culi octaui erunt. Qualiscunque fuerit co„dex, totus vncialibus litteris, anterior fine se„culi decimi iudicandus est.“ Alibi testantur c), ad finem seculi sexti, seculo septimo, & ad medium seculi octaui plerumque litteris vncialibus scribi consueuisse. S. HIERONYMVS eiusmodi codicum meminit in praefat. in IOB: *Habeant*, inquit, *qui volunt, veteres libros, vel in membranis purpureis auro argentoque descriptos, vel vncialibus, vt vulgo aiunt, litteris onera*

a) p. 99. de *Liturgia Gallic.*
b) P. II. Sect. III. c. 7. T. II. p. 401.
c) C. 10. p. 512.

nera magis exarata quam codices. Recens *Anglus* criticus D. CASLEVS pro *vncialibus*, *initialibus* legendum hic vult, atque etiam nouiſſimi editores operum S. HIERONYMI notant, in duobus aut tribus codicibus lectionem eam haberi. Sed ſolertiſſimus ASSEMANNI ea de re conſultus rogatusque in MSS. *Vaticanis* conſtanter priorem lectionem ſe deprehendiſſe eſt atteſtatus.

Redimus ad codicem antiquiſſimum *S. Gallenſem*, qui detritiores habet litteras, vt iis paullatim fugientibus, conſultum eſſet, ex integro eum deſcribi. Nos per otium ſeriem ſaltem damus, quae primo per titulos exhibetur, praemiſſo S. AVGVSTINI nomine a), ſed etiam

a) Incip. *Capitola de humilias* &c. Poſtea: *Incipit humilias* &c. I. *Inpt Int. de pſalmis, quare pſalmi dicuntur* &c. ℟. *Quia per pſalterium* &c.
De natale Sci Laurentii Martyris: beatiſſimi Laurenti martyres cuius natale hodie celebramus.
S. Ioannis Baptiſtae. In Sci ac beatiſſimi Ioannis laudibus.
Sequentia cuius ſupra Ioannis. *Incipit*: Sci Iohannis baptiſtae natalem.
De natale Sci Euſebi epi Vercellenſis. Ad Sci martyris Euſebii laudem aliquid addere.
De depoſitione vel natale cuius ſupra Euſebii. Depoſitionem Sci Euſebii hodie celebramus.
Petri & Pauli. Notum omnibus vobis eſt frẽs & vniuerſo mundo notiſſimum, quod &c.
De natale Sci Cypriani. Sci Cypriani feſtiuitatem ſicut omnibus notum eſt hodie celebramus.

etiam quaedam ad S. CHRYSOSTOMVM atque alios ſanctos Patres pertinere videntur, quod inquirere per otium tunc non licuit, aliud agentibus

Sequentia. Ante dies cum beatiſſimi martyris Cypriani celebraremus natalem.

De paſſione vel natali Scorum id eſt Octaui, Aduentij, Solutoris, & Aurini. Cum omnium Scorum martyrum frēs deuotiſſime celebrare debeamus, praecipue &c. qui in noſtris domiciliis proprium ſanguinem profuderunt &c. ſemper enim nobiscum ſunt, nobiſcum commorantur, hoc eſt in corpore nos viuentes cuſtodiunt.

De gratia baptiſmi. Quia conſtat, ſicut ante dies proſecuti ſumus, Ihm Chrm non ſui cauſſa baptizatum &c.

De natale martyrum. Dignum & congruens eſt frs, vt poſt laetitiam beatae paſchae, quam in eccl. celeb. &c.

De natale Scr. Canti, Cantiani, & Cantionillae. Hodie beatiſſimorum &c.

Item de natale Scorum. Si quantum me neceſſe eſt dicere & vos oportet &c.

De eo quod ſcriptum eſt in actibus apoſtolorum de Cain & Anania. Legimus in libro, quod apoſtolorum actibus adſcribitur, tantam ſub memoratis viris deuotionem.

De auaritia Ananiae. Retinet dilectio veſtra frs ante dies cum plebis eius, quae ſub &c.

Exhortatio ad plebem & de eo, quod ſcriptum eſt in evangelio ſicut fulgora deſub coelo ita erit aduentus filii hominis. Et de duobus in lecto vno. Paucorum admodum dierum occupatione detentus coetu veſtro videor defuiſſe, & alterius eccleſiae neceſſitatibus euocatus.

Item Sequentia. Superiore dominica capitulum euangelicum diſſerentes partem aliquam &c.

tibus nec copiam librorum ad manum habentibus. Alius codex ſingularis *pſalterium* continet totum litteris aureis perſcriptum. Item *pſalterium* praeſtantiſſimum, quod in fronte ſequens diſtichon praefert:

Hunc praeceptoris HARTMOTI *iuſſa ſecutus*
FOLCHARDVS *ſtuduit rite parare librum.*

Fuit

De hoſpitalitate. Legimus in libro Geneſis, quod Abraham tribus ſuperuenientibus viris &c.

De elymoſinis & vbi ſedit dns Ihs ſuper portam Samariae. Dicit Scriptura diuina, ſicut aqua extinquet peccatum &c.

Praefatio vel increpatio ad plebem. Libenter nos praedicare &c.

De grano Sinapis. Dicit dns in Sco euangelio ſicut lectio &c.

Sequentia de grano Sinapis. Superiore dominica parabola &c.

De id quod ſcriptum eſt reddite quae Dei ſunt, & de militantibus. Nonnulli frs, qui aut militiae cingulo detenentur &c.

Sequentia. Reprehendimus ante dies negotiationem clericos exercentes &c.

De eo quod propheta ait ad filius Iſrael caupones veſtri miſcent aqua vino. Non incongrue ante dies proſecuti ſumus &c.

De pſalmum XXI. & de paſſione dni. Pſalm qui lectus eſt ſeriem decurſuri diligenter prius debemus intendere &c.

De defectione lunae. Et ipſe videtis fratres, quod mea non ceſſat humilitas omni circa vos ſollicitudine laborare &c.

Sequentia. Ante dies proſecuti ſumus frs aduerſus illos &c.

De eo quod ſcriptum eſt, facilius eſt camelum per ſo-

Fuit HARTMOTVS abbas *San-Gallensis* seculo nono vergente, quippe qui obiit an. 883. sub cuius successore maxime FOLCHARDVS floruit.

Ante

ramen acus introire &c. Dicit in Sco euangelio dns Ihs Chrs amen dico &c.

De eo quod scriptum est simile est regnum Dei firmento. Et ipsi scitis frs quod ex qua die vobiscum esse cepi &c.

De hospitalitate in euangelio. Aduertit sanctitas vestra &c.

De ieiuniis initio quadragesimae. Testimonium perhibet Sanctus apostolus de prophetis dicens: tempore inquid acceptabili &c.

Sequentia, & tempore ieiuniorum non luxuriando. Diximus superiore domineca hoc esse fidei nostrae opus &c.

De die sco paschae, & de cruce dni. Sci famulae fuerunt &c.

De cruce & resurrectione. Diximus hesterna die, quod crux Dni salutem generi contulerit humano &c.

Sequentia de sepulchro dni Saluatoris. Fortasse qui dicat &c.

De pentecosten & de psalmo dixit dns dno meo. Nosse credo vos fratres, quae sit ratio &c.

De eo quod scriptum est in euangelio dicente: Vulpes foueas habent & reliqua. Si diligenter animaduertit &c.

Increpatio ad plebem, & de eo quod scriptum est in euangelio, qui habet dabitur ei, & cantabimus vobis & non saltastis. Frequenter studeram apud meipsum &c.

Vbi dns Sabbato manum aridam curauit. Diligenter audire vos credo frs euangelicam lectionem.

De pentecosten. Scire debet Scas vra hanc Scam pentecosten &c.

Ante HARTMOTVM vero GOSBERTVS electus in abbatem an. 816. & GRIMALDVS seu GRIMOLDVS an. 841. rem litterariam *San-Gallensem* imprimis

De die epiphaniorum & de euangelio vbi dns baptizatus est, & de psalmo XXVIII. Dies epiphaniorum graeco nomine &c.

De eo quod scriptum est in euangelio hominis cuiusdam diuitis fructus vberis ager attulit. Duplex est temptationum species &c.

De eo quod scriptum est, qui maior est in regno coelorum. Si diligenter audistis euangelicam lectionem intellegere potestis, quae ministris ac sacerdotibus Dei reuerentia debeatur &c.

De duabus nauiculis in euangelio. Quantorum mirabilium operator sit dns Ihs Chrs.

De accusato dno ad Pilatum, & Susanna. Mirum forsitan videatur vobis frs, cur dns apud praesidem Pilatum &c.

Item sequentia. Ante dies persecuti sumus Scae Susannae.

Item sequentia. Retinet dilectio vestra nos hoc proxima dominica praedicasse, quod Iudas &c.

Dicendum ante natale dni. Laetitia quanta sit, quantusque concursus cum imperatores mundi istius natalis celebrandus est &c.

Sequentia de natale dni veniente. Satis abundeque dixisse me credo superiore domineca, quemadmodum compti vel nitidi natalem dni suscepere debeamus &c.

De natale dni nri Ihu Chri. Bene quodammodo Scam hanc diem natalis dni solem nouum vulgus appellat &c.

De Calendis Ianuariis. Est mihi aduersus plerosque de vestris querela non modica. De his loquor.

De Sca epiphania. Plerique in hac Sca epiphaniae die.

Dictum post epiphaniam. Ad omnes vos fratres praedicationem &c.

primis promouerunt. Habentur inter MSS. *San-Gallenſia Excerpta ex omnibus operibus* S. AVGVSTINI *epi.* in fol. ſcripta tempore GRIMOLDI

Item de quadrageſima. Superiore dominica &c.
Sequentia. Retinent adhuc ſenſus veſtri frs nos hoc ſuper &c.
Item ſequentia. Intellixiſſe vos credo fr. cur haec &c.
Item ſequentia. Non vſque adeo contriſtari debemus &c.
De ieiuniis & eleemoſynis. Non dubito fratres contriſtari vos &c.
De hoſpitibus (hoſtibus) *magis ſpiritualibus, quam carnalibus metuendis, & poſt cibum Deo gratias referendas &c.* Frequenter admonuimus frs, vt dum licet, dum tempus eſt &c.
Item Sequentia. Satis abundeque dixiſſe me credo ſuperiore domineca ad correptionem eorum, qui diuinis &c.
De latrone. Iam heſterna die de latrone fecimus mentionem.
Item ſequentia. Meminit fr. veſtra dilectio me dediſſe rationem cur tantorum criminum inueteratus latro &c.
Item ſequentia. Diximus frs quod ad ſimilitudinem Euae &c.
Item ſequentia. Adſtruximus ſuperiore domineca S. Petrum &c.
Praeparatio de corpore dni. Heſterna die ſatis accepiſſe vos credo frs dlmi tractantibus domni & patris noſtri praeſentis epiſcopi, qui tanta facundia &c.
Increpatio ad populum. Cum ſemper fratres non ceſſarim, vos paterna pietatem corripere.
Poſt increpationem allectatio. Amarior fortaſſe fuerat &c.
De ieiuniis Niniuitarum. Legimus in prophetis cum in Niniue ciuitati ſubuerſo diuinitus &c.
Item ſequentia. Diximus ſuperiore domineca Niniuitas in tribulatione fuiſſe &c.

DI abbatis. Eidem PAMELIVS adſcribit *Librum ſecundum Sacramentorum S. Gregorii in ſupplementi modum compoſitum*, MENARDVS ROTRADO,

De Barbaris non timendis, qui dnum timet, & de Sco Heliſeo. Saepe dixiſſe me memini, quod hos tumultus &c.

Sequentia. Mirum forſitan videatur, quod ante dies Sci Heliſei &c.

De tumultibus bellicoſis. Mouet fortaſſe vos fratres, quod tumultus &c.

Sequentia. Meminit veſtra dilectio hoc nos ſuperiore domineca &c.

De ſeruo centurionis in euangelio in dedicatione baſilicae. Legimus in euangelio cum centurionis &c.

De Iohanne Baptiſta. Diximus ſuperiore domineca cum ſilentii non veniam peteremus, quod pro ſalute commune &c.

Conſolatio ad populum. Deberem fratres poſt hos complures dies aliquid nuperius praedicare &c.

De eleemoſynis. Retinet veſtra dilectio ante dies cum ſermonem ad vos de eleemoſynis faceremus &c.

De Maria Magdalena. Haeret adhuc ſenſibus veſtris hoc nos ante dies pauciſſimos praedicaſſe, quod Mariam Magd. &c.

De haereticis peccata vindentibus. Semper meminiſſe & ante oculos habere debemus fr. dl. quod dns Iſs Chrs ideo ad terram &c.

Quod non debent Clerici negotiari. Reprehendimus ante diem negotiationem clericos exercentes &c.

De eo, quod propheta ait ad filios Iſrael Caupones veſtri miſcunt aquam vino. Non incommode ante dies perſecuti ſumus functionem hanc ſacerdotalem &c.

Dictum ante natale dni. Etiamſi ego taceam frs tempus nos admonet, quod dni Chri natalis in proximo eſt &c.

De natale dni Saluatoris. Proxima dominica dilectionem veſtram admonuimus fr. de diei huius aduentu &c.

do, Mvratorivs vero Alcvino tribuit. Libris *liturgicis* nitidissime scriptis abundat imprimis bibliotheca *San-Gallensis*, aureis plerumque initialibus litteris: quos inter eminet *Liber lectionum euangelicarum* per anni circulum Sec. IX. circiter, auro gemmisque ornatus, vbi in opere anaglyptico ex ebore assumptio B. M. V. expressa est cum inscriptione *Ascensio S. Mariae*. Talis in nostra bibliotheca est eiusdem aetatis

Dictum post natalem dni Saluatoris. Laetitia natalis dominici fratres adhuc corda nostra &c.

De Sca epiphania. Intelligere possumus quantam gratiam Christo dno debeamus, quia vota votis &c.

Sequentia. Retinet vestra Sanctitas, quod in die B.*mae* epiphaniae &c.

Commonitio quod instet consummatio seculi & de idolis auferendis. Et ipsi scitis fratres quod non desinam &c.

De eo quod scriptum est, sicut tuba exaltat vocem suam & adnuntia populo meo peccata eorum. Ante diem prosecuti sumus necessitatem nobis &c.

Sequentia. Superiore dominica prosecuti sumus Hiericho muros tubis sacerdotalibus expugnatos &c.

De Zachaeo. Frequente frs dl. huius euangelici capituli parabulam praedicere volueram &c.

Sequentia. Superioris dominicae tractatu credo diuites quoque laetari & gratulari eos &c.

De nat. dni. Qua gratia vel quibus laudibus hac die natalem dni praedicemus &c.

De Calendis Ianuariis. Bene quodammodo Deo prouidente dispositum est, vt inter medias gentilium festiuitates Chrs Dns oriretur &c.

Excepto alterius in hebdomada paschae. Feliciter in nomine dni. *Deinde vt supra de die dominica ascen-*

aetatis *Liber Sacramentorum S. Gregorii, Romae* ex authentico bibliothecae cubiculi descriptus, argento & ebore magnifice compactus; vti & *Liber Euangeliorum* in argentea theca miri operis inclusus, & ad sacrarum processionum vsum etiamnum apud nos adhiberi solitus. Notabilis etiam est *San-Gallensis* codex *quatuor Euangeliorum* in vnam narrationem contractorum, seu harmonia IV. euangeliorum, cum praefatione S. VICTORIS episcopi *Capuani*, qui seculo sexto floruit. Habetur autem in laudato codice cum translatione veteri *Theotisca*, vnde redintegrari queat similis SCHILTERI in *Antiqq. Teuton.* vltra dimidiam partem mutila editio. Folia quaedam possidet nostra *San-Blasiana* bibliotheca *Euangeliorum*, litteris vncialibus prae vetustate multum detritis, superposita passim explicatione *Theotisca* antiquissima manu.

sionis. Celebratis hactenus mysteriis scrutaminum inquisitum est &c.
In prima die in pascha. De Sacramentis, quae accepistis sermonem adorior &c.
Sequentia. In diluuio quoque figuram Baptismatis &c.
Sequentia. Hesterno die de fonte disputauimus &c.
Sequentia. In veteri testamento sacerdotes frequenter &c.
Sequentia. Hesternus sermo noster atque tractatus vsque ad Sci altaris Sacramentum deductum est &c.
De die dominica. Summa praeteritae solemnitatis festis praesentibus continentur &c.
De Pentecoste. Cum & solemnitas diei &c.

Inscribitur:

Variae homiliae & tractatus S. Augustini.

nu. Apud *San-Gallenſes* antiquiſſimus eſt codex *quatuor Euangeliorum Graecus* cum verſione interlineari *Latina*, omiſſa quidem hiſtoria de adultera apud IOANNEM, ſpatio tamen relicto. *Quatuor euangelia* item ſeparatim alio in codice, & *euangelium S. Ioannis Scotice* ſcripta, qui ſingularis eſt character, vix hactenus apud antiquarios notus. Soli adhuc duo ſuperſunt codices ex pluribus, quos NOTKERVS ſec. IX. in ſuo catalogo *Scotice* ſcriptos ſingulariter deſignat his verbis: *Libri Scotice ſcripti. Metrum Iuuenci. In Vol. I. Epiſt. Pauli in Vol. I. Acta aplorum in Vol. I. eplae canonicae VII. Vol. I. Tractat. Bedae in prouerbia Salom. in Vol. I. Ezechiel proph. in Vol. I. IV. Euangelia. Euang. ſcdm Ioh. in Vol. I. Enchiridion Aug. in Vol. I. Item Iuuenci metrum in Vol. I. Apocalypſis in Vol. I. Metrum Sedulii in Vol. I. De gradibus eccleſiaſticis in Vol. I. Arithmetica Boetii Vol. I. Paſſio S. martyrum Marcellini & Petri. Metrum Virg. in Vol. I. Eius gloſſa in altero. Quaternio I. de inuentione Sci Stephani. Quat. I. de relatione translationis Sci Galli in nouam eccleſiam. Bedae de arte metrica in quaternionibus. Inſtructio eccleſiaſtici ordinis in codicillo I. lib. I. Geneſis in quaternionibus. Acta apoſtolorum & Apocalypſis in Vol. I. veteri. Quaternio I. in natali Innocentum legend. Orationes & ſententiae variae*

in Vol. I. Orationes in quaternion. Expoſitio in Cantica Cant. in quatern. II. Item in Regum quat. I. Quanto autem in pretio fuerint libri ſic ſcripti, vel inde patet, quod poſtea in eodem catalogo notetur, CAROLVM M. vnum *Scotice* ſcriptum pro dono gratanter accepiſſe.

Codices duo, qui adhuc ſuperſunt apud *S. Gallum* integerrimi, characterem praeſeferunt ſec. VIII. litteris eleganter pictis, verbis tamen paſſim adhuc coniunctis, ſine interpunctionibus fere, praeter punctum medium in fine periodorum cum littera ſubſequenti ſemper maiuſcula vnciali, quales per contextum etiam frequentes ſunt mediis in vocibus. Initio autem litterae ſunt, quae optimo iure quadratae vocantur, quarum alphabetum in *Chronico Gottwicenſi* ex codice *Fuldenſi* edidit Reu.mus abbas BESSELIVS, atque poſt eum auctores noui tractatus diplomatici; qui quidem teſtantur, vnam & alteram potius eiusmodi litterarum in antiquiſſimis monumentis nonnunquam reperiri, quam integrorum ſcriptorum reliquias. Eiusmodi tamen fuiſſe tempore NERONIS ex PETRONIO probant, qui quaedam nobis veteris inſcriptionis, litteris quadratis pictae, verba conſeruarunt mox laudati auctores. In noſtris ſchedis nullae eiusmodi capitales habentur, vti in *San-Gallenſi* codice,

ex

ex quo ſpecimen damus (Tab. IV.) pro *Scotica* ſcriptura. Alterum (Tab. V.) ex noſtrae bibliothecae ſchedis exhibemus, quas nuper librorum compacturis adglutinatas detrahi fecimus, lacinias operis grammatici. *Latina* verſio in codicibus *San-Gallenſibus* non raro a *Vulgata* abit; nam in primo mox S. MATTHAI capite, vbi nos legimus *primogenitum*, habetur *vnigenitum*. In inſigni codice bibliorum ſeculi circiter IX. 1. *Ioan. V.* 7. deſideratur verſus: *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in coelo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt*, pariter ac in celebri *Tigurino* codice, quem *Carolingicum* vocant, de quo ſupra. In altero codice *San-Gallenſi* deſideratur quidem hic verſus in contextu, adſcriptus eſt autem in margine. Neutiquam vero hypercriticorum *Richardi* SIMONII & *Io.* CLERICI valet cenſura, qui verſum illum ab ignorantibus librariis ſuppoſitum volunt. Quandoquidem CASSIODORVS, quem adhibuiſſe ſcimus antiquiſſimos correctiſſimosque S. ſcripturae codices, explicat eum locum, vt conſtat ex codice ſec. VI. ex quo ill. MAFFEIVS edidit an. 1720. *Complexiones in epiſtolis apoſtolorum*, vbi legitur: *In coelo autem Pater, & Filius & Spiritus ſanctus: Et hi tres vnus eſt Deus.* Quin imo S. CYPRIANVS *de v-*

nitate ecclesiae hunc versiculum respicit, dum ita habet: *Et iterum de Patre & Filio & Spiritu Sancto scriptum est: Et hi tres vnum sunt.* Et in epistola ad IVBAIANVM: *Cum tres vnum sint*, ait, *quomodo Spiritus sanctus placatus esse ei potest, qui aut Patris aut Filii inimicus est?* At omnium luculentissime S. HIERONYMVS ex aduerso ab infidelibus potius translatoribus omissam esse istam pericopam testis nobis est, quam intrusa ab imperitis dici possit: inter alia enim interpretum fidem desiderat: „Illo „(verba ipsius recito) praecipue loco, vbi de v„nitate Trinitatis in prima IOHANNIS epistola „positum legimus. In qua etiam ab infideli„bus translatoribus multum erratum esse a fi„dei veritate comperimus, trium tantummodo „vocabula, hoc est, Aquae, Sanguinis, & Spi„ritus in ipsa sua editione ponentibus, & Pa„tris, Verbique ac Spiritus testimonium omit„tentibus, in quo maxime & fides catholica „roboratur, & Patris, ac Filii ac Spiritus san„cti vna Diuinitatis substantia comprobatur.“

Integrae adhuc seruantur in bibliotheca *San-Gallensi* KERONIS monachi *San-Gallensis* sec. VIII. glossae seu explicatio vocabulorum sacrae scripturae lingua *Theotisca*, cum aliis eiusmodi codicibus sec. IX. X. ac sequentium, tum

in

in ſacram ſcripturam, cum alias ad illuſtrandam veterem linguam *Theotiſcam* plurimum facientibus. E. g. NOTKERI III. *pſalterium barbaricum* inſcriptum: *Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum.* Der. man. Iſt ſälig. dero. argon. rät. ne gegieng. Regula S. BENEDICTI ſec. VIII. cum verſione *Theotiſca.* Haec a SCHILTERO publica luce ſunt donata. Eadem lingua in codice ſec. X. vel XI. BOETIVS *de Conſolat. Phil.* Item *Organum Ariſtotelis*, non tamen ad verbum expreſſa translatione, ſed opere diſcipulis accommodato. *Martianus* CAPELLA *de nuptiis Philologiae & Mercurii.* Auctorem verſionis antiquiſſimae *Notkerum* LABEONEM, monachum *S. Galli* fuiſſe, veriſimillimum eſt. *Harmoniam IV. euangeliorum* AMONII SCHILTERVS in ſuo *Theſauro antiquitatum Teutonicarum* publici iuris fecit quidem, ſed mancam admodum & abortiuam: deſunt quippe 77. capita, videlicet a cap. 76, vſque 153. Ea integra habetur in cod. *San-Gallenſi* ſec. IX. In fine codicis *liturgici*, cuius character ad *Merouingicum* accedit, atque a litaniis orditur, oratio dominica, & ſymbolum lingua *Theotiſca* ſcriptum reperitur. Additur nomenclator linguae *Theotiſcae* in codice quodam *S. Galli*, qui continet computum HILPERICI, *Rhabani* MAVRI item, qualis imprimis Ven. BEDAE in pluribus codicibus habetur.

betur. Quos inter notandus circa ſec. IX. ſcriptus, qui non reſpondet perfecte illi, qui *Coloniae* 1688. eſt editus, habetque inter alia etiam feſtum S. OTHMARI poſt BEDAM mortui.

Dici non poteſt, quantum ex hac MSS. bibliotheca inſtructiſſima ad SS. PP. editiones ornandas, augendasque conferri queat, imprimis S. AVGVSTINI, quum paſſim eius editiones, quae hactenus emanarunt, ſugillentur; haec autem bibliotheca magnam eius operum copiam habet, quandoque etiam dubia aut ſpuria opera, aut quae ad alios pertinere dignoſcuntur, aut incerti auctoris, quae inquiſitione egent, an S. AVGVSTINI genuini ſint partus. Inter alios duo S. AVGVSTINO adſcribuntur ſermones, vnus *de corpore & anima*, alter *de miſera vita*, qui nuspiam in eius operibus comparent: duos edidit ex cod. *Gottw. Godefridus* BESSEL. abbas *Gottwicenſis*, ſed an his conueniant, examinare non licuit, editis tunc deficientibus. S. ELIGII homiliae editae non ſatis concordant cum fragmentis *San-Gallenſibus* ſec. VIII. Alius codex ſub nomine S. FVLGENTII *Imagines virtutum* continet, de quo nec TRITHEMIVS, BELLARMINVS, MARCHESIVS, *Natalis* ALEXANDER, nec hactenus vulgatae editiones. CALMET praeterea inter haec in ſuo *Itinerario* notat *Walafridi*

STRA-

STRABONIS *Commentarium in integrum pſalterium.* *Rhabani* MAVRI *Epitome commentariorum*, ab eodem STRABONE, MAVRI diſcipulo facta. Imprimis notandus Ven. BEDAE *Commentarius in Iſaiam*, cuius ipſe in indiculo operum ſuorum meminit. Eius proemium ſic incipit:

ISAIAE *breuibus lector myſteria verbis*
Pandere quis poterit, tractantur & cuncta voluntas.
Hunc prius HIERONYMVS *longis tractatibus vſus*
Expoſuit ſapiens magnis ambagibus illum
Cuius ab immenſis temptabo excerpere libris,
Quae breuiter valeant ſenſum nudare prophetae
Si placet ALBINO *talem nos ferre laborem.*

Inc. opus: *Viſio Iſaiae filii Amos vſque regum Iuda. Ergo Iſaias principaliter de duabus loquitur tribubus &c.* Et poſt finem: *Incipit de valetudine & obitu venerabilis Bedae pri.* Notandum praeterea, in editione *Rhabani* MAVRI an. 1626. haberi tres libros cum inſcriptione: *De quaeſtionibus canonum &c.* in quorum tertio canones 24. habentur, qui iidem in codice *San-Gallenſi* leguntur; deſiderantur autem in epiſtola ad HERIBALDVM, quae exſtat in codice *San-Gallenſi*, & *Ochſenhuſano*, ac noſtro *S. Blaſii*.

Blasii poenitentiali, edita autem est a BALVZIO, & in *Conc. Germ.* P. HARTHEIM. Habentur item CVMEANI abbatis, vel, vt aliis placet, episcopi, ex *Scotia* oriundi sec. VII. *Iudicia canon. poenitent. pro diuersis criminibus imponendae. Poenitentiales* item *Viuiani, & alia id genus. Statuta canonum de officio sacerdotum. Breuis denotatio VI. principalium synodorum, & IV. nobiliorum canones. Compendiosa traditio canonum orientalium seu Africanorum, quos Adrianus P. colligi & Carolo M. tradi iussit pro ecclesiis occidentis.* Variorum PP. *Decreta*, GREGORII praecipue *de monachorum, monasteriorumque libertate*: sunt numero 330. Alia de diuersis rebus Patrum & conciliorum decreta. *Index canonum* super diuersas materias. *Ecclesiasticae regulae ex sententiis SS. Patrum defloratae, & a legatis ipsius sedis apostolicae in Gallias pro ecclesiasticarum caussarum dispositione deportatae. Burchardi collectio conciliorum* separatim in alio codice. Conciliorum diuersorum canones ad certos titulos reuocati. Nonnulli codices canonum & conciliorum sec. circiter IX. Capitula canonum ex diuersis canonibus extracta. Haud raro ex eiusmodi collectionibus aut noua quaedam colliguntur, aut vulgatae editiones corriguntur, illustranturque; praesertim si antiquiores sunt codices. Quales etiam

etiam noſtra *San-Blaſiana* bibliotheca poſſidet collectiones, unam mille ſaltem annorum, alteram ſec. IX. Recentior in bibliotheca *San-Gallenſi* eſt *ſumma* metrica, continens ſtatuta SS. PP. canones conciliorum, & decreta ſummorum pontificum. In fine ita habet: *Finitus eſt iſte liber Rotwilae abs Ioanne Dominico Mandli, nonas May an. Dni* 1354. *Ind.* 7.ma In peculiari etiam codice ſec. XV. habentur *Conſtantienſis* concilii capitula reformationis. Sermo contra HIERONYMVM *Pragenſem* in codice, cui titulus: *Collatio contra Hieronymum Huſſitanum in publica ſeſſione Conſtantiae facta.* Thema: *Exprobrauit eis Deus incredulitatem.* Item alius ſermo in Conc. *Conſtantienſi habitus* an. 1418. per magiſtrum THEODORVM monachum, & profeſſorem ſtudii *Colonienſis.* Verſus IOANNIS XXIII. poſt ſui depoſitionem a concilio *Conſtantienſi* factam. Sequuntur articuli *Ioannis* HVSS. MARTINI V. *Valete*, quod dedit in receſſu a concilio *Conſtantienſi.* In fronte codicis, quo *ſummula pauperum* metrice cum commentario habetur, ponitur numerus hominum, qui interfuerunt concilio *Conſtantienſi.* In alio codice habentur *Baſileenſis* concilii *Bulla de feſto immaculatae Conceptionis. Epiſtola ſynodalis* eiusdem concilii *Baſileenſis. Decretum concilii Baſileenſis ſuper reformationem Mnrii S. Galli ſub Eglolfo.*

Ma-

Manuſcripta autem operum antiquorum SS. PP. quibus inſtructiſſima eſt bibliotheca *San-Gallenſis*, infinitum eſſet, omnia recenſere, ac integrum flagitaret opus, quod parauerat laudatus P. Pivs, *San-Gallenſis* bibliothecarius, qui in ſuo catalogo ſingularem claſſem habet Patrum indigenarum *San-Gallenſium* a S. Gallo vſque & B. Theodoro, S. Colvmbani diſcipulo, cuius iam laudauimus ſermonem inauguralem *Conſtantiae* habitum; & S. Othmaro, ſub cuius nomine ap. *S. Gallum* MS. habetur *Inſtructio confeſſionis auricularis faciendae*: quo ſeculo, VIII. ſcilicet, floruit etiam Kero, de quo mox diximus. Sec. IX. Hartmannvs, ſeu Hartmvndvs, *Beatus* Iso. Eodem, & mox decimo & vndecimo ſequenti ſeculo plures Notkeri celebres floruerunt; ſcilicet B. Notkervs *Balbulus*, cuius condiſcipulus fuit B. Rapertvs, qui de origine & diuerſis caſibus monaſterii *S. Galli* ſcripſit, quod argumentum proſequutus eſt Eckardvs *Iunior*, qui etiam *Vitam* S. Galli ſcripſit; & B. Tvtilo, cuius carmina quaedam exſtant: Notkervs *phyſicus*; Notkervs epiſcopus *Leodienſis*, & Notkervs *Labeo*. Plures etiam celebres Eckardos *San-Gallenſes* numerant vſque ad ſec. XIII. quo quintus floruit vnacum Bvrchardo, Conrado *de Fabaria*, qui a tempore Philippi regis de caſibus monaſterii *S. Galli* continuauit

nuauit opus ECKARDI. Nefcio, num huius fit, an alterius ECKARDI *Liber benedictionum*, quem infcripfit JOANNI diacono, monacho *Sancti Maximini*, poftea eius coenobii abbati *EKK presbyter indignus & vltimus Sancti Galli monachus.* Poft varia epigramata *Incipiunt benedictiones fuper lectores per circulum anni*: intermixtis fubinde aliis, de rebus facris, carminibus. Sequuntur *Verfus ad picturas domus dni Moguntinae vet. teft. & nou. Aribone archiepifcopo lubente modulati.* Item: *Ad picturas clauftri S. Galli Purch. abb. iuffu.* Oratio dominica verfibus expreffa. Verfus de Nat. dni *a pueris circa clauftrum poft crucem in dominicis canendi.* Item: *Coram cruce.* Sequitur rubr. *Purchardo abbati pro quodam fcholafticulo fraude fubtracto & alteri magiftro tradito. Epitaphium Ariboni archiepo Moguntino. Epit. Walteri Spirenfis epi. Rachildae virgini reclufae. Epit. EKK. monacho prbo, maiori decano. Epit. EKK. mon. prbo ppofito Moguntino apud S. Albanum fepulto. Epit. EKK. mon. prbo minori tempore decano. Epit. Purchardo minori abbi. Epit. IV. Scholarum magiftris aeque tumulatis. Epitaphium Herimanno laico ad hoftium apoftolorum. Epit. cuicumque volueris.* Sub abbate VDALRICO II. celebris HEPIDANNVS floruit, fub

VDAL-

VDALRICO VIII. *Ludouicus* ab HELMSTORFF. *Jo.* BISCHOFF obiit 1495.

Atque hactenus ſemper cum diſciplina monaſtica ſtudia etiam, in linguis orientalibus praeſertim viguerunt, aliunde confluentibus quoque, atque ex monaſterio hoc alio accitis diſciplinae moderandae gratia tam eccleſiaſticae, & monaſticae, quam litterariae viris. Cum *Augienſibus* ipſis eſt controuerſia de HERMANNO *Contracto*. *Walafridus* STRABO, & BERNO certo prius in monaſterio *San-Gallenſi* in diſciplina monaſtica & litteraria formati fuerunt, quam ad abbatiam *Augienſem* euocarentur. Illius adhuc ſuperſunt MSS. *libb. II. in fol.* de vita & miraculis S. GALLI; item *Vita* S. OTHMARI abb. Huius, BERNONIS nimirum, epiſtola ad BVRCKARDVM, & KERVNGVM, ac caeteros in dominicarum ſcholarum gymnaſio *Augiae* vacantes, vna cum variis canticis, rhythmis pro eccleſia, *in* 4.: item plures aliae epiſtolae eiusdem BERNONIS ad *Augienſes* & alios. Praeter officium pro feſto S. VDALRICI, ſermo pro feſto S. MATTHIAE apoſtoli, & B.mae Virginis: Sermo de Incarnatione; item de S. MARCO, in quo dicitur, corpus eiusdem Sancti adſeruari in *Augia*. SALOMON, qui inter primos fuerat nominandus, hic accenſetur, quod abbas ſimul *San-Gallenſis*, & epiſco-

ſcopus *Conſtantienſis* fuerit hoc nomine III. de quo exſtat *lexicon* ſeu *vocabularium poeticum*, *hiſtoricum*, *coſmographicum* &c. quod vaſtum & eruditione varia pro ea aetate refertum opus, charactere coaeuo auctori, per tot aetates ſingulare bibliothecae *San-Gallenſis* ornamentum hactenus optime conſeruatum in ſuo catalogo depraedicat P. PIVS, haerens tamen, num SALOMONI, an potius ISONI eius magiſtro adſcribat. Cuius ſub nomine compendium quoddam, vt poſtea dicemus, in monaſterio *Ochſenhuſano* ſeruatur. *San-Gallenſi* initio & fine aliquid deeſt, quod incipit: *Accidit malum. Contigit facto. Obtigit ſorte. Et venit caſu.* Finit: *Y litera Pythagoras Samius ad exemplum vitae humanae primus formauit: cuius virgula ſuperior primam aetatem ſignificat, incertam quippe, & quae adhuc ſe nec vitiis nec &c.* Addit P. PIVS in ſuo catalogo adpendices de PP. indigenis, quorum opera deſiderantur, & eorum, qui codices antiquos ſcripſiſſe leguntur: quod merito eorum debetur memoriae. Obſeruatu dignam iudicauimus in codice *San-Gall.* figuram (Tab. VI.) qua *S. Gallo* LVITHERVS recluſus, qui ad finem fere ſec. X. vixit, librum a ſe conſcriptum offerre videtur, partim etiam ob habitum & tonſuram, qualem MABILLONIVS a) deſcribit: *Tonſura monachorum ad breues*

a) T. II. Annal. p. 431.

ues capillos redacta erat, vnde caput quotidie pectebant. Soli ex illis maiores clerici corona interrasili & ad cutem detonsa insignes erant. Idem MABILLONIVS alibi *a*) demonstrat, hoc tonsurae genus tempore S. P. BENEDICTI in vsu fuisse, quam *Romanam*, seu *Benedictinam* nominamus. Ad calcem laudati codicis habentur duo alia figurarum schemata; primum post officium *coenae Domini*, alterum post *Mandatum*, seu pedum lotionem. In illo porrigit Christus discipulis consecratum panem, in hoc eorum lauat pedes. In vtroque solus PETRVS gestat coronam seu tonsuram clericalem. Quod etiam MABILLONIVS in nonnullis antiquissimis codicibus se vidisse, & notatu dignissimum esse testatur in suis annalibus. Hoc signo enim antiqui Patres praerogatiuam PETRI, & inter caeteros apostolos eius praecellentiam designare volebant. In codicibus *San-Gallensibus* haud raro occurrunt imagines variae, praesertim in codicibus *liturgicis*, quos hic non recenseo, etsi in illis perlustrandis maxime desudarim, ac plurima notatu dignissima excerpserim, in *liturgia Alemannica* commemoranda.

Vno tantum verbo ingentis numeri vitas Sanctorum vltra 200. indico, plerumque ad publicum officium diuinum destinatas, vti etiam *martyrologia.*

a) T. I. p. 53. & 529.

gia. In horum quodam, ADONIS nimirum, quod libello de feſtiuitatibus SS. praemiſſum eſt, de aſſumtione ſeu dormitione B. V. M. ſic habetur: *Quo autem venerabile Spiritus S. templum illud, id eſt, caro ipſius beatiſſimae Virginis Mariae nutu diuino & conſilio occultatum ſit, plus eligit ſobrietas eccleſiae cum pietate neſcire, quam aliquid friuolum & apocryphum inde tenendo docere.* Eſt ADO in ea ſententia, occultari quodam in loco, non cum anima in coelum adſumtum eſſe. *Notkerus* BALBVLVS, ADONI Synchronus, cum aliis contrarium tuetur in ſuo martyrologio; addit nihilominus: *De quibus quia doctiſſimi tractatores videntur inter ſe diſſentire, non eſt meum in tam breui opuſculo definire. Hoc tamen certiſſime cum vniuerſali eccleſia & credimus & confitemur, quia ſi reuerendiſſimum illud corpus, ex quo Deus eſt incarnatus, adhuc alicubi in terris celatur, reuelatio illius vtique in deſtructionem antichriſti reſeruatur.* Nihilominus pro contraria opinione citat NOTKERVM (quaſi dicat, non adſumtam) LAVNOIVS & ex eo HOTTINGER *in Heluetiſchen Kirchen-Geſchichten* p. 699.

In hiſtoria ſacra imprimis illuſtranda MSS. *San-Gallenſia* inſignem adhuc vſum praeſtare poſſunt. Habetur e. g. *Breuis annotatio hiſto-*

rica ab an. 691. vſque 816. In alio codice *Notae chronicae* ab anno. 909. vſque 1045. *Chronologia ſummorum pontificum vſque ad Sergium papam*: in necrologio imperatorum *Romanorum*, item regum *Francorum*. *Cyclus decem nouennalis* habens inſertam *Chronologiam regum Galliae*. *Chronicon vniuerſale ab Adamo vſque ad regem Sigismundum* ad an. 1394. Item aliud *vſque ad Fridericum III.* an. 1450. *Chronologia ſummorum pontificum vſque ad Nicolaum V. De fundatione epiſcopatus Strasburgenſis chronicon breue*, vbi quaedam de vrbe *Conſtantienſi* occurrunt. *Syllabus epiſcoporum Conſtantienſium* vſque ad an. 1466. *Catalogus abbatum S. Galli*. Variae notae chronicae, praeſertim de monaſterio *S. Galli*. *De conuentione precum &c. S. Galli, & Augienſis*, &c. *Chronicon Germanicum totius Heluetiae, praeſertim monaſterii S. Galli*. *Hiſtoria belli & victoriae Capellenſis a V. Helueticis cantonibus catholicis contra acatholicos obtentae an.* 1531. *Breuiſſima chronologia rerum memorabilium partium huiatium* ab an. 566. vſque ad annum 1656. *Liber hiſtoriarum Alexandri M. pro Albrect Palatino Rheni & Bauariae duce ſcriptus manu Ioannis Fronendörffer de Tyrrenſtein Auſtriaco*, vbi ad finem ſe transtuliſſe dicit iuxta genuinum textum S. EVSEBII. Oratoribus, poetis, & grammaticis anti-

tiquis refertam eſſe bibliothecam MSS. *San-Gallenſium* nemo mirabitur, qui rememoretur, ſcholam *San-Gallenſem* inter celelebriores olim fuiſſe. Vnum hic librum in fol. noto *Bedae famuli Chriſti de orthographia*, qui ipſius manu ſcriptus creditur. Schola alia interior, alia exterior fuit, vt ECKARDVS *a*) in vita B. NOTKERI teſtatur: „Traduntur poſt breue tempus „MARCELLO ſcholae clauſtri cum beato NOT„KERO *Balbulo*, & caeteris monachici habitus „pueris. Exteriores vero, id eſt, canonicae „ISONI cum SALOMONE & eius comparibus, „MARCELLO vero praeſidente, mentes diſcipu„lorum NOTKERI, RAPERTI, TVTILONIS alio„rumque ſeptem liberalium artium ſcientia ple„num imbuit.“ Nec hactenus ea ſcholae diſtinctio ceſſat, atque vetus etiamnum magiſterium in tanto MSS. adparatu harum rerum ſtudioſis ſemper patuit noſtra aetate doctiſſimis BALVZIO, MABILLONIO, QVIRINO, CALMETO. Quibus me accenſere non audeo, qui poſt plurium dierum commorationem partim in ipſo monaſterio *S. Galli*, vbi impreſſi libri nunc ſolum ſunt, atque inter alios rariores *Liber precum &c. German.* ex primis typis in ligno ſculptis rariſſimis; partim *Roſaci*, quorſum bibliotheca translata eſt ob nouam ſtructuram, vix, quae mei potiſſimum erant inſtitu-

a) C. 3.

ti, circa liturgiam *Alemannicam* exhausi; licet magno mihi compendio fuerit catalogus rite ordinatus, typisque paratus. Quod optandum est, vt votis academiae litterariae *Boiariae* omniumque litteratorum virorum tribueretur a celsissimo principe, mortuo auctore P. *Pio* Kolb, qui, vt sedulo me meis in studiis iuuit, ita abeuntem constanter, donec *Rosachio* vela dantibus nobis nauis oculos fugeret, in oculis gessit, vltimum valedicens.

Lindauia.

Secundis ventis pernauigauimus, quem antiqui *Rheni* lacum, *Acronium*, *Brigantinum*, *Bodamicum*, *Moesium*, *Constantiensem* potissimum ex orae adiacentibus locis dixerunt. Haec vero superior ampliorque pars etiam *Withsee*, id est, *der weithe See* est vocata, prout sinum suum extendit a *Rheni* influxu versus *Constantiam*, vbi in arctum constrictus *Rhenus* iterum effluit, & se prodit commixtus antea immensae laci aquae. *Ammianus* Marcellinvs narrat cum plerisque deinceps auctoribus veteribus & recentioribus, *Rhenum* medium per lacum seruato alueo suo, coloreque, haud mixtum aquis *Acronianis*, defluere; quod nos non semel lacum istum pernauigantes animaduertere minime

potui-

potuimus. Poſt aliquot nauigationis horas *Lindauiam* adpulimus, inſulam ponte, centum pilis ſubnexo trecentorum quinquaginta vſque paſſuum, continenti iunctam. Vrbs eſt libera imperii *Romano-Germanici*, *Lutheranae* ſectae addicta. Bibliotheca publica non magna quidem nullisque MSS. ſelectis, tamen libris inſtructa eſt & adparatu inſtrumentorum mathematicorum. Inter alia globus coeleſtis, ſi nocte lumine intus colluſtretur, ſtellas micantes ac conſtellationes repraeſentat.

Adeſt hic nobilium virginum collegium ſub principe matrona, quae licet vulgo credatur voto perpetui coelibatus eſſe adſtricta, ipſi tamen aeque ac eius canoniſſis aliud haud incumbit, quam ſedula ſui Collegii conſtitutionum obſeruantia. Haec ius inſulae ſibi vindicat, contranitente tamen vrbe. Quamobrem maxima de diplomate Lvdovici *Pii* vel *Germanici* eſt contentio, vltro citroque editis integris voluminibus agitata. Litem mouit *Daniel* Heidervs, beneficiario iure Parthenoni obſtrictus, antea oeconomicis rebus adhibitus. Celebris *Hermannus* Conringivs e *Saxonia* vſque in ſuppetias vocatus, cenſuram diplomatis typis *Helmſtadianis* edidit. Suſpectum etiam fuit *Steph.* Balvzio, quod tum in textu diplomatis mul-

ta ſint aliena a ſtylo cancellariae illius aeui, cum quod inſuetum fuerit, vt ipſe putauit, tum adponere diplomatibus annos Incarnationis. Conringii *Achilles* fuit *Rhabani* Mavri, archiepiſcopi *Moguntini*, nomen & clientela, qua obtentum ſit diploma, qui tunc temporis ſedem illam haud tenuerit. Id quod etiam ſuſpenſos cum aliis habuit auctores noui tractatus diplomatici *Gallica* lingua a PP. Tovstain & Tassin editi. P. Rassler vero in defenſione diplomatis, aut oſcitantia notarii nomen iſtud loco Otkari irrepſiſſe contendit, aut illud ſaltem citius conceptum fuiſſe, quam anni Incarnationis dominicae praeſeferant, alia manu deinceps adſcripti. In dubium etiam vocatum eſt Adalberti nomen, qui Caroli M. cognatus, ac comes palatii, parthenonem ſuis bonis auxerit ac condiderit, quod tamen in annalibus *Pithoeanis* ſub Lvdovico *Pio* ad annum octingenteſimum trigeſimum octauum & nonum occurrit. Nec adeo abludit Ekberti nomen, ſi etiam in antiquo lapide ſepulchrali ita legatur cum Manegoldo, & Woderebico, vti etiam pictura antiqua, quae adhuc cernitur, atque in tabula lignea adpoſita fideliter expreſſa eſt, tres repraeſentat figuras. Primum quod ſpectat, non inepte P. Rassler coniicit, lapidem iſtum ſucceſſu temporis poſitum fuiſſe, quum forte cineres

res vna fossa conclusi fuerint. Pictura vero vel inde recentiorem aetatem indicat, quod oleo temperatis depicta dicatur coloribus, quem pingendi morem primum anno 1410. *Joannem* VAN EGK sui temporis XEVXEN inuenisse probat *Joachimus* A SANDRART in *Academia artis pictoriae.*

Neque vero opus est illustribus *Lindauiensibus* virginibus, synchrona habere eiusmodi anathemata, quae solent varia tractu seculorum subire fata. Haec nec ipsa *Lindauiensis* ciuitas a se aliena dicere potest, quam alte etiam origines suas proroget ad *Romani* vsque imperii tempora. Est locus apud STRABONEM, qui huic opinioni fauere videatur, ad tempora AVGVSTI pertinens, sub quo per DRVSVM & TIBERIVM *Rhaeti* ac *Vindelici* bello sint subacti. *Prope hanc regionem*, sunt STRABONIS *a)* verba, *origo & Istri & Rheni, ac lacus inter horum fontes situs, & paludes a Rheno effusae. Lacus in ambitu habet stadia amplius CCC. traiectum prope CC. In quo ea est insula, qua pro receptaculo vsus est Tiberius nauali pugna cum Vindelicis certans.* Quodsi ex loci propinquitate opportunitateque decernendum sit, citius hoc de *Lindauiensi*, quam *Augiensi*, ac *Main-*

a) Lib. VII.

Mainaugienſi, lacus *Acroniani* inſulis, intellexerim. Poſtquam TIBERIVS a *Rheno* ad lacum progreſſus fuerat terreſtri itinere vſque *Cornu Romanorum*, & *Felicem Arborem*, quae hodie *Romishorna* ſunt & *Arbona*, inde conſcenſis nauibus aqua progredi, inſulaque *Lindauienſi* pro receptaculo (ὁρμητηρίῳ) vti potuit. Atque ad hoc etiam turris vetuſtiſſima forte fuerit, ſaxis mirae magnitudinis exſtructa, tantaeque adhuc firmitatis, vt nullo fere opere frangi queat, quam murum gentilium, *die Heiden-Maur* vocant, aut etiam murum TIBERII. Alterum adhuc *Romanorum* munimentum eſſe volunt caſtellum, *die Burg*, miri pariter operis ſtructuram, quae medium habet *S. Aureliae* olim, nunc *S. Jacobi templum*, quod a primis chriſtianis incolis aedificatum dicunt, vt maiorem vrbis ſuae, quam parthenonis, antiquitatem ad ius ſibi vindicandum vſurpent. Vt enim omnia demus, hiſtorian tamen veterum *Alemannorum* repetentibus conſtat, eos variis irruptionibus *Romanorum* opera diruiſſe, ac funditus euertiſſe; quod celebri *Vindoniſſae* accidit, vbi etiam poſtea inſigne virginum monaſterium *Campi Regii*, ſeu *Königsfelden* inſtructum eſt. Equidem *Romani* rerum potiti ea iterum reſtaurarunt, atque imprimis de CONSTANTIO *Chloro* AVENTINVS *a)* refert, ei placuiſſe, ad oram *Bri-*

a) Annal. Boior. L. II.

Brigantini lacus caſtra *Romanas*que vires ad cuſtodiendas *Rhaetias* collocare. Nota vero ſunt ea caſtra ad oram citeriorem ex antiquis hiſtoricis, itinerario ANTONINI, ac charta *Peutingeriana*, quum nuſpiam *Lindauia* occurrat, ipſumque nomen ex tiliarum exuberantia *Teutonicam* originem prodat.

Brigantium oppidum, cum vicino Augiae monaſterio.

Ex aduerſo littore celebre imprimis ſitum eſt *Brigantium*, a quo lacus nomen etiam habet, atque *Ammianus* MARCELLINVS *a*) *Brigantiam* vocari teſtatur: *Rhenus lacum inuadit, quem Brigantiam accola Rhaetus adpellat.* PLINIVS *b*) lacum *Rhaetiae Brigantinum* vocat. Iuxta STRABONEM *c*) *Brigantii* quoque ad *Vindelicos* pertinent, illorumque oppidum in ora lacus poſitum ſupereſt: PTOLOMAEVS vero *Rhaetis* accenſet: „Nomen a *Brigantino* fluuio habet, quod „ inter *Vindeliciam*, *Rhaetiam*que diuidit. „ Atque hic ſub finem ſec. VI. initiumque VII. chriſtiana refloruit religio, a SS. COLVMBANO & GALLO citeriori oræ lacus *Brigantini* primum illata. Teſtatur *Walafridus* STRABO in *Vita*

S.

a) Lib. XV. c. 6.
b) Lib. IX. c. 17.
c) Lib. IV.

S. Galli de templo *S. Aureliae Brigantiae* consecrato: *Se reperisse in templo tres imagines deauratas parieti adfixas, quas populus dimisso altaris sacri cultu, adorabat, & oblatis sacrificiis dicere consueuit: isti sunt Dii veteres, & antiqui huius loci tutores, quorum solatio & nos & nostra durant vsque in praesens.* Colligitur hinc, iam antea christianam religionem isthic inductam fuisse, atque iam prius *sacrum Aureliae templum* exstitisse, quum dicat, S. COLVMBANVM ibidem e naui egressum aediculam in honorem S. AVRELIAE aedificatam, sed penitus profanatam offendisse, immunditiis liberasse, reliquiasque S. AVRELIAE in altari condidisse. AEdicula etiam superest *S. Galli* prope lapidem *Gallenstein*, relictis, vt volunt, in saxo durissimo S. GALLI vestigiis, in colle ad radicem *montis S. Gebhardi Constantiensis* sanctissimi episcopi, eo in loco nati, seu potius ex materno excisi vtero. Oppidum, quod *Walafridus* STRABO dicit, aetate S. COLVMBANI vetustate collapsum, haud dubie ad ipsam laci oram situm fuit, aut eousque se protendebat, vbi nunc antiquissimum est *Germaniae* monasterium, *Augia* dictum.

Locum hunc designauit S. COLVMBANVS apud *Arbonam* subsistenti WILLIMARO presbytero, vti habetur apud WALAFRIDVM a) in *Vita* S. GALLI: *In hac solitudine,*

a) Lib. I. c. 5.

ne, inquit, *locus quidem est antiquae structurae, seruans inter ruinas vestigia, vbi terra pinguis & fructuariis prouentibus apta, montes per gyrum excelsi, heremus vasta, & imminens oppido, planicies copiosa.* Templum *S. Aureliae* hodie in interiori claustro inclusum est, habetque praetera beatorum apostolorum basilicam, in qua duo augusta sepulchra e marmore, sed sine inscriptione conspiciuntur, vt, qui sub ipsis condantur, haud sciatur, neque an sit ecclesia ex prima exstructione monasterii sub S. COLVMBANO (quum alias templa S. PETRO dicata pro antiquioribus habeantur). Eo inde abire iusso, atque in *Italiam* commigrante cessauit illic diu religio, donec ad finem seculi XI. ab VLRICO, *Rhaetorum* & *Brigantiae* comite, restauratum monasterium, templumque dicatum fuit a cognomine VLRICO, *Constantiensi* episcopo, comite a *Dillingen.* Erat primum monasterium vtriusque sexus professionis *Benedictinae* iuxta annales CRVSII *a)* ad an. 1097. Inter paucos ex conflagrationibus, expilationibusque residuos libros, plura adhuc seruantur opera apographa S. COLVMBANI, imprimis *Instructiones* seu *Sermones* XIII. praeter aliam *Instructionem de octo vitiis principalibus*, ex codice litteris *Hibernicis* exarato, epistolas item varias, ac tractatum *de poenitentia. Mar-*

ty-

b) P. II. Lib. VIII, c. 15.

tyrologium quoque, quod *Domno Karolo regi piissimo Hyswardus* inscripsit. Duo *necrologia* canae antiquitatis. Tabulae ceratae, in quibus tamen nullum integrum extricari potest verbum.

In ipso oppido, quod milliari prope *Italico* a monasterio distat, nulla sunt primae antiquitatis rudera, quae saltem incolis cognita sint, aut a nobis detecta fuerint, quae nos morari potuissent. Duplex inde iuxta chartam *Peutingerianam* patuit via sub *Romano* imperio, altera per *Rhaetiam*, altera ad *Vindeliciam*. Fuerunt, qui *Rhaetiam* cum *Vindelicia* confunderent, ipso VELSERO *Vindelicorum* supprimente nomen. Recte vero doctissimus, mihique, quum viveret, amicissimus ROSCHMANNVS in libro *de Veldidena* ostendit, diuisionem in *Rhaetiam* primam & secundam ARCADIVM demum auctorem habere, antea autem propria *Rhaetiae* & *Vindeliciae* fuisse nomina. In *Rhaetiam* peculiaris via versus alpes a *Felice arbore* in tabula *Peutingeriana* designatur ad *Curiam*, quae sedes episcopalis est; alia per *Cluniam* & *Magiam* vrbes, quarum vestigia nunc oppidum *Feldkyrch* & *Meyenfeld* esse volunt. Inter montes rupibus structos *Amisia* castra antiqua non longe dissita familiae nobilissimae nomen dant, ex qua plures

he-

heroes, ac principes etiam ecclesiae prodierunt. *Marcus* SITTICVS, PII IV. Pont. Max. ex sorore nepos, S. R. E: Cardinalis & episcopus *Constantiensis*, alter cognominis archiepiscopus *Salisburgensis*. Egregia etiam in arce, praeter alia cimelia, MSS. *Theotiscorum* imprimis seruari dicitur supellex. Non procul inde *Ranckuilla* distat, supremum olim complurium prouinciarum tribunal ex nobilium iudicum consessu, sub praesidio *Alemanniae* & *Rhaetiae* ducum, ac postea comitum *Montfortii*, teste *Gabriele* BVCELINO in *Rhaetia topographica*. Nobilitasse dicitur locum & tribunal illud insigni miraculo S. FRIDOLINVS, qui BALDEBERTO, tunc sub CLODVAEO supremum iudicem agente, LANDVLPHVM principem bona ecclesiae a fratre testamento relicta sacrilege vsurpantem in ius vocarit, resuscitato a mortuis VRSO, LANDVLPHI fratre, atque contra ipsum in testem prolato.

Veldkyrch.

Inde per valles praecipitum rupium, hortis tamen & vineis hinc inde consitorum, *Veldkyrchium* via patet, quod etiam *Phaniam* adpellant; mihique verisimile fit, in charta *Peutingeriana*, quae ad THEODOSII tempora refertur, in *Cluniam* degenerasse *Vaniam* seu *Phaniam*.

Oppidum est peramoenum, olim prosapiis nobilibus illustre, atque etiamnum ecclesiae penates praeter exquisitissimi ex ferro operis cathedram ecclesiae parochialis picturis elegantissimis celebrium *Italiae*, *Germaniae*, & *Belgiae* artificum exornantur, *Iulii* BENZONII, *Vincentii* MALI, *Iacobi* CAMPANI, *Alberti* DVRERI, *Christophori* STOHRERI, *Matthiae* KAGERI, *Samuelis* ab HOCHSTRADEN, & ROSENDALII, *Antonii* van DYCK, *Ioannis* de SANDERATH, *Gaspari* MONPEER, de GAYER, & aliorum. Ecclesiam *Capucinorum* extra vrbem imprimis ornant vexilla ad pompam canonizationis S. FIDELIS a *Sigmaringa*, S. Congreg. de propaganda fide protomartyris, concinna *Italorum* pictorum manu facta, sacrae item eius reliquiae ac domestica supellex cum ipsa cella eius, quam in familia *Veldkyrchensi* degens incoluit, nunc ad latus sacelli eius cultui dicati translata, altarique ad celebrandum sacrificium instructa. Hinc iter erat per alpes *Rhaetias* in *Italiam*, inde per *Brigantiorum*, aut per *Estionum Licatum*que pagos ad *Vindeliciam* iuxta chartam *Peutingerianam*: *Brigantio* vero ad *Rhenum*, cui ex parte respondet, quae vocatur hodie *Vallis Rheni* siue *Rheinthal*; inde per *Vemaniam*, & ad latus *Viacam*, stationes *Romanas*. Quod nos fere iter *Augustam Vindelicorum*, *prata fuga*, vt VIRGILII

phrasi

phrasi vtar, carpsimus, rebus nostris consulentes, & ad ea diuertentes loca, vbi quidpiam studiis nostris conueniens nos reperturos sperabamus.

Alemannia orientalis.

Est haec orientalis *Alemanniae* plaga, &, prout *Rheno*, *Danubio*, *Moenoque* comprehenditur *Alemannia*, hinc potissimum nomen habet a prima sua origine, intra terminos fere antiqui *Valli Romani* cis *Rhenum*, agrorumque decumatium, regione a *Marcomannis* relicta, quibus populorum quaedam colluuies successit. Ac versus orientem quidem *Sueui*, a mari *Sueuico* seu *Danubio* accesserunt teste TACITO *a*) iam post mortem AVGVSTI, a quibus *Alemannia* in sequentibus seculis *Sueuiae* nomen accepit, vt iam ad finem seculi IV. quo tabula *Theodosiana* refertur, *Alemannia* etiam *Sueuia* adpellaretur, ac incolae regionis *Sueui* vel *Alemanni* indiscriminatim nominarentur. *Sueuos* passim *Alemannos* esse dictos, ex CLAVDIANO & AVSONIO colligitur. GREGORIVS *Turonensis* *b*) & PAVLVS *Diaconus* id expresse testatur. Ille: *Vandalos*, inquit, *sequuti Sueui i. e. Alamanni Galliciam adprehendunt.* Hic: *Iste*

I 2 *est,*

a) Annal. lib. I. c. 44.
b) Hist. lib. c. 2

eſt, ait, *Sueuorum*, *hoc eſt*, *Alamannorum gente oriundus.* Et *a*) *Walafridus* STRABO: *Quum duo ſint vocabula Sueuia & Alamannia vnam gentem ſignificantia, priori nomine nos adpellant circumpoſitae gentes, quae latium ſermonem habent &c.* Atque ita habet geographus RAVENNAS *b*) ſcriptor ſec. VII. iuxta primum illius editorem *Plac.* PORCHERONVM; auctor vero diſſertationis Chorographicae de *Italia* medii aeui illud vſque ad ſec. IX. reuocandum commonſtrat. *Propinqua ipſius Thuringiae adſcribitur Suauorum, quae eſt Alamannorum patria.* Ita nomen propius vernaculo vſui accedit; quomodo etiam nonnunqam Graecis σȣαβοι dicimur, STRABONI ac DIONI olim σȣηβοι. Quod eſt multo antiquius *Alemannorum* nomine, de quorum moribus & ſitu CAESAR *c*) & TACITVS, *d*) ac paſſim STRABO & alii, quibus omnibus, atque etiam PLINIO, & PTOLOMAEO, incognitum adhuc *Alemannorum* nomen fuit. VOPISCVS vero in PROCVLO primus id nomen vſurpat: *Alemannos, qui tunc adhuc Germani dicebantur, non ſine gloriae ſplendore deuicit.* Primus CARACALLA adſcripta ſibi in *Alemannos* victoria *Alemannici* nomen adſumpſit. *Quum*, inquit SPARTIANVS *d*), *Germanici, & Partici, & Arabici, & Alemannici nomen adſcriberet. Nam Alemannorum gen-*

a) In Prologo ad vitam S. GALLI *b*) Lib. IV. Geogr.
c) Lib. IV. c. 1. *d*) C. 98. *d*) In *Caracalla* c. 10

gentem deuicerat. Teſtatur *Dio* CASSIVS *a*), victoriae nomine grandi pecuniae ſumma ei vendito, ipſi eſſe permiſſum, vt ſaluus in *Germaniam* ſeſe reciperet. AEquiore iure id ſibi nomen CONSTANTINI adſumpſerant, vti etiam frequens in nummis occurrit inſcriptio *Alemannia deuicta.* Incerta nominis eſt origio, gentisque. *Alemanni autem*, ait AGATHIAS *b*), qui ſuum viciſſim citat auctorem, *ſi Aſinio Quadrato, viro Italico fides praeſtanda, qui res Germanicas diligenter perſcripſit, conuenae ſunt, & mixti homines, quod & eorum nomine profertur.* Atque ita plerumque *Germani* interpretantur ſua dialecto, quaſi dicas *Alle Manner*, *Allerley Manner.* Veriſimile etiam eſt, a numine quodam *Alaman*, vt *Sueui* a *Sueuo*, *Teutones* a *Teutone*, *Alamanniam* dici. Seruabatur ad lacum *Acroniano - Venetum* ſimulacrum *Herculis Alemanni* vſque ad MAXIMILIANI I. aeuum, cuius iuſſu *Oenipontum* eſt translatum; nunc in theſauro *Palatino* dicitur ſeruari. Alii *Mercurium* eſſe volunt, in pago *Alma* prope *Conſtantiam* MDVII. inuentum, vti ex membrana patet, quae iuxta adſeruatur, atque a BEGERO *c*) in *Theſauro Palatino* ita refertur:

Allmann Abgott bin ich
Die Teutſchen iren Nam hambt durch mich,

I 3 *Von*

a) Lib. 77. *b*) Lib. I. *c*) Pag. 16.

Von groſſen Streiten der Walchen dich verſich,
Alamanna Teutſchzland nent ſich.
Bey Conſtniz im Dorf Alma lag ich,
Durch Kunig Maximilian ſchickt es ſich.
Im XVC und VII Iare in die Lad legt er mich.

Eſt vicus non procul ab vrbe *Conſtantia*, & lacu, *Almas*, ſeu *Almensdorff* dictus. Veteribus fere *Alamannia* dicitur, de qua agimus, veteris *Germaniae* prouincia; vſus tamen obtinet, vt *Alemannia* potius nunc dicatur, atque fere cum *Sueuia* confundatur, quae, prout contermina eſt *Alemanniae* prouincia, *Hermundurorum* patria habetur a *J. Car.* SPENERO *a*) & aliis, ac ab *Albis*, *Sala*que confluentibus inter vtraque fluenta late in *Danubium* vſque protenſa conſtituitur. Quod proprium vero *Alemanniae* ſolum fuit trans *Rhenum*, hactenus ex parte peragrauimus, quum in vnam medio ineunte aeuo redacta prouinciam & *Sueuia* & *Alemannia*, ſimul finibus ſuis circumſcribenda ſit, atque *Alemannia* in *cis-Rhenanam* & *trans-Rhenanam* recte diuidatur, licet huic, non vero illi parti, *Sueuiae* hodie nomen conueniat. Duumuiri ſodales P. *Marquardus* HERRGOTT, & P. *Ruſtenus* HEER, *Prolegomeno tertio P. I. Tom. III. Monumentorum Auſtriacorum* oſtendunt, tempore

Rv-

a) Not. *Germ.* Ant. L. IV. c. 2. p. 185.

Rvdolphi etiam *Heluetiae* magnam partem ſaltem *Sueuiae* nomine veniſſe, quae nimirum vnacum *cis-Rhenana* parte ex haereditate *Habsburgica Auſtriae* ducibus paruit, ac Rvdolpho *Sueuiae* duci a patre Rvdolpho caeſare addicta fuit, diuiſione facta cum Alberto. Conuenit hoc cum iis quadantenus, quae de finibus *Alemanniae & Sueuiae* iisdem habet Jornandes *de Rebus Geticis*, ita *Alemannorum & Sueuorum* coniunctionem confuſionemque ediſſerens: *Regio illa Sueuorum ab oriente Boiarios habet, ab occidente Francos, a meridie Burgundiones, a ſeptentrione Thuringos. Quibus Sueuis tunc iuncti Alemanni etiam aderant, ipſique alpes Rhaeticas omnino regentes; vnde nonnulla fluenta Danubio influunt nimio cum ſono verrentia. Hic ergo taliter munito loco Theodemir rex hiemis tempore Gothorum ductauit exercitum; & tam Sueuorum gentem, quam etiam Alemannorum vtrasque ad inuicem foederatas, deuicit, vaſtauit, & pene ſubegit.* Inuicti *Alemanni* perrupto poſt Probvm iterum vallo, ac poſtea etiam *Rheni* limite, nunquam amplius a *Romanis* ſubigi potuerunt; quod demum ad finem ſeculi V. a *Francis* paſſi ſunt ingenti clade ad *Tolpiacum*, hodie *Zulpich*, ſiue *Zulch*, non procul a *Colonia Agrippina*, quam quidem ditionem Sigebertvs tenuerat, ſed *Francorum*

 po-

potentes reges aderant. Iam CHILDERICVS MEROWAEI ſucceſſor, qui magnam *Galliae* partem occuparat, de ampliando vlterius regno ſollicitus, haud infeliciter cum *Alemannis* conflixit, quod demum bellum CLODOVAEVS, CHILDERICI filius, confecit, ſuccumbente in prelio etiam eorum rege. Vſus is parta victoria fugitiuos hoſtes perſequutus eſt, *Alemanniam* depopulans, omniaque caedibus implens, donec THEODORICVS, *Oſtrogothorum* rex in *Italia*, ad quem ingens *Alemannorum* multitudo profugerat, victis gratiam obtineret per litteras, quae apud CASSIODORVM leguntur. Non penitus tunc confuſum *Sueuorum* cum *Alemannis* fuit nomen ac fatum. Cum Sueuis mitius eſt actum. Deinceps vno ducatu *Sueuia* & *Alemannia* comprehenſa, vt modo dux *Sueuiae*, modo *Alemanniae* diceretur, donec *Heluetiae* conſtituta respublica *Alemanniae*, ſeu *Sueuiae trans-Rhenanae* partem abſcinderet.

Iſnen.

Atque in eam iam *Alemanniae* partem iter ſumus proſequuti, quo iuxta chartam *Peutingerianam Brigantio Vemaniam* (quam CLVVERIVS oppidum *Wangen* facit, vbi tamen nullum veſtigium antiquitatis inuenimus) per agrum *Iſnenſem* tendit, cuius nomine oppidum hodie eſt,

quod

quod ſunt, qui vocatum velint ab *Iſide*, cui teſte TACITO pars *Sueuorum* ſacrificauerat. Superius iam vidimus, trans *Rhenum* apud *Alemannos* cultum hunc obtinuiſſe, ſiquidem a *Romanis* illas in partes allatus, inde ab *Alemannis* etiam cis *Rhenum* propagari potuit: potius tamen ſub nomine *Herti*, *Terrae*, ſeu deae matris *Telluris*, vti TACITVS *Sueuorum* deam nominat, atque *Lunae* etiam conuenit, quam cum *Sole* & *Igne* ſeu *Vulcano Germani* promiſcue coluerant. Nec dubitat CLVVERIVS, rectum Dei triunius cultum hinc *Germanis* adſcribere; minus pie equidem ac religioſe, etſi vnum ſeu vnam potius deam venerati ſint, quae origine ſua *Iſis* eſſe potuit, vel *Romanorum* imitatione, vel etiam antiquiore ſuperſtitione; quum ſint, qui *Iſidem* ad *Sueuum* regem perueniſſe naui voluerint; nauiumque inuentio ei tribuitur: quare etiam *Pelagia* a pelago dicitur, & cum nauis figura, ſeu liburna ſaepe occurrit, atque a *Germanis* quoque culta dicitur. Sed nullum ſupereſt veſtigium huius apud *Iſnam* cultus, quae quidem a praeterfluente fluuio eius nominis vocata ſic eſt; TACITO teſte, prout aut fons, aut campus, aut nemus placuit, ita adpellatas eſſe vrbes quam multas. Antiquitatem *Romanam* huius loci nummi effoſſi oſtendunt in loco, qui *die Bettmaur* dicitur: imprimis autem lapis, de quo mox dicemus, qui

vias ac pontes reſtitutos a *Campoduno* hucuſque *M. P. XI.* ſua inſcriptione indicat, atque hic loci repertus, ad ſimilem *Campidunenſem* translatus eſt. Hinc autem patet, ſtationem hic *Romanam* fuiſſe, vbi eiusmodi lapides collocari conſueuerant. Sed eandem haud dubie ſortem experta eſt, ac aliae vrbes, & caſtra ab *Alemannis* & *Hunnis*: donec iterum effloreſceret, exſtructo hic celebri monaſterio Ord. S. BENED. ſec. XI. munificentia & religione illuſtrium comitum *Wehringenſium*, patre MANEGOLDO, ac filiis WALTERO & WOLFRADO, cuius precibus eiusque coniugis HILTRVDIS ab EBERHARDO epiſcopo *Conſtantienſi* inauguratam eccleſiam *S. Georgii* ciues *Iſnenſes* contendunt, ante fundatum monaſterium, ne *Iſnam* vrbem florem ſuum monaſterio debere admittant, atque ius, quod abbas longo tempore in vrbem ſibi tuitus erat, eludant. Quod fuit ingentium litium ſeminarium, duriſſimorumque monaſterio cauſſa fatorum. Repetitis id incendiis cum rerum omnium iactura ad eam vſque redactum fuit paupertatem, vt adhuc hominum memoria nec veſtes ſibi congruas comparare ex ſuis facultatibus poſſet. Iam vero paullatim miſero e ſtatu emergens, inſigni eccleſiae ſtructura ornatur: litteraeque reflorent ſub abbate BASILIO; qui antequam ad infulas eueheretur, publice philoſophiam

phiam in academia *Salisburgensi* docuit, & nunc pro viribus agit, vt bonis libris instruat bibliothecam, veteri cum impressis fere & MSS. libris flammis consumta. Ex hisce pauci supersunt sec. XIV. vnde quaedam pro re mea liturgica annotare licuit. Nec praeterire debeo calendarium *Germanica* lingua non *Gothicis* litteris, sed minusculis *Romanis* an. 1478. impressum per *Bernhardum* MALER, & *Erhartum* RATOLT, *Augustanos.* Quod notatum velim, vt gentilibus meis animum faciam obsecundandi votis exterorum. Hi studio legendi libros bonos, qui lingua *Germanica* eduntur, haud grauate hanc discerent linguam, nisi, vt saepe mihi conquesti sunt, absterrerentur characteribus nostris barbaris, *Gothicis* nimirum. Qui quum a seculo decimo tertio omnes scripturas *Europae* peruaderent, inficerentque, humanioribus litteris restitutis, mox abiecti fuerunt primum in *Italia*, vbi citius litterae refloruerunt. Etsi vero alibi diutius *Gothicus* character seruaretur in lingua *Latina* perinde ac vernaculis, in illis tamen nunc, excepta *Germanica* nostra, vbique exploditur. Atque haec monuerim, iniecta mentione calendarii *Germanici*, quod vidi in monasterio *Isnensi* concinnis litteris *Romanis* in *Alemannia* nostra impressum. Quum esset medio sec. XV. in *Germania* ars typographica inuenta, litterarum

formae

formae adhibitae ſunt, quae tunc vſitatae erant, quas *Gothicas* vocant. Vt primum vero ars illa in *Italia* excoli cepit, vbi ſtudium rei antiquariae humaniorumque litterarum refloruerat, characteres rotundi, qui in minuſculis litteris ſub *Carolingica* & *Capetiana* ſtirpe obtinuerant vſu, adhiberi ceperunt: quibus primum impreſſi ſunt S. AVGVSTINI libri *de Ciuitate Dei*, & *Epiſtolae* S. HIERONYMI. Hinc modum iſtum imprimendi ineunte ſeculo XVI. *Iodocus Badius* ASCENSIVS in *Galliam* transtuliſſe fertur; quum antea *Gothicis* etiam elementis libri illic imprimerentur, more hoc illuc a *Germanis* cum arte ipſa illato. Qui paullatim etiam apud nos in libris *Latinis* antiquatus, hactenus in vernacula retinetur.

Campidunum.

Sed ad iter noſtrum regrediamur, quod dum *Campidunum* verſus direxi, ancipitem me charta *Peutingeriana* tenuit, prout nuper *Viennae* ex autographo accuratiſſime eſt edita a *Fr. Chriſtophoro* DE SCHEVB, vbi *Vemania*, *Viaca*, *Auguſta Vindelicorum*, *Rapis*, *Nauoue*, demum *Cambodunum* inter ſtationes comparet. Quod firmat opinionem multorum, qui aliud *Cambodunum* in *Monachio Boiariae* metropoli locant. De quo in *Vindiciis arboris Geneal.*

Aug.

Aug. Gentis Carolino-Boicae Fr. Xav. DE WILHELM *Cambodunum*, inquit, *Munchen, ita Pyrcheimerus, Pancyrola, Appianus, Ortelius ſentiunt; aliud enim eſt Campidunum ad Hilarum fluuium Kempten.* Eſt vero hoc noſtrum *Eſtionum* illud, de quo *a)* STRABO: *Eſtiones Vindelicorum ſunt, & Brigantii: & oppida eorum Brigantium & Campodunum.* Nam primum ab *Eſtionibus* ad *Licates* proceditur, vt apud CELLARIVM *b)* PLINIVS *L. III. c.* 20. ex inſcriptione AVGVSTI *inalpina* vocat, ex nomine ad *Licum* amnem, qui *Lech* eſt, *Alemanniae* limes a *Boiaria* verſus orientem. Laudatus auctor praeterea notat, inter *Brigantium* & *Campodunum* in tabula eſſe *Vemaniam* & *Viacam*, in Itinerario tantum *Vemaniam*, vt ALDVS edidit. In citata etiam recentiori tabulae *Peutingerianae* deſcriptione, vt mox vidimus, poſt *Vemaniam* & *Viacam Auguſta Vindelicorum* occurrit, nulla interiecta *Campoduna.* Quae tamen interiecta ſit oportet, ſi lapides SEVERI Imp. in ſuo perſtiterunt loco, quorum alter repertus fuit in monaſterio *Iſnenſi* primo ſuo & originali, vt perſuaſio eſt, loco, nunc *Campidunum* translatus, vbi cum alio ſocio in atrio ſeruatur. Ille a *Camboduno* millia paſſuum vndecim, hic ab *Auguſta* millia paſſuum & quadraginta

a) L. IV. *b)* L. II. c. 7.

draginta vnum notat. Quod fere iuxta tabulam *Peutingerianam* ſpatium eſt ab *Auguſta Vemaniam* XLIII. M. P. quum ab *Auguſta* ad *Cambodunum* alterum illud ſint L. millia paſſuum. Dubium igitur nullum mihi eſt, in ſuis eſſe locis, quos memoramus, lapides tempore SEVERI imperatoris poſitos: poſtea reor *Alemannorum* irruptione *Campodunum* dirutum, vt THEODOSII tempore, quo refertur tabula *Peutingeriana*, hincque etiam *Theodoſiana* nuncupatur, nulla amplius iſtic ſtatio fuerit *Romana*. Ex veteri notitia *a*) imperii iuxta diuiſionem prouinciarum *Romanarum* imperatoris ANTONINI diſcimus, legionem III. in his plagis ſtationem habuiſſe: *Sub diſpoſitione viri ſpectabilis ducis prouinciae Rhaetiae primae & ſecundae praefectus legionis tertiae pro parte media praetendentis a Vimania Caſſiliacum vſque Campiduno. Caſſiliacum* nullum occurrit in tabula *Peutingeriana*, quae ad tempora THEODOSII refertur; *Vimania* tamen argumento eſt, noſtrum, in quo verſamur, *Campodunum* intelligi, vbi etiamnum in foro lapis muro domus mercatoriae inhaeret cum inſcriptione *Romana*:

LVCIANO. EVGILIANO. FILIO.
CARISSIMO.

VI-

a) Apud D. de WILHELM, p. 172.

VIXIT. ANNOS. XIX.
LVCIANVS. ING. PATER.
FECIT. S. S.

Teſtantur etiam CRVSIVS *a)* & MVNSTERVS *b)*, ille in *Annalibus Sueuicis*, hic in *Coſmographia* an. 1503. & 1674. in monte *Tiliarum*, caſtro *Hilarmontano* eiusque contiguo ſuburbio & caemeterio nummos *Marci* ANTONINI, vaſa ſacrificialia, & alia gentiliſimi monumenta effoſſa eſſe, cuiusmodi nonnulla in bibliotheca *Campidunenſi* ſeruantur.

In bibliothecam, illuſtri bibliothecario quibusdam aliis rebus diſtento, a doctiſſimo P. DONATO *a Transfiguratione Campidunenſi Piarum Scholarum* rectore deductus vix reperi aliquid attentione, praeſertim ex MSS. dignum, praeter codicem ſeculi circiter X. interpretationem nominum veteris & noui teſtamenti ISIDORI epiſcopi ad HONORIVM papam exhibentis. Bibliothecae huic praeter ea acerba fata, quae in plerisque monaſteriis, iis imprimis, a quibus proxime adueneram, ob inhiantes vrbes, lugens preceperam, id imprimis fatale fuit, quod incendio ſemel in bibliotheca orto, dum ibi ad lucernam ſedens bibliothecarius obdormiſceret, omnia conflagrarint. Archiuum tamen

a) Lib. XII. P. I. c. 3. & Lib. Paralip. h. v.
b) Lib. V. c. 233.

men integrum eſt a *Carolingica* inde ſtirpe diplomatibus principum inſtructiſſimum, imprimis compluribus LVDOVICI *Pii* filii CAROLI M. quibus ſaluae ſunt res *Campidonenſium* illuſtrium ſyncellitarum, quantiscunque machinis laceſſatur confirmatio CAROLI M. fundationis factae ab HILDEGARDE vxore ex bonis maternis, diplomate, vt praefert ſubſcriptio, dat. anno ab Incarn. Dñi dcclxxiii indict. xi regni piiſſimi KAROLI VI. imperii primo. *Actum Romae in Sco die paſchae in eccleſia Sci Petri coram Adriano papa & multis aliis principibus in Dei nomine feliciter Amen.*

Vetus inſcriptio columnae coenobili indita ita habet:

HILDEGARDIS DCCLXXIII FVNDAVIT
CAROLVS DCCLXXIV CONFIRMAVIT
ADRIANVS DCCLXXVII DEDICAVIT
ANDELGARIVS DCCLXXVIII INCHOAVIT.

Vbi videtur, confirmationem CAROLI ad annum 774. referri. Quo anno ex multorum ſententia CAROLVS paſcha *Romae* celebrauit. *Fuldenſes* tamen & alii *Francorum* annales annum

773.

773. ponunt. B. THEODORI a) eremitae S. COLVMBANI discipuli relatio in vita S. MAGNI inter alia ita habet: *Venerunt anno nempe 628. B. Magnoaldus & Theodorus ad locum, qui dicitur Campidona, ibique repererunt oppidum valde amoenum, sed penitus desertum &c.* Quum ex his verbis pateat, oppidum penitus desertum fuisse, cuius tamen aetatem monasterio superiorem pro suis iuribus allegant ciues *Campidunenses*, mirum est, eos huic relationi deferre. MABILLONIVS librum THEODORI pro suppostititio, eiusque auctorem pro impostore habet, atque etiam COINTIVS in *annalibus Francorum* ERMENRICVM monachum *Ellwangensem*, qui vitam B. MAGNI a THEODORO scriptam suppleuisse dicitur, interpolatorem facit, qui multa falsa immiscuerit. Nihilominus COINTIVS b) auctoritati vitae B. MAGNI defert, constructumque hoc ab HILDEGARDE coenobium inficiatur, sed instauratum, atque amplificatum concedit, secus ac iuxta diploma *Carolinum* dicendum foret: quod etiam *Bollandistae* c) impetunt, confidenter pro more adserentes, crebra per *Hunnos* expilatione euersioneque, ac aliis casibus periisse antiqua omnia documenta, quo-

rum

a) Lib. II. c. 2.
b) Ad an. 666. & 783.
c) T. III. *Aprilis* p. 792. 793.

rum defectum suppleturi posteri ad consuetudinem noni decimique seculi descripserint diploma, de quo est quaestio. Inquiores isti se praebent veteri rei diplomaticae, quamuis in bonam videantur vertere partem conatus diplomata supponentium. „Nos, aiunt l. c. istius„modi suppositionibus iam adsueti, quia intel„ligimus, mente non mala factas, ad euertenda „iniustissima damna imminentia possessionibus „rescripti regii munimine destitutis, non tan„tum auctoribus ignoscimus facile, sed etiam „gratiam debemus aliquam, quatenus nobis „sunt testes receptarum, & continuatarum ea„tenus traditionum, quibus licet multum sco„riae permixtum sit, subest tamen plerumque „aliquid purioris metalli, quod non totum abii„ci mereatur. Et tale est, quod HILTEGAR„DIS regina, CAROLO rege probante, ex haere„ditariis maternae successionis bonis fundaue„rit, aut saltem dotauerit *Campidonense* mo„nasterium, primo istic abbate constituto, quem „diximus, ANDEGARIO. “

Bona sunt verba, sed iis pessimis conditionibus data, quae quantam rei antiquariae cladem adferant, quiuis olfacit, & successus docuit: non obstante, quod PAPEBROCHIVS victas MABILLONIO dederit manus, rei veteris diploma-

ti-

ticae vindici, genuinarumque notarum ad dignoſcendas veteres ſcripturas ex innumeris diplomatibus genuinis auctori. PAPEBROCHIVS enim pauciſſimis, imprimis autem quoad aetatem *Merouingicam* vni S. MAXIMINIANI diplomati fidem adiungit, quod ipſum tamen potius, quam alia omnia, ſuppoſititium primo MABILLONIVS, & poſtea ſodales auctores noui tractatus diplomatici demonſtrarunt. Hi nunc in aciem deſcendunt contra manum doctorum vlterius multo progredientium, qui cum HARDVINO dicam ſcripſerunt diplomatibus. Nec vnum iam diploma, aut cartularium, vt ſubinde factum eſt, praeſertim in *Germania* noſtra, ſed archiua vetera omnia ſunt petita, in *Gallia* efferueſcente controuerſia. „In huiusmodi omni„bus diſceptationibus (aiunt doctiſſimi duumuiri „illi *a*), inter auctores *Germaniae* ſolummodo „de vno diplomate, aut ad ſummum de vno „cartulario erat contentio, Verum vt de plu„ribus aliis nihil dicatur, in *Gallia* enata eſt de „omnibus antiquis archiuis controuerſia. Do„cta *Europa* inflammata eſt, dum bellum indi„citur celebri diplomatico operi. P. GERMONIO „in ſuppetias venit abbas RAGVET, & D. BER„NARD cum armis P. VITRII. P. HARDVINVS „etiam in aciem deſcendit, in animo habens „adhuc magis enormia auctorandi poſtulata.

K 2 „So-

a) T. I. Praef. p. XXV.

„Societatem is falſariorum finxit, atque chime-
„ra iſta nihil cunctatus, reiecit monumenta o-
„mnia vetera ſacra & profana, quae praeiudiciis
„ſuis non quadrabant.“ Equidem is pro merito ſuae temeritatis ad palinodiam a ſuis ſuperioribus P. Generalis auctoritate eſt adactus, atque in ea primum caput hoc eſt, vt in laudato opere habetur: *a) Auctorem in eo eſſe, atque ea ſtatuere principia, vnde concludatur ſuppoſitio omnium fere antiquorum monumentorum eccleſiaſticorum, ingentique numero profanorum.* Ipſe textus originarius ſacrae ſcripturae *Graecus* T. N. in diſcrimen venit.

Non res manſit apud ſola chartarum publicarum tabularia, ſacratiora quoque eccleſiae ſcrinia in falſimonii crimen tracta fuerunt. P. GERMON publica ſaltem adhuc ſuſpexit archiua, & aliquando viſus eſt chartas ſolum *Merouingicas* in ſuſpicionem vocare; nihil HARDVINO religioſum fuit ex antiquis monumentis, cui antiquitatis nota promiſcue iam ſuſpicionem ingeſſit: „Nobilis profecto ſententia (inquit ab-
„bas *b) Gottwicenſ.*) quam ante GERMONIVM iam
„fouit PAPEBROCHIVS *Propyleo* n. 125. & 127.
„quem merito in eo culpat MABILLONIVS lib.
„I. c. 3. *de re diplomatica* §. 2. Quod MARES-

HA-

a) Nouv. dipl. T. I. p. 128.
b) Chr Gottw. lib. II. T. I. p. 79.

„HAMO haeretico *Anglo*, qui pulchram hanc „opinionem (*ſcilicet*) odio eccleſiarum in ſuo „monaſtico *Anglicano* protruſit, ſubſcripſerit, „diplomata nimirum quo maiorem proferunt „antiquitatem, eo magis ſuſpecta eſſe, eoque „minorem fidem habere."

Haec nos e diuerticulo in viam reuocant ad illuſtre *Campidonenſe* archiſterium, quod ſtirpe *Carolingica* exſtincta in locum ac munus veterum ducum vel comitum in *Sueuia* ſucceſſiſſe ſe gloriatur, ideoque regalia & iura eminentiora in ciuitate *Campidunenſi* adminiſtraſſe. Equidem anno 877. coenobiorum imperii in tres claſſes facta diuiſione, quarum prima imperatori dona & militiam, ſecunda ſola dona, tertia orationes tantum debeant, monaſterio *Campidonenſi* vltima tantum eſt aſſignata claſſis, idque ſingulari conſtitutione cautum adhuc, *vt nemo a praedicto monaſterio Campidona propter hoc, quod rebus pauperrimum eſt, aut dona annualia, aut aliquid operationis, aut alia quaelibet ſeruitia ad partem publicam ſeruientia, niſi quae ſponte & voluntarie obtulerit, requirere aut exactare praeſumat.* Breui tamen auctum inſigniter eſſe oportuit, ſi limites in diplomate *Ottoniano* conſiderentur, quod equidem in ſubſcriptione annum praeſefert DCCCIV. qui

CAROLO M. potius conuenit, forte ex diplomate *Carolino* annus ille iſtic expreſſus eſt. Neque tamen ſolus in ſubſcriptione error diplomatis, aut etiam alius aliquis, praeſertim hiſtoricus, lapſus in ipſo diplomate fidem tollit, vt harum rerum periti conſtanter docent. „Neque vero (inquit ſagaciſſimus, harumque rerum expertiſſimus MABILLONIVS) ſolum in chartis „etiam originalibus errata ſubrepere poſſunt, „vbi facti alicuius poſt multa ſecula fit men„tio: ſed etiam in rebus haud ita pridem ela„pſis falli aut fallere poſſunt notarii etiam im„prudentes. Cuius rei exemplum eſt in variis „chartis, maxime in iis, quae de prima eccle„ſiarum, ſeu monaſteriorum conditione agunt: „in quibus nonnunquam incerta referuntur de „tempore, aliisque circumſtantiis conditionis, „maxime quando monumenta illa longo poſt „interuallo facta ſunt.“ Quoad ſubſcriptiones ſingillatim auctores *a*) noui tractatus diplomatici „ſubſcriptio falſa (aiunt) non eſt ratio ſuf„ficiens documentum aliquod infamandi. Ali„quando notarii ex mero errore notabiles la„pſus in veris actis fecerunt. Eorum ſupputa„tio non eſt ſemper eadem cum noſtra. Ali„quando aliter annos regni vel indictionum „computant. Itaque ſupputationes non ſem„per ſibi ex omni parte concordant. Cauen-

dum

a) T. II. P. II. Sect. III. c. 9. p. 440. not. 2.

„dum igitur eſt a praecipitibus iudiciis, quando „lapſus aut veri aut adparentes non ſunt, niſi „de vno vel altero anno, & quando aliunde „omnes alii reſpondent characteres veritatis.“ Licet critica MVRATORII *a*) cenſura nonnunquam limites moderationis excedat, „In ea ta-„men non eſt ſententia, aiunt diarii *Gallici* au-„ctores, monumentum aliquod falſum eſſe iu-„dicandum inde, quod aliquid in eo detega-„tur, quod cum notionibus ordinariis non „conſentit. Qua in re duabus nititur rationi-„bus, prima eſt, quod ſaepe lapſi ſint curia-„rum miniſtri in diplomatibus, quae confece-„runt, quodque notarii, qui ea deſcripſerunt, „ſaepe plurimis vitiis infecerunt, deformarunt-„que, vt adeo graui iudicio ſeu criſi penſanda „ſint eiusmodi monumenta, vt impoſtura ab „ignorantia, inaduertentiaque diſcernatur eo-„rum, qui confecerunt aut ſcripſerunt acta. Al-„teram adfert MVRATORIVS rationem, quod „cognitiones maxime certae non ſat luminis „praebeant pro omnibus temporibus, omnibus-„que circumſtantiis. In exemplum adfert ſub-„ſcriptiones innumerarum chartarum, quae ex-„tra omnem ſuſpicionem ſunt, per indictio-„nem deſignata ea ratione, quae conciliari haud „poteſt cum quopiam receptorum ſyſtematum,

a) Journal des Sauans d'*Aout* 1742.

„nec etiam cum epochis variorum eiusmodi „diuerſorum actorum.“ Accidit nihilominus, vt propterea fama & bona periclitentur multorum ſeculorum quieta poſſeſſione firmata, ac lites ipſis intententur. At bene habet, quod impugnatores diplomatis, cuius cauſſa haec retulimus, illuſtris ac principalis huius coenobii iuribus atque limitibus hucuſque iuſtiſſime poſſeſſis nec quidquam ſua cenſura detrahere velle teſtentur. Sunt autem iura illa ac ſpacioſi limites ad amplam ſuſtentationem viginti quatuor nobilium, qui licet rerum viciſſitudine nonnunquam ad exiguum fuerint redacti numerum, ſemper tamen hucuſque illuſtre conſeruarunt ſtemma, aliudque ſubinde molientibus abbatibus *ſe Alemanniae* oppoſuerunt nobiles familiae, quibus in hoc monaſterio ſeſe DEO dicare, ac dignitatem nihilominus natalium ſuorum ſuſtinere cupientibus opportunus eſt locus. Eis non ita pridem ſub principe *Anſelmo* DE REVCHLIN acceſſit ſignum capitulare S. Crux e collo ſuſpenſa. *Engelberto* vero DE ZIRKENSTEIN *Anſelmi* ſucceſſori illuſtriſſimo ſingularis a BENEDICTO XIV. collata eſt ſacra etiam praerogatiua, ſacramentum Confirmationis adminiſtrandi iis, qui ad exemptam pertinent *Campidonenſem* eccleſiam. Priuilegium hoc perſonale eſt, ſecus ac illud, quod oſtentant abbates mona-

na-

nasterii *Elchingensis*, bona tamen episcopi *Augustani* Ordinarii cum venia exercendum. In *Italia* abbas *Cassinensis* cum nonnullis aliis ordinaria hac gaudet potestate. Vel his saltem exemplis recentiori aeuo declarant ecclesiae summi pastores, quibus commissa est dispensatio mysteriorum DEI, insignem potestatem circa ea etiam sacramenta, quae non solum iurisdictionis, sed etiam ordinis potestatem spectant, vt eorum collatio legitime indultu ecclesiae facta, rata sit vel irrita; veluti hic accidit. Atque in hoc ipso sacramento Confirmationis ad praesentem vsque diem ecclesiae *Graecae* est obseruantia, vt promiscue presbyteri hoc sacramentum dispensent, quod in occidentali ecclesia sibi reseruarunt episcopi, vno fere in contrarium exemplo in *Sardinia*, quod aegre S. GREGORIVS M. indulsit; recentiori vero aetate extraordinaria haec presbyteris missionariis ad infideles & haereticas nationes conceditur facultas. Eximia haec ecclesiae potestas exemplis variis aliorum etiam sacramentorum in libro *de eo, quod est iuris diuini & ecclesiastici circa sacramentorum dispensationem* est illustrata. Locum vero materiam hanc istic attingendi dedit praerogatiua in nostris partibus principi *Campidonensi* a *Romano* pontifice concessa, in qua proroganda, tempus docebit, vtrum CLE-

MENS XIII. obſecundaturus ſit votis celſiſſimi principis *Honorii* de SHREKENSTEIN, qui nuper raro exemplo omnium capitularium calculo electus eſt ex vice-decano (cui diſciplinae coenobialis cura incumbit) quum antea S. Theologiae eſſet profeſſor: vnde non minorem doctrinae quam vitae regularis laudem eſt conſequutus, quod ſatis mihi perſpectum fecit doctum colloquium, ad quod me clementer iterato admiſit, expoſitaque itineris mei cauſſa, quidquid ſtudiis meis commodum eſſet, ſuppeditari curauit.

Ottobura.

C*ampiduni* non diu morati ad antiquiſſimum *Ottoburanum* pariter O. S. B. monaſterium iter inſtituimus, quod propinquante anno 1764. milleſimum fundationis annum celebrandum inſtaurat inauguratione magnificentiſſimi templi, quod pro dignitate aedes monaſterii ſuperbas, picturis, marmore, opere anaglyptico ornatiſſimum adhuc ſuperat. Fundator autem SYLLACHVS cum ERMISWINDA coniuge dux *Francorum Alemanniae* praefectus comes *Hergouiae* habetur. De cuius filio TOTONE primo abbate in calend. ſec. XII. ſub ISINGRIMO abbate ſcripto haec reperimus. *XIII. Kal. Decemb.*

To-

Toto abbas fundator loci iſtius. Et in veteri necrologio ad eundem diem XIII. Kal. Decemb. *Toto noſter abbas, qui corpus ſancti Alexandri huc attulit, & eius parentes locum iſtum fundarunt.* Inter Mſs. quae rapaces vicinorum aemulorum manus, aliasque temporum iniurias effugerunt, antiquiſſimum annos fundationis adaequare prope videtur, characteribus mixtis *Merouingico-Carolingicis* exaratum, cum hac epigraphe: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti incipit Omelias anni circuli, quae legendae ſunt: item de aduentum, & natiuitate Dni. De Epiphanie. De Quadrageſima, ſiue de paſcha Dni. ſiue de aſcenſa Dni. ſeu de Pentecoſte. Vel de oms feſtiuitates, quas celebrare debemus.* Homiliae prolixiores ſunt, quam nunc eſſe ſolent, nec etiam praemittitur lectio euangelii. Ex illis duas S. FAVSTINI deſcripſit MABILLONIVS: *de eo quod dicit in euangelio, oportet ſemper orare, & nunquam deficere.* Homiliae S. GREGORII circa feſtiuitates conſequenter ponuntur, poſt quas minores de iisdem feſtiuitatibus aliorum SS. PP. inter alias ſermo SEDATI epiſcopi *de diem iudicii.* Item *admonitio, vt ſemper de peccatis noſtris, & de diem iudicii, vel de aeterna beatitudine cogitemus.* Feſta SS. haec ſolum occurrunt. ANDREAE, STEPHANI, JACOBI, & JOANNIS, *Innocentum,* JOANNIS *Baptiſtae,*

ſtae, PETRI & PAVLI, LAVRENTII. De S. MARIA. Inuentio S. MICHAELIS, id eſt, vt in cod. *San-Gallenſi* inueni, *de inuentione eccleſiae ſeu adparitione S. Michaelis archangeli.* In fine horologium eſt, quomodo dimenſione umbrae corporis humani ſtata horarum canonicarum tempora per diem & annum tunc deſignarunt, quod hic pro ſpicilegio ponam. *In nom. Dni. incip. Orelegium omnium menſuum. Januar. & Decembr. Ora prima & XI. ped. Ora tertia & nona ped. XV. Ora ſexta ped. IX. Febr. & Nouembr. Ora prima & XI. ped. Ora tertia & nona ped. XIII. Ora ſexta ped. VII. Mart. & Octobr. Ora prima & XI. ped. Ora tertia & nona pedes XI. Ora ſexta ped. V. Aprilis & Septemb. Ora prima & XI. ped. Ora tertia & nona ped. X. Ora ſexta ped. IV. Maius & Auguſtus. Ora prima & XI. ped. Ora tertia & nona ped. VIIII. Ora ſexta ped. III. Junius & Julius Ora prima & XI. ped. Ora tertia & nona ped. VI. Ora ſexta ped. II.* Simile horologium in antiquiſſimo ſacramentario *San-Gallenſi* reperi. Adeundus eſt S. BEDAE libellus de menſura horologii, ex quo ad illuſtrandam rem pro illis, qui operibus venerabilis presbyteri deſtituuntur, concordiam XII. menſium, vt vocat, exſcribam, vnde aliarum etiam praeter canonicas officii diuini dimenſio patet:

Ja-

Januarius & poſtea December.

Hora prima & vndecima pedes viginti nouem:
Hora ſecunda & decima pedes nouemdecim.
Hora tertia & nona pedes ſeptemdecim: hora quarta
Et octaua pedes quindecim. Hora quinta
Et ſeptima, pedes tredecim: hora ſexta pedes undecim.

Februarius & Nouember.

Hora prima & vndecima pedes viginti ſeptem:
Hora ſecunda & decima pedes ſeptendecim.
Hora tertia & nona pedes quindecim : hora quarta
Et octaua pedes tredecim. Hora quinta & ſeptima
Ped. vndecim : hora ſexta pedes nouem.

Martius & October.

Hora prima & vndecima pedes viginti quinque.
Hora ſecunda & decima pedes quindecim.
Hora tertia & nona ped. tredecim : hora quarta
Et octaua ped. vndecim.
Hora quinta & ſeptima pedes nouem : hora ſexta
Pedes ſeptem.

Aprilis & September.

Hora prima & vndecima pedes viginti tres.
Ho-

Hora
Secunda & decima pedes tredecim.
Hora tertia & nona, pedes vndecim : hora ſexta Pedes quinque.

Maius & Auguſtus.

Hora prima & vndecima pedes viginti & vnum: Hora ſecunda & decima pedes nouem : hora quarta & octaua pedes ſeptem.

Junius & Julius.

Hora prima & vndecima, pedes nouemdecim:
Hora ſecunda & decima pedes nouem.
Hora tertia & nona pedes ſeptem : hora quarta Et octaua pedes quinque.
Hora quinta & ſeptima, pedes tres : hora ſexta Pedem vnum.

Quum in hac tabula ordinate ſemper gradus procedant ad naturales diei horas ex vmbra creſcente aut decreſcente, prout propior aut remotior eſt ſol, iuxta ſemeſtrem curſum dimetiendas, quasdam differentias in allato ex codice *Ottoburano* horologio faciunt diuerſa horarum canonicarum momenta, praecipue quoad primam, cui ſemper vndecim pedes admenſi ſunt, quia quum matutinae laudes iuxta regulam S. Bened. incipiente luce agendae ſint, primam

mam tardius agi oportuit. Quoad reliquas horas haec eſt differentia, quod quum ſecundum BEDAE computum ſemper per binarium gradus diſtinguantur quoad Tertiam & Nonam 17. 15. 13. 11. 9. 7. quoad Sextam 11. 9. 7. 5. 3. 1. in horologio eccleſiaſtico ſit commenſuratio quoad horam tertiam & nonam, quae aequaliliter ab hora ſexta meridiei quum diſtent, ſimilem menſuram habent, 15. 13. 11. 10. 9. 8. quoad ſextam 9. 7. 5. 4. 3. 2. propter inaequalem forte loci, ad quem horologium pertinet, ab eo, cui BEDA computum deſtinavit, ſitum ad ſolem. Videtur autem potius *Italiae*, quam *Alemanniae* noſtrae ſeu monaſterio *Ottoburano* conuenire, quod nunc non diſquirimus, ſed ad alios bibliothecae *Ottoburanae* codices MSS. memorabiles progredimur: quos inter *Bern.* PEZIVS ALANI diſputationes contra haereticos pro ſua *Anecdotorum* collectione expetierat. *Mag.* BABIONIS ſermones de aliquibus dominicis & feſtiuitatibus, vt nihil dicam de pſeudonyma diſputatione CLEMENTIS P. de conſtellationibus. In Cod. ſec. XII. circiter poſt martyrologium, necrologium & regulam S. BENED. habetur epiſtola ad CAROLVM regem e monaſterio S. BENED. *Montis Caſſini* directa. *Capitula, quae tempore Ludeuici ab abbatibus directa ſunt.* S. BENEDICTI *Anianenſis* capitu-

la

la ſub tit. *De Ordine regulari.* S. STVRMII *Fuld.* abb. conſuetudines e *Caſſinenſi* aliisque *Italiae* monaſteriis collectae, & circa medium octaui ſeculi *Fuldam* illatae ſub Rubr. *Iſtum ordinem apud eos, qui in arce regulari* (Caſſino) *pollent, inuenimus.* Quae videntur ad publicam cum S. Regula lectionem deſtinata fuiſſe, quemadmodum etiam quae in alio codice martyrologii inſeruntur, nempe epiſtola THEODEMARI Abb. ad CAROLVM M. in qua plura *Caſſinenſium* conſuetudines illuſtrantia exhibentur, Capitulare *Aquisgranenſe*, Capitula nouitiorum, „De his in quibus praeceptum regulae & con„ſuetudines nonnullorum conciliorum cautius „nos conſiderare, & promtius exercere iuſſio „imperatoris admonet. Excerptus diuerſarum „modus poenitentiarum a BENEDICTO Abb. *A-„nianenſi* diſtinctus a regula S. BENEDICTI." Cum GVIDONIS quibusdam de Muſica opuſculis in MSS. ſec. XII. habetur etiam aliquid HERIMANNI, vbi in principio:

Verſus atque notas HERIMANNVS *protulit iſtas,*
Pandat vt ad votum, cuique exemplaria vocum.

In fine:

Haec ſi voce notisque ſimul diſcernere noris,
Quemuis diſtinctum potes his mox pangere cantum
Diſcernendo theſin cum praecentore vel arſin.

Oc-

Occurrit HERIMANNVS in necrologio *Ottoburano*, ſed haec ad HERMANNVM *Contractum Augienſem* monachum referuntur, vt in opere *De cantu & Muſica eccleſiaſtica a prima eccleſiae aetate vſque ad praeſens tempus* oſtendo. Inueni item RATGOT abbatem, qui in catalogo *Ottoburanorum* abbatum deſideratur. Inter recentiores codices recenſeri etiam merentur, praeter magni STAPHYLI varia conſilia ad papam, imperatorem, principes & epiſcopos, pro noua conciliorum *Germaniae* editione, conſtitutiones prouinciae *Moguntinae* ſub *Petro* ACSPALTER quinquageſimo ſeptimo archiepiſcopo, qui obiit MCCCXX. Item ſynodale *Auguſtanum* ſub *Burchardo* DE ELLERBACH, quinquageſimo epiſcopo an. MCCCCIV. Quin imo *Oratio Reuerendiſſimi Auguſtenſis eccleſiae antiſtitis Chriſtophori* STADION, in ſynodo ad clerum habita cum praefatione *Leonardi* WIDEMANNI ad illum epiſcopum. In fine ſic habetur: *Finit fauſtiſſime Reuerendi Auguſtani praeſulis oratio in noſtro coenobio Ottinpurrhenſi SS. Alexandri & Theodori martyrum* 1518. quo nimirum anno typis *Ottoburanis* impreſſa eſt. Alias raras librorum editiones recenſet SCHELHORNIVS a) in *Amoenitatibus hiſtoriae eccleſiaſticae & litterariae*, ineunte ſeculo decimo ſexto im-

a) T. II. p. 602. &c.

impreſſorum ſub auſpiciis laudati abbatis: quod haud dubie latuit MABILLONIVM, dum eum in itinere *Germanico* a muſis alieniorem deſcribit; vindicat vero ab hac inſimulatione citatus SCHELHORNIVS, iureque ſuo inter praeſtantiſſimos ſuae aetatis Mecoenates refert. Quod certe ex editis ibi epiſtolis ad REVCHLINVM patet, quantum ſtudiis P. *Nicolai* ELLENBOGII monachi *Ottoburani* fauerit. Plures adhuc MSS. codices huius doctiſſimi viri in bibliotheca *Ottoburana* ſeruantur, quos deſcriptos gratanter accepit Card. QVIRINVS. Atque libri eiusdem ſeptem, qui ex nouem ſuperſunt, epiſtolarum digni habiti ſunt, qui agente BALVZIO bibliothecae *Colbertinae* inſererentur, vt refert MABILLONIVS.

Memminga.

O*ttobura* rebus noſtris confectis in vicinam vrbem *Memmingen* contendimus, quam, fuerunt, qui *Druſomagum* PTOLOMAEO inter *Rhaetiae* vrbes memoratam exiſtiment, non ſatis *Rhaetiam* a *Vindelicia* diſtinguentes, vt iam ex ROSCHMANNO commemorauimus, qui peculiari libro *Druſomagum* pro *Bulſano* (*Bozen*) verſus alpes *Tridentinas* vindicare propoſitum habuit. Alii *Iuliomagum* faciunt, quod tamen ex aduerſo *Felicis Arboris* & *Brigantii* non lon-

longe a lacu *Acroniano* collocatur in tabula *Theodoſiana* PEVTINGERI, quo *Vindoniſſam Tenedone* via patet, conuenitque cum eo, quod LINDENBROGIVS *a*) ad *Amianum* MARCELLINVM docet, *Iuliomagum* quaeri debere in confiniis *Martianae* ſiluae, quae nunc *nigra* ſilua dicitur *der Schwarzwald.* Hanc CAESAR veteri *Hercyniae*, quae ſeſe per totam *Germaniam* protendebat, accenſet lib. VI. de *bell. Gall.* „Huius „*Hercyniae ſiluae*, inquit, latitudo nouem die„rum iter expedito patet; non enim aliter „fieri poteſt, neque menſuras itinerum noue„runt. Oritur ab *Heluetiorum* & *Nemetum* & „*Rauracorum* finibus, rectaque fluminis *Danu*„*bii* regione pertinet ad fines *Dacorum* & *A*„*nactium.*“ *Rauracis* & *Heluetiis* ad ſeptentrionem ſilua *Martiana* adiungitur; illinc ergo eſt ortus *Hercyniae* ea parte, quae nunc *nigra*, olim *Martiana* ſilua eſt dicta, cuius meridionalis pars mons *Abnobae* fuit dicta. Sed longius abeſt ſitus *Memmingae*, potiusque noſtro *Nemauiae* conuenit: niſi hoc *Gaumundiae* tribuere velis, quum in itinere *Antoniniano Campiduno* ad roſtrum *Nemauiae* ponantur XXXII. P. M. inde vero *Auguſtam* vſque XXV. VELSERVS autem neutrum pro ea *Romana* ſtatione habet, ſed vicinum potius *Roſshaupten.* In tabula *Peutingeriana* omnino non occurrit. Nec et-

L 2

a) Lib. XXI. c. 8.

etiam hic rudera, aut *Romanae* antiquitatis reliquiae certae aliquae habentur, quidquid de Catapulta, ac *Iani* aereo capite ex quorumdam relatione dicant, quod nuspiam comparet.

Singularis me ratio *Memmingam* adduxit conueniendi doctiſſimum *Io. Georg.* SCHELHORNIVM, bibliothecae ciuicae praefectum, ac ipſum bibliotheca ampla inſtructum. Praeter inſignem librorum typis editorum ſelectum in bibliotheca publica vidi Collectionem MSS. ANDREAE *Ratisbonenſis* ex bibliotheca *Vffenbachiana*, vbi plura ad illuſtrationem concilii *Piſani* & *Conſtantienſis* habentur. In bibliotheca vero *Schelhorniana*, praeter alia codicem litterarum MSS. ad concilium *Tridentinum* pertinentium exhibuit humaniſſimus poſſeſſor. Hic ruri tum degens de aduentu meo certior factus mox aduolauit, atque incredibili me excepit gaudio. Reliquum diei cum ſequenti ſermonibus de rebus litterariis conſumpſimus, aegerrime tandem diſceſſu meo abruptis. Diatribam is hoc ipſo 1760. ediderat anno ad Emin. Card. PASSIONEVM, de antiquiſſima latinorum bibliorum editione, ceu primo artis typographicae foetu, & rariorum librorum phoenice hactenus plane ignota, ac in nulla, quod quidem ipſi conſtet, bibliotheca obuia. Nactus is, neſcio qua forte fortuna fuerat duos ex tribus, tomos primum

&

& vltimum; ſimillimos vero tres tomos integerrimos in membrana impreſſos bibliotheca noſtra *San-Blaſiana* poſſidet, prout quidem SCHELHORNIVS deſcribit, ac meismet oculis vidi. Scilicet biblia noſtra frontiſpicio, vel ſingulari potius titulo carent, litterarum, vocumque compendiis, quae abbreuiaturas vocant, ſcatent, atque adeo lectio minus exercitatis paullo impeditior redditur: diphthongi prorſus exulant, duae ac tres ſubinde litterae ita ſunt ſibi inuicem iunctae, vt vnum videatur elementum. Primae librorum, capitumque litterae haud ſunt impreſſae, ſed ab illuminatore variis coloribus adpictae minio, caeruleo quoque interſtinctae; etiam additae vbiuis interpunctiones. Incipit per hanc inſcriptionem, charactere rubro impreſſam: *Incipit epiſtola ſancti iheronimi ad paulinum presbiterum de omnibus diuine hiſtorie libris. Capitulum pmū.* haec in octo capita eſt diuiſa. Sequitur: *Incipit plogus in penthateucum moiſi*, quae verba pariter litteris rubris impreſſa ſunt. Poſtea iisdem litteris impreſſis: *Incipit liber breſith quē nos geneſim dicim⁹.* Titulus hic vltimus eſt, qui ſit impreſſus; reliqui omnes vſque ad *Apocalypſin* incluſiue manu ſunt exarati, & minio adpicti, vti & in margine ſuperiore nomina librorum manu & minio adſcripta ſunt, caeruleo tamen interſtincta. Paginarum numeri, ſigna-

turae & custodes desunt. Nominum propriorum litterae initiales, nisi a principio periodorum, haud sunt caeteris maiores, quod ex *Genes. XXI.* &c. abunde adparet. Praeter colon & punctum, eaque saepius loco minus conueniente posita, ac interrogandi signum, quod iustam semper sedem pariter haud occupat, aliae non adsunt distinctiones. Puncta plerumque sunt quadrata, & quae loco commatis sunt adhibita, semper in medio, non ad imum lineae, vt puncta maiora, posita; differuntque illa phrasium ab illis interrogationis, quae vltima sunt crassiora. Ad linearum calcem, vbi voces diuidere opus est, vocis ita disiunctae nexus cum sequente linea fit per duas lineolas, vti hodie in scribendo fieri solet; & hae quidem lineolae textum supergredientes in ipso margine sunt conspicuae hoc modo (⸗). Quum vocali *i* loco puncti rotundi in antiquissimis editionibus accentus *Graecorum* acutus imponi soleat, in hisce bibliis superior circelli dimidiati pars vicem eius vbique obit; nisi vbi male expressa ista figura puncta diaereseos repraesentat: id quod quum aliis commune haud sit, inter singularia potius, quibus ista exemplaria a reliquis discernuntur, referendum est. Orthographia saepe illius aeui ruditatem redolet, cuis rei testimonia praebent *ydropicus*, *ymnus*, *olo-*

cau-

caustum, *ortus* &c. reiecta littera *h* ab initio; *nichil*, *michi*, *iusticia*, *Egyptus* &c. Notandum adhuc, psalmos in bibliis nostris non esse modo ordinario, quo se inuicem consequuntur, numeratos, sed suum quemque particulari inscriptione seu argumento duntaxat esse notatum. Finitur psalterium in prima columna aduersae folii partis per haec verba manu & minio adscripta: *Explicit psalterium.* Atque hic primum tomum finiunt, qui duos tantum horum bibliorum tomos constituunt. Sequuntur *Parabolae* SALOMONIS, atque incipiunt per prologum S. HIERONYMI in dictas parobolas. In fine *Apocalypsis* terminatur per haec verba: *Gratia dni nri ihesu cristi cum omnibus vobis amen.* Quae verba duas postremas lineas columnae quartae ex aduersa folii parte constituunt, ita, vt cum his verbis ad calcem, siue lineam 42. perducatur.

Poteram equidem iisdem fere, quibus suam, quam prae manibus habuit SCHELHORNIVS, nostram quoque editionem, quae pariter prae oculis est, & fatale bibliothecae nostrae incendium inter pauca effugit, describere verbis, quum ouum ouo vix sit similius. Quatuor tantum inter sese differunt, quorum duo ad rem ipsam nil attinent: primum, quod exemplar nostrum ex in-

tegro ſit in pergameno impreſſum: alterum bibliopegae ſolum eſt tribuendum, quod primum volumen noſtrum poſt libros *Regum* duos praeterea *Paralipomenon*, & ESDRAE quatuor libros contineat, alterum in EZECHIELE propheta deſinat, tertium denique a DANIELE reliquos *veteris* & *noui Teſtamenti* libros ordine ſuo complectatur. Tertium & quartum plus momenti habent, atque diuerſam duorum horumce exemplarium editionem produnt; vnum quidem eſt, quod lineas ſingulis in paginis 38. tantum numeret ſuo in exemplari SCHELHORNIVS, quum e contrario noſtrum in praefatione S. HIERONYMI, & primis duabus columnis libri *Geneſeos* lineas 40. in aduerſa vero eiusdem folii parte 41. deinceps autem conſtanter 42. lineas contineat; ita tamen, vt paginae 42. lineis conſtantes ſint nonnihil, vnius ſcilicet lineae ſpatio, longiores caeteris, quae 40. aut 41. lineas complectuntur. Nos hic (Tab. VII.) ſpecimen damus ſcripturae ex prima columna libri *Geneſeos*. Alterum eſt, quod in noſtris bibliis litterae compreſſiores ſint, talesque typi, quos quidam in arte periti poſt ſedulum examen pro expreſſis ex integris tabulis ligneis haberi poſſe exiſtiment. Alias noſtra typis etiam grandioribus & craſſioribus, qualibus vetuſta miſſalia imprimi ſolebant, excuſa ſunt. Et ſiqui-

quidem *Schelborniana* biblia typis ſculptis, certe noſtra quoque ſunt. Hos duos characteres ſingulares, (typos autem mobiles intelligit) horumce bibliorum putat eſſe SCHELHORNIVS, qui primam editionem eſſe demonſtrent. Ac quoad prius illud quidem *Chronici* antiqui *Colonienſis* verba in medium adfert, quae interprete MALINKROT haec ſunt: *ab anno Domini* 1440. *donec ſcriberetur* 1450. *inuentioni* (artis typographicae) *eorumque, quae ad illam pertinent, opera impenſa fuit; eoque tempore, qui iubilaeus fuit* (annus videlicet 1450.) *ceptum fuit libros imprimere, primusque, qui excuderetur liber, biblia fuere Latina, impreſſaque ea ſunt ſcriptura grandiori, quali hodie miſſalia ſolent imprimi.* Id quod egregie in biblia noſtra quadrat. *Chronicon* hoc etiam citat, atque biblia *Latina* litteris grandioribus, quarum ad miſſalia vſus eſt, primum artis typographicae foetum *Andreas* CHEVILLERIVS (*a* auctoritate etiam TRITHEMII adfirmat, licet nullum eorum exſtare exemplar dicat: atque *Proſper* MARCHAND *b*) vlterius progreſſus, illa ſuſpicienda adſerit vt librum primum ex impreſſis. Raritas autem horumce exemplarium inde forte prouenit, quod illa fors fuerint, quae *Ioannes* FVST ſecum *Pari-*

L 5

a) De l'origine de l'Imprimerie P. I. ch. 5.
b) Hiſtorie de l'Imprimerie.

risios detulisse, ibique pro Manuscriptis vendidisse narratur: quod nisi de nostris bibliis dici vix potest, vtpote quae diu ab eruditis quoque ob formam suam pro manuscriptis sunt habita; & illa de anno 1462. pro talibus venditari haud potuissent, quippe quae a fine in subscriptione sunt notata, vt nouus partus artis typographicae. Id quod antea iam pariter declararunt artifices in editionibus *Psalterii* de annis 1457. & 1459. DVRANDI *Rationalis* de a. 1459. *Catholici Ianuensis*, & *Clementinarum* de a. 1460. Typis ligneis tam grande trium voluminum opus nonnisi maximis expensis imprimi potuisse, de quibus apud TRITHEMIVM a) *Petrus* SCHOIFFER testatur, nemo mirabitur. „Reuera, „(sunt eius verba) sicuti ante 30. ferme annos „ex ore *Petri* OPILIONIS *de Gernsheim* ciuis „*Moguntini*, qui gener erat primi artis inuen„toris, audiui, magnam a primo inuentionis „suae haec ars impressoria habuit difficultatem. „Impressuri namque bibliam priusquam tertium „complessent in opere quaternionem, plus „quam 4000. florenorum exposuerunt. *Pe*„*trus* autem memoratus OPILIO, tunc famulus, „postea gener, sicut diximus, inuentoris pri„mi *Ioannis* FVST, homo ingeniosus & prudens „faciliorem modum fundendi characteres exco„gitauit, & artem, vt nunc est, compleuit."

Ego

a) T. II. chron. *Hirsaug.* ad an. MCCCCL.

Ego quidem non capio, quomodó SCHOEPFLINVS in *Vindic. Typogr.* ex verbis TRITHEMII colligere potuerit, prima biblia litteris fusis fuisse impressa. Potius TRITHEMIVM cum *Coloniensi* chronico, cuius sententiae vir doctissimus accedit, concordare existimo: quod primum librum a GVTENBERGIO *Moguntiae* mobilibus sculptis litteris impressum biblia fuisse memorauit, nimirum post vocabularium *Catholicon*, quod fixis litteris impressum idem dicit TRITHEMIVS, de quo mox. Codicem bibliorum in Baronis CRASSIERII, nobilis *Leodiensis*, bibiliotheca an. 1731. conspexit SCHOEPFLINVS, quem referendum hic non sine ratione existimat. Typos inter se omnes fere dissimiles, adeoque sculptos in eo inuenit. Eadem littera modo tenuior vel crassior, modo altior, modo breuior; eadem chartarii insignia, bubulum nempe caput, quae in sequentibus FVSTI libris comparent, in bibliis quoque *Crasserianis* occurrunt. Paginae in duas sunt diuisae columnas. Nostra quod attinet biblia, non is ego sim, qui determinare ausim, mobilibus an immobilibus typis sint impressa. Primum si sit, & SCHELHORNIVS rem euincat, iam nos inter controuersia est, sua, an nostra editio pro prima sit tenenda. Posito altero, harum rerum curiosis discutiendum propono, quidnam de

ori-

originibus rarissimi huius exemplaris biblici statuendum sit: in quo illud adhuc notandum, libro Num. cap. XX. col. 1. linea 20. haberi sphalma typographicum: *in desertum sui*, pro: *in desertum Sin*.

Vidi apud SCHELHORNIVM libros typis ligneis haud seiunctis, sed in tabulis sculptis ac incisis excusos, quales etiam iam superius recensuimus, ac a SCHELHORNIO alii quoque notantur. Libri ab eodem recensiti ad quadraginta accedunt paginas, opistographi non sunt, sed ab vna tantum parte impressi, duobus foliis conglutinatis in vnum. SCHOEPFLINVS in *Vindiciis typographicis* sequentes enumerat. *Vaticinia veteris testamenti de Christo. Argumenta ex Cantico Canticorum. Tentationes daemonis. Ars memorandi per figuras euangelistarum. Ars moriendi. Quatuor euangelia hieroglyphice. Apocalypsis figurae & sententiae. Historia B. Mariae Virg. in figuris. De antichristo*, praeter singulares typos VLPHILAE euangeliorum cod. *Vpsaliae* seruati argenteos per litteras encaustas ea ratione, qua bibliopegae titulos dorso librorum imprimere solent. Xylographiae inuentionem haud grauate SCHOEPFLINVS COSTERO in vrbe *Harlemensi* tribuit circa an. 1428. quae arti typographicae proprie sic di-

ctae

ctae praeluserit. Ad prius illud genus adhuc referendum foret *vocabularium Catholicon*, de quo ceu primo artis typographicae partu TRITHEMIVS *a)* ita scribit in *Annalibus Hirsaugiensibus*: „Imprimis igitur characteribus litterarum „in tabulis ligneis per ordinem scriptis, for„misque compositis vocabularium *Catholicon* „nuncupatum impresserunt; sed cum iisdem „formis nihil aliud potuerunt imprimere, eo „quod characteres non fuerunt amouibiles de ta„bulis, sed insculpti.“ SCHELHORNIVS (quamuis contrarium ex TRITHEMIO colligi videatur) opus hoc abruptum esse censet, tabulis ligno incisis excudi inchoatum, nimium temporis & enormes sumtus postulaturum, nec iam, typis mobilibus repertis, emtoribus satis placiturum. Certe operae pretium haud tulerit opus istud, de quo dici solebat, *Catholicon* esse, continere omnia praeter vtilia, prout in praefatione *Lexici* SALOMONIS episc. *Constantiensis* habetur. Celebre *Speculum humanae saluationis*, quod tam sollicite *Harlemenses* custodiunt, in classem hanc referendum non existimat SCHOEPFLINVS *b)* contra ac antea cum plerisque statuerat. „Li„ber est enim, ait, *Costeriana* & *Gutenbergi*„*ca* typographia compositus. Scilicet ab eo „tempore, quo scripseram, plura huius libri „exem-

a) T. II. p. 421. ad a. MCCCCL.
b) Vindic. typogr. p. 87.

„exempla in bibliotheca *Sorbonica*, *Bozeana*, „& apud *Coeleſtinos Lutetiae* inſpexi, & poſt „repetitum identidem examen inueni eum eſ„ſe mixti operis. Superior paginarum pars ico„nes, & verba litteris immobilibus ſculpta re„praeſentat; inferior autem, quae rhythmos *La„tinos* ſculptis mobilibus exprimit, geminae ty„pographiae partus eſt. Quum vero primis hu„ius ſpeculi editionibus nulla loci, temporis „aut artificis ſubiuncta ſit nota, nihil de eo ſta„tui poteſt, donec demonſtrent *Harlemenſes*, „annum 1428. eſſe eius natalem.“

Buxheim.

In propinqua vrbi *Memmingenſi* Carthuſia *Buxheim* paruum in 8ua forma libellum vidimus, tabulis ſculptis impreſſum. Abundat certe, ſi quae alia, bibliotheca *Buxheimenſis* libris ex prima artis typographicae epocha. A plerisque, perperam quidem, prima habentur Biblia, quae a. MCCCCLXII. per *Ioan.* FVST ciuem, & *Petrum* SCHOIFFER de *Gernsheim* clericum, *Moguntiae* ſunt impreſſa. Haec cum alibi, tum etiam in laudato *Buxheimenſi* monaſterio vidi, cum ſubſcriptione ad calcem ab aliis exemplaribus nonnihil diuerſa: ſic autem habet; *Preſens hoc opus preclariſſimum alma in vr-*

vrbe Maguntina inclite nacionis Germanice, quam DEI clementia tam alti ingenii lumine donoque gratuito ceteris terrarum nacionibus preferre illuſtrareque dignatus eſt, artificioſa quadam adinuentione &c. Quamquam alias haec ſit ſubſcriptio, in Bibliis *Schoifferianis* de a. 1472. occurrens. Duae quidem diuerſae huius editionis de a. 1462. habentur ſubſcriptiones, neutra tamen cum noſtra hac, quam indicauimus, conuenit. Caeterum exemplar hoc *Buxheimenſe* in pergameno eſt impreſſum, licet etiam exemplaria papyracea habeantur, tribusque voluminibus conſtat, quorum primum cum pſalterio finit. In bibliotheca noſtra *San-Blaſiana* ſimile fere habemus primum duntaxat Bibliorum volumen, typis ſculptis impreſſum in papyro, cum figura bouis ſignata, cruce transuerſa in bacillo perpendiculari ſuperius exiſtente, id quod familiare eſt *Fuſtinis* editionibus. Adduntur etiam in plerisque exemplaribus inſignia *Ioan.* Fvst, quae tamen in *Buxheimenſi*, vti & noſtro exemplari deſiderantur, vbi calamo ſolum adſcriptum eſt: *explicit Pſalterium*, quomodo omnes etiam rubricae in margine ſuperiore aeque ac in contextu, vti etiam litterae initiales ſunt exaratae. Quo minus vero noſtrum exemplar dici poſſit illorum Fvsti Bibliorum anni 1462. numerus linearum 45. per

ſin-

ſingulas paginas obſtat, quum *Buxheimenſe* habeat lineas 48. vti etiam SCHOIFFERI anni 1472. quae accurate per paginas & characteres reſpondent priori editioni anni 1462. quam vtramque in *Buxheimenſi* bibliotheca conferentes, non ſine admiratione deprehendimus, vix aliquod inter eas ſeſe diſcrimen prodere.

In eadem bibliotheca duo hac bibliorum editione antiquiores adhuc exſtant libri, primus ſcilicet *Rationale* DVRANDI, quod ſic ad calcem ſubſcribitur: *Preſens Racionalis diuinorum codex officiorum, venuſtate capitalium decoratus, rubricationibus diſtinctus, adinuentione artificioſa imprimendi ac caracterizandi, absque calami exaracione ſic effigiatus, & ad euſebiam DEI induſtrie eſt conſummatus per Ioannem Fuſt, ciuem Maguntinum, & Petrum Gernzheim Clericum Dioceſis eiusdem, anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo nono, ſexto die Octobris.* Liber hic in pergameno eſt cum inſignibus *Io.* FVST, primusque SCHOEPFLINO *a)* cenſetur typis fuſis impreſſus. Ad ſequentem annum 1460. refertur alter, ſiue *Catholicon Genuenſe*, ſeu IOANNIS de *Ianua*, aut potius *Jo.* BALBI, non vero typis ligneis impreſſum, vt illud, de quo agit TRITHMIVS, quod adeo iuxta KOCHLERVM *non ens*, aut certe opus de-

a) In *Vindic.* typograph. p. 33.

desideratum haberi poteſt. Illud vero, de quo loquimur, ſic ad calcem habet: *Altiſſimi preſidio cuius nutu infantium lingue fiunt diſerte, quique numero ſepe paruulis reuelat quod ſapientibus celat. Hic liber egregius Catholicon, Dominice incarnationis anno MCCCCLX. alma in vrbe Maguntina Nacionis inclyte Germanice (quam DEI clementia tam alto ingenii lumine donoque gratuito ceteris terrarum Nacionibus preferre illuſtrarêque dignatus eſt) non calami ſtyli aut penne ſuffragio, ſed mira patronarum formarumque concordia proportione ac modulo impreſſus atque confectus eſt.* Poſt Biblia anni 1462. mortuumque an. 1466. vel ſeq. *Ioannem* Fvst, *Buxheimii* adeſt *Secunda Secundae* S. Thomae *artificioſa quadam &c. per Petrum* Schoiffer *de Gernsheim an. Dni M.CCCC.LXVII. die ſexta menſis Martii.* Eiusdem S. Thomae in *Magiſtrum ſententiarum* ad diſtinctionem vſque quinquageſimam: ad cuius operis calcem legitur: *Preſens hoc opus quarti ſcripti Sci Thomae de Aquino alma in vrbe Moguntina &c. per Petrum Schoiffer de Gernsheim an. Dni quadringenteſimo ſexageſimo nono, tredecima die Iunii, ſit laus Deo.* Eiusdem prima pars *Secundae*, an. Dni. 1471. oct. die Nou. Item *Guil.* Dvrandi *Rationale Diu. officior. anno a natiu. Dom. MCCCCLXX. Kal. Mart. Gerbert. Iter Aleman.*

vero Februarias vndecimo libri praeſentis collectaneam, cui & rationale diuinorum titulus, Gintherus Zainer ex Reutlingen, ciuis progenitus vrbe autem commune Auguſtenſi, in medium cunctis legendum exarauit feliciter. Rurſum *Textus S. Auguſtini de ciuitate Dei Moguntiae impreſſus explicit feliciter*; impreſſus eſt autem an. MCCCCLXXII. In eodem codice: *Thomae Valois, & Nicolai Triveth, in libros B. Auguſtini de ciuitate Dei commentaria fel. inchoant.* In fine: *Igitur Aurelii Auguſtini &c. conſummatum per Petrum Schoiffer de Gernsheim an. Dñi* M. cccc. lxxiij. *die V. menſis Septembris preſidibus eccleſie &c.* In alio codice in 4. cum inſigniis *Jo.* FVST, vel *Petri* SCHOIFFER complures compacti ſunt libri SS. PP. ed. ſeculi XV. Item in alio *M. T.* CICERONIS ad QVINTVM fratrem de *Oratore*, ſine anno & loco impreſſionis. Forte tamen excuſa eſt haec editio typis Monaſterii *Sublacenſis* circa annum 1465. de qua agit LE BVRE *a*). Sequitur eadem compactura eodem typo & forma in fol. min. *Leonardi* ARETINI *de bello Italico aduerſus Gothos.* In fine libri IV. & vltimi:

Gallicus hunc librum impreſſit Nicolaus Ienſon.
Artifici grates optime lector habe.
MCCCCLXXI.

Venetias

a) Bibliographie inſtructive num. 2390.

Venetias hic an. 1468. concedens ibidem fundamenta iecit cum *Ioanne* VENDELINO *de Spira* typographiae, quae poſtea ſub MANVTIIS tantopere inclaruit. In bibliotheca *Buxheimenſi* habentur porro *Orationes Ciceronis* in fol. mai. cum his verſibus ad calcem:

Hoc ingens Ciceronis opus, cauſasque forenſes
Quas inter patres dixit & in populo.
Tu quicunque leges. Ambergau natus ahenis
Impreſſit formis. Ecce magiſter Ada.
MCCCCLXXII.

Magiſtri *Ioannis* DE VERNAY in Pſalmos & Cantica conſuetudinaria, ad calcem: *Per me Henricum Naarden MCCCCLXXIII. IV. die ante Purificationis. hora ſexta de nocte.* Ambigua eſt epigraphe ſequens operis, quod communiter an. 1488. primum *Coloniae* prodiiſſe creditur: ſic vero in exempl. *Buxheimenſi* ad calcem habet. „Summaria pariter & concluſiones *Clementinarum* & *Sexti* accurate & „compendioſe ex doctoribus circa eundem ſcribentibus per honorabilem virum dominum *Ioannem* KOELNER *de Vanckel*, artium liberalium „magiſtrum iuris vtriusque doctorem virum „peritiſſimum in florentiſſimo ſtudio *Colonienſi* „collecta anno gratiae M CCCC LXV. in vigilia Purificationis beatae DEI Genitricis MARIAE „Virginis glorioſiſſimae impreſſa finem acceperunt feliciter.“

 Ante-

Antequam *Buxhemio* difcedamus, narrandum adhuc ducimus, quod relatum accepimus a Reu.mo P. Priore ac Praefecto *Buxhemenfi*, qui rem legali inquifitione fe accepiffe adfeuerauit a perfonis adhuc fuperftitibus, paratis etiam iurato rem adfirmare prout contigit. Anno nempe 1749. primum duos argenteos nummos veteres ad hortum domui vicinum reperit puer pauperculae viduae, quos quum matri detuliffet, haec fufpicata, puerum ipfos forte clepfiffe, vrgebat, vt altero die monftraret locum. Quod quum feciffet puer, mater ibidem manu humum effodiens, mox quinque fimilium reperit monetarum. Ea gaudio geftiens recurrit, fociamque adducit, quae vna paullifper terram digitis amouens, videbatur fibi velut operculum vafis remouere, ac plena omnia argenteis nummis cernere, quorum ad maiorem cumulum manu extenta fimul 29. prehenfos attraxit. Ad hoc illa in rifum effufa, caeteris domefticis ad colligendos nummos cum clamore accurrentibus, fubito, quidquid videbatur nummorum, euanuit, exceptis his, qui ex tumultuofa domefticorum in colligendo concertatione paffim difperfi, poftea ab iisdem extra locum funt reperti. Nummi vero vniuerfim fuerunt 70. quorum maiorem partem Reu.mus P. Prior meis fubiecit oculis, imperatorum Neronis, Vitellii, Vespasiani,

Titi,

Titi, Domitiani, Traiani, Hadriani, Antonini *Pii*, M. Avrelii, L. Veri, Severi ac Commodi. Quidquid hic intercesserit ex forti, subito casu & euentu excitata, muliebri phantasia, nummi hi nobis eam certe aetatem indicant, qua *Romani* istic terrarum rerum potiti sunt.

Augusta Vindelicorum.

Augusta Vindelicorum Octauio Avgvsto, qui eo coloniam militarem deduxit, conditore gloriatur, suntque, qui hanc vrbem a Tacito *a*) splendidissimam *Rhaetiae* coloniam dici putent: quod cum eorum non congruit sententia, qui *Rhaetiam* hanc demum dictam volunt sec. IV. aut V. Hodie certe inter elegantissimas vrbes censetur. Opportune die tertio *Iulii* eo contendimus. Profestum erat Vdalrici, sanctissimi *Augustani* episcopi tutelaris vrbis & dioeceseos, imprimis vero monasterii *O. S. B.* quod ab eo nomen deinceps etiam accepit *ad SS. Vdalricum & Afram*, quia ibi sepultus est apud S. Afram martyrem, ad cuius sepulcrum fidelium confluxum iam Fortvnatvs *b*) celebrauit:

Pergis ad Augustam, quam Vindo Lupusque fluentant,
Illic ossa sacrae venerabere martyris Afrae.

M 3 Huius

a) De moribus *German.* c. 41.
b) Lib. IV. de vita S. Martini.

Huius beatae martyris paſſionem ex actis publicis concinnatam edidit *Marcus* VELSERVS inter monumenta antiqua *Auguſtanae* ciuitatis, quam ad alias editiones & complures codd. MSS. collatam RVINART *a)* in *Actis martyrum ſinceris* recudit. Imprimis memorabile habet ipſius GAII iudicis de ſanctitate religionis chriſtianae, & ſpurcitia paganicae teſtimonium. „ Iudex GA-„ IVS dixit: vt audio, meretrix es; ſacrifica, „ quia es aliena a DEO chriſtianorum. AFRA re-„ ſpondit: Dominus meus IESVS CHRISTVS di-„ xit, ſe pro peccatoribus deſcendiſſe de coelo. „ Nam & euangelia eius teſtantur, quod mere-„ trix rigauerit lacrimis pedes eius, & indulgen-„ tiam acceperit; & meretrices & publicanos „ nunquam deſpexerit, quos etiam ſecum man-„ ducare permiſit. Iudex dixit: ſacrifica, vt di-„ ligaris ab amatoribus tuis, ſicut ſemper dilecta „ eras ab ipſis, & inferantur tibi pecuniae mul-„ tae ab eis. AFRA reſpondit: Pecunias execra-„ biles iam nunquam accipiam, nam & quas ha-„ bui, quaſi ſordes abieci, quia non erant de „ bona conſcientia. Nam nolentes accipere ali-„ quando fratres meos pauperes etiam precibus „ exoraui, vt a me dignarentur accipere, & pro „ peccatis meis orarent. Si ergo, quae habui, „ a me abieci, quomodo poteſt fieri, vt quae-

„ ram

a) Pag. 455.

„ ram accipere, quae etiam quaſi ſordes abieci?
„ Iudex Gaivs dixit: iam te Christvs dignam
„ non habet. Sine cauſſa vis eum Devm tuum
„ dicere, qui te ſuam eſſe non cognoſcit. Me-
„ retrix enim quae eſt, dici chriſtiana non po-
„ teſt. Afra reſpondit: Chriſtiana ego qui-
„ dem dici non mereor, nec vocari, ſed miſeri-
„ cordia Dei, qui non de merito, ſed de ſua
„ pietate iudicat, ipſe me ad hoc nomen admi-
„ ſit. Iudex Gaivs dixit: vnde noſti, quia te
„ admiſit ad hoc nomen? Afra reſpondit: In
„ hoc cognoſco a facie Dei non eſſe proiectam,
„ quia ad glorioſam confeſſionem ſui ſancti no-
„ minis permittor accedere, per quam me credo
„ omnium ſcelerum meorum indulgentiam ac-
„ cepturam &c." Ex iisdem actis claret, Hila-
riam matrem non aediculam ſuper ſepulcrum
exſtruxiſſe, vt communis habet perſuaſio, ſed in
monumento, quod ſibi ſuisque conſtruxerat,
dum nocte cum ſacerdotibus veniens ſepelire
Afram vellet, iuſſu Gaii iudicis, impleto mo-
numento gremiis & ſiccis ſpinis, clauſoque, ac
igne ſuppoſito, illuſtre martyrium cum famula-
bus tribus oppetiiſſe. „ Sicque factum eſt (vt
„ habent acta) vt eadem die, quando ſepulta eſt
„ Afra, ſimul etiam mater eius Hilaria, nec
„ non & famulae eius ſecundum carnem, ſed et-
„ iam ſorores in Christo, Digna, Evtropia,

„ & EVNOMIA ſimul martyrii coronam acciperent; vt quae ſimul vnanimes in CHRISTVM IESVM crediderant, ad eum cum palma martyrii pariter peruenirent.“ In vtroque feſto SS. VDALRICI & AFRAE primae veſperae, vt in feſto S. VDALRICI vidimus, ſolemniſſime ter ſolent decantari, primum a monachis, quibus Canonici ad *S. Mauritium* ſuccedunt, his Capitulares Canonici eccleſiae cathedralis. Summum officium ipſo die S. VDALRICI (quod in feſto S. AFRAE abbas facit) abſente ſereniſſimo principe & epiſcopo, Suffraganeus adparatu pontificali celebrauit, praeeunte ſacra proceſſione cum SS. Cruce, quae coelitus S. VDALRICO delata OTTONI II. contra *Vngaros*, vt olim CONSTANTINO Imperatori contra MAXENTIVM, certam victoriam ominata eſt, hoc diſcrimine, quod crux illa diſparens fuerit, haec e ſolida materia, quae, cuiusmodi ſit, a nemine hactenus deſignari potuit. Hanc S. Praeſul ad latus imperatoris in praelium praetulit, deinceps vero e collo ſuſpenſam ad pectus geſſit, argentea capſula concluſam, quae ipſa alia nunc clauditur aurea Cruce, gemmis & vnionibus pretioſiſſimis exornata, cum hac inſcriptione : *Sacroſanctam hanc victoriae crucem ab angelo coelitus diuo Vdalrico portatam D. Ioannes de Giltingen monaſterii S. Vdalrici & Afrae abbas, hic occludi & exornari curauit,*

rauit, dicauitque anno M. CCCC. XCIIII. Seruatur praeterea S. Epiſcopi pecten, cuius myſticum etiam in ſacris vſum DVRANDVS *a)* deſignat: vaſcula item lignea, ex quibus cibum & potum capere ſolebat. In eius rei memoriam vidi ipſo eius nomini ſacro die alia, ad eandem formam facta, in quibus cibi & potus delati ſunt, pro more, Reu.mo ſuffraganeo, vice epiſcopi, ſupremo item vrbis magiſtratui nomine imperatoris, cui praeſenti aut eius legato iidem cibi potusque iisdem in vaſculis offeruntur.

In bibliothecam mihi admiſſo, multaque conſpicato MSS. ſpes tamen, quam ex relatione P. MABILLONII conceperam, breui concidit; dum omnibus perluſtratis non multa alicuius momenti fere ſequioris aeui papyracea deprehendi, quum tamen hic ſtudia floruerint: atque in monaſterio ars typographica fuerit fere ab incunabulis, in qua *Libb. Dialog. S. Gregorii M. an.* 1474. *ſerm. Aurei Leonardi de Vtino* 1476. *ſpeculum hiſtoriale Vincentii Bellov.* fuerunt impreſſa typis. Superſunt ſaltem adhuc non pauca, hiſtoriam imprimis patriam illuſtrantia, domeſticorum auctorum MSS. Ex his tamen etiam, & quidem, quod eſt ſummum nefas, domeſtica perfidia multa egregia clanculum ſubla-

a) Ration. lib. IV. c. 3.

ta ſunt: quorum quaedam alicubi prelo ſubiecta declarant, aliorſum extra patrios lares eſſe diſtracta. Maiorem ſelectum antiquorum MSS. in bibliotheca fratrum VEITHIORVM bibliopolarum *Auguſtenſium* reperi, quorundam etiam *Graecorum*, *Latinorum* vero non paucorum optimae notae. Quae inter excellit peruetuſta litteris *Anglo-Saxonicis* perſcripta Ven. BEDAE expoſitio in epiſtolas canonicas, continens prologum, qui in editione *Colonienſi* operum BEDAE deſideratur, CAVEVS *a)* vero ſub nomine BEDAE recenſet. Verſus quidam praemittuntur de apoſtolis canonicarum epiſtolarum auctoribus: *Iacobus*, *Cephas* &c. In medio manuſcripti eadem ſcriptura aſcetica quaedam interſeruntur. In MSS. operibus S. BERNARDI nonnulla occurrunt, quae in editione MABILLONII deſiderantur, ac examen requirunt. Inter libros impreſſos Rituale eſt lingua & litteris *Sclauonicis*, rara in noſtris terris auis.

Inſtructiſſima eſt publica ciuitatis bibliotheca nouis identidem libris locupletata, etiam MSS. *Graecis* ſuperiore ſeculo inſigniter aucta, quae magiſtratus 800. aureis comparauit. Ea inter eminet codex euangeliorum *Graecus*, totus maiuſculis litteris perſcriptus, cum accentibus tamen,

a) Sec. Iconocl. p. 403.

men, & notis muſicis pro officio eccleſiaſtico, quorum ſpecimen dabimus in *Hiſtoria muſica.* Rariſſimae etiam adſunt editiones quaedam artis typographicae adoleſcentis. Ac quidem codex biblicus annum praeſefert 1449. ſed typis haud expreſſum, & ab omni veriſimilitudine abhorrentem, quum praeſertim *Auguſtae* impreſſionem factam eſſe ex fine conſtet, characterque prorſus conueniat cum aliis bibliis 1477. ibidem impreſſis. Adſertior eſt codex *officiorum* CICERONIS celebratiſſimus ex officina *Ioan.* FVST an. 1466. in pergameno, cui hoc diſtichon adſcriptum eſt:

Artis chalcographae primordia bibliothecae
Weiſſius haec Dauid dat monumenta ſui.
Anno 1572. *Calendis Auguſti.*

Epiſtolae S. HIERONYMI an. 1470. per *Petrum* SCHOIFFER paullo poſt mortem *Io.* FVST, quam an. 1466. aut ſequenti creditur oppetiiſſe. Alia recenſere opus haud eſt poſt EHINGERI luculentum bibliothecae *Auguſtanae* catalogum. Ad introitum bibliothecae lapis cernitur cum ſequenti inſcriptione:

D. M.
VICTORINI LONGINI
EQ. AL. II.
FL. SINGVLAR.
CL. LATINVS
AEDITVVS SINGVLARIVM
H. F. C.

Ni-

Nimirum *Diis manibus Victorini Longini equitis alae secundae Flaminis singularium Claudius Latinus aedituus singularium hoc fieri curauit.*

Inscriptiones factae equitibus singularibus alibi etiam reperiuntur, veluti recensentur in diario *Italico* P. MONTEFALCONII p. 117. 358. Haec autem personas sacris deputatas designat; atque verbena herba altari imponi solita, quae ad latus sculpta cernitur, arae indicium praebet: idque singulariter vsuuenisse in sacris *Isidis*, sunt, qui credant; vnde, si diis placet, vernaculum nostrum *Eisenkraut* dictum volunt. *Conradi* PEVTINGERI aliquando ea fuit sententia, quam in sermonibus conuiualibus edixit, templum *Isidis* eo in loco stetisse, vbi nunc *Augustae* praetorium conspicitur, collemque ibi publici carceris *Isenberg*, quasi *montem Isidis* adpellatum. Sed rectius eidem originatio a publico carcere aperte *germanica* creditur *Eisenberg*: quamuis alii *Zizenberg* dici velint; opinaturque VELSERVS, *Zizam* seu *Cisam* deam topicam a *Vindelicis* olim cultam. Haec etiam *Isis* dicitur, & CRVSIVS sub hoc nomine *Campiduni* templum etiam *Isidis* fuisse dicit iam ducentis ante Christum natum annis; etsi TACITO teste, sua adhuc aetate, nulla simulacra vel templa apud *Germanos* fuerint. Iam supra diximus, *Alemannos Isidem*

etiam

etiam ſub nomine *Herthi* iuxta *Romanam* dialectum, *Maynam* deam vel *Terram* matrem, *Cybelen*, *Tellurem*, *Opem* coluiſſe: putatque *Georg. Iac.* MELLINVS in diſſertatione *de Sueuia Gentili*, immigrantes *Sueuos* circa annum Chriſti CCCCL. vna cum aliis *Iſidis* etiam ſacra & *Auguſtam* & in *Vindeliciam*, *Rhaetiam*, *Heluetiam*que omnem ſecum deduxiſſe. Multis veteribus teſtibus conſtat, apud *Romanos Iſidis* cultum frequentatum, atque cum eorum victricibus armis ſacra etiam ipſorum illata fuiſſe. DIONYSIVS *Halicarnaſſaeus* de omni barbarorum gente victa dicit, eos ritus victoris eiusque ſacra coactos recepiſſe. VELSERVS vero curioſiſſimus *Auguſtanae* ſuperſtitionis inueſtigator, aliorum etiam *Romanorum* Deorum, quam *Iſidis* veſtigia reperit, *Mercurii* imprimis complura monumenta. Idemque *Ioui* regi, *Terrae* matri, *Genio*que *Coloniae*, ſiue *Ciſa* fuerit, ſiue aliud Numen, ſacra annua facta eſſe cenſet, eaque poſtea adfulgente chriſtianae religionis lumine in DEVM O. M. Virginem matrem, & coeleſtes ſpiritus tutelares ſanctiore ritu verſa interpretatur. *Apollini Granno* in agro *Auguſtano* inſcriptiones & monumenta dicata idem ſiſtit, aucta in ſupplementis antiquorum, quae *Auguſtae Vindelicorum* exſtant, monumentorum, cum aliis innumeris, quos alii etiam recenſent *Her-*

culem,

culem, *Martem*, *Siluanum*, *Plutonem*, *Proſerpinam* &c. Cuiusmodi varia in re noſtra antiquaria *San-Blaſiana* ſeruamus ſimulacra (*Mercurium* imprimis elegantis operis, aliumque minori forma, ambos nudos) qualia *Auguſtana* nobis VELSERVS deſcribit, ex aliis *Alemanniae* partibus collecta: vnde patet, eadem varia ſuperſtitione maiores noſtros fuiſſe detentos. Id vero ſingulare eſt *Auguſtanae* vrbi, commune tamen cum aliis illuſtribus *Romanorum* coloniis, quod ex VITRVVII auctoritate, & S. AFRAE actis collegit ſaepe laudatus VELSERVS, capitolio fuiſſe ornatam, quod in excelſiſſimo vrbis loco ſitum iudicat: originemque *Romanam* inſigniter oſtentat, quod capitolium, templumque habuerit, quum alias in lucis religionem poſuerint *Germani*.

Iam ſuperius mentionem iniecimus cipporum vialium: cuiusmodi lapidum in tractu *Auguſtano*, ſeu per *Vindeliciam* & *Noricum* imprimis, haud exiguus numerus apud VELSERVM, GRVTERVM & alios videri poteſt. Praecipue vero notabile eſt, tabulas *Theodoſianas*, quae eorſum pertinent, hinc eſſe, quae a *Conrado* PEVTINGERO *Auguſtano*, in cuius bibliothecae ſcriniis diu repoſitae fuerunt, *Peutingerianae* dicuntur. Fuerunt a *Conrado* CELTE in coenobio quodam repertae, atque apud PEVTINGERVM

Auguſtae

Auguſtae depoſitae: vnde primum in dias auras prolatae ſunt, atque etiam nonnunquam *charta Auguſtana* audiunt. Ibi poſt mortem PEVTINGERI aliquamdiu delituerunt, felici omine a *Marco* VELSERO detectae iterum, & poſt varias commentationes editionesque primum ad Serenifs. *Sabaudiae* ducem EVGENIVM, indeque in bibliothecam caeſaream ceu pretioſiſſimus theſaurus nunc digniſſime ſunt collocatae. Acciderunt haec antequam praeſtantiſſima *Peutingeriana* bibliotheca collegio Soc. IESV *Auguſtano* teſtamento legaretur, vbi ſingulari conclaui diu conſtituta, nunc reliquis libris permixta ſeruatur.

Recens in eodem collegio cauſſa P. *Franc.* NEVMAYR, S. I. in eccleſia cathedrali ſacri oratoris pro fide catholica excellentiſſimi, dum *Auguſtae* degebam, per omnium ferebatur ora, ob ſermonem in defenſionem *Probabiliſmi*, quem vocant, e ſuggeſtu non ſolum habitum, ſed etiam typis impreſſum, qui *Romanam* cenſuram expertus eſt, ac ſi contineat propoſitiones temerarias, ſcandaloſas, & piarum aurium offenſiuas. Decretum pontificium *Romae*, vt ſolet, publice ad valuas eccleſiarum adpenſum fuit, atque ad epiſcopum *Auguſtanum* transmiſſum, vt ſimiliter publice adfigeretur a P. NEVMAYR ſubſcriptum: quod per Vicarium generalem curatum

eſt,

eſt, accito, vt mihi relatum eſt, ſimul aduerſario *Dominicano* P. Reichart; cuius tamen ſcriptum aduerſus P. Nevmayr cenſuram hanc minime elicuerit, tam elumbe & exſuccum, vt dicerent, qui illud legerint, alias a *Probabiliſmo* alieni, propemodum ſe in transuerſum fuiſſe actos. Cauſſam ego P. Nevmayr non ago; puto tamen, ipſum impune cum integris voluminibus pro defenſione *Probabiliſmi* in arenam fuiſſe deſcenſurum, dummodo non adſumſiſſet pro argumento ſermonis ſacri in publica cathedra, quam tot iam annis tam ſtrenue pro re catholica ſubiit, ornauitque, vt euangelicum illud locum habere poſſit: *Nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo: vnde ergo habet zizania?* Certe inimicus homo hoc fecit diabolus, vt fructum, quem ex ſacris ſermonibus percipere potuerat eccleſia, ſuffocaretur. Peroptaram, atque apud me conſtitueram, dum eram *Auguſtæ*, concionantem eum, qui iam diſceſſum parare dicebatur, audire, cuius typis editae conciones omnium ore celebrantur. Sed quum citius res meae eſſent expeditae, nihil moratus ſexto *Iuli* diſceſſum paraui, celebrata miſſa ad S. *Crucem* in eccleſia Canonicorum regularium. In qua ad ſex iam fere ſecula conſeruatur, optantibusque videre oſtenditur ſacra Hoſtia: quam matrona

quaedam

quaedam acceptam e manu ſacerdotis, iterum clam ore extractam in cera concluſit, domique ad priuatum cultum quinque detinuit annis. Tandem religione mota, ac conſcientiae malae agitata ſtimulis ſacrum Chriſti Corpus, prout cera erat incluſum, ad praepoſitum Canonicorum detulit. Qui quum diuideret ceram, ſtupens vidit Hoſtiam ſanguineum ſumſiſſe colorem. Igitur complicata iterum cera, rem VDALSCALCO *Auguſtano* tunc epiſcopo ſignificat, qui cum cleri populique proceſſione ab eccleſia *S. Crucis* ad Cathedralem ſolemni pompa aſportauit Hoſtiam, vbi decenter depoſita, a paſchate vſque ad feſtum S. IOANNIS *Baptiſtae* ita augmentata veluti eſt in cera, vt tandem ſuapte inde ſe extricaret. Vnde cryſtallo, vnacum ipſa cera ſeorſim poſita, inſertam eadem, qua antea ad Cathedralem Virginis *Mariae* baſilicam, pompa ad monaſterii *S. Crucis* templum denuo reportauit idem epiſcopus, vbi in hodiernum vſque diem ſeruatur perennante miraculo, imo innumeris, in ſolatium fidelium, confuſionem vero *Lutheranorum*, praecipue *Auguſtanorum*, qui realem quidem praeſentiam in Euchariſtia, ſed non extra vſum admittunt. Geminum eſt, quod accidit ſec. XIII. cum ſacra Hoſtia miraculum, quae *Pariſiis* adhuc colitur. Ineunte ſeculo ſuperiore apud *Gallos*,

Caluinianis maxime graſſantibus, in monaſterio *Fauerniacenſi* ſacra Hoſtia ad publicam in die *Pentecoſtes* 1608. adorationem parata, quum altare & ſacellum flamma ex ardentibus lampadibus arriperet, per triginta ſex horas in aere ſuſpenſa manſit, ac ſe in praeparatam ſindonem iterum demiſit, dum ſacerdos, qui cum commiſſa plebe fama recentis miraculi cum innumeris aliis eo aduenerat, ad maius altare ſacram in miſſa Hoſtiam eleuaret, deponeretque, vbi hodiedum ſeruatur, atque a me etiam viſa eſt in itinere meo *Gallico.* Ei vero regioni circuli *Sueuici*, quam ſtudiorum meorum cauſſa peragraui, felicitas non obtigit, vt auita religio *Catholica* ſic integra vti in *Gallia* reſtitueretur, *Lutheranis* paſſim inter *Catholicos* ſparſis, nihil eos mouentibus miraculis, quae variis in locis thaumaturgis eduntur; veluti, vt vnum ſaltem memorem, apud S. WALPVRGAM *Aichſtettae* limpidiſſimo oleo ex caſto eius corpore perpetim manante &c. Noua quoque *Kaufbeurae* libera imperii vrbe, vbi numeroſi degunt *Lutherani*, apud venerabilem CRESCENTIAM DEVS potentiae ſuae oſtentat portenta: ac ſignis prodit, quo ſibi deuotos & ſanctos proſequatur honore, dum tam glorioſos in terris etiam facit, ac ſacroſanctam ſeruat memoriam, ſtimulatque fidelium deuotionem.

Elchinga.

Elchinga.

Vnum adhuc commemorem, quod iter meum litterarium *Augusta* prosequenti occurrit in monasterio O. S. B. *Elchingensi*, cuius initia referuntur ad an. MCXXVIII. a CONRADO duce *Saxoniae* eiusque vxore LVCIA, duce *Sueuiae*, CONRADI III. Imp. sorore facta: vbi quotidiana DEVS beneficia praestat hominibus ad intercessionem Christi Matris in coelis, quam pia fidelium illuc certatim concurrentium vota sibi conciliant, deuoteque implorant. Quod ad rem meam litterariam attinet, dirae flammae adparatum antiquum litterarium huius monasterii fere absumpserunt, durante imprimis bello *Schmalcaldico* monasterii aedificiis, templo & bibliotheca cum monumentis an. 1546. 16. *Oct.* irreparabili damno exustis. Notabile tamen est manuscriptum opus *Rhabani* MAVRI de cruce cum figuris pro aetate miris depictum, atque explicatione figurarum in versibus post opus ipsum, quod ita in fine habet: *Explicit DEO iuuante opus Magnecii Rhabani Mauri in honorem &c.*

Rex regum Dominus mundum ditione gubernans &c.

Sequitur in eodem codice eadem elegantia cum

figuris *Speculum humanae ſaluationis: Incipit probemium cuiusdam nouae compilationis, cuius nomen & titulus eſt ſpeculum &c.* Praemittuntur picturae, rhythmi ſubnectuntur, quibus caſus huiusmodi elucidantur ex veteri & nouo teſtamento, omnia ſcripta & picta manu *Ludouici* SCHAFFLVZEL. Quod ipſe ſuo calamo indicat, notatque etiam annum 1469. Quo tempore iam idem opus typis impreſſum inter rariora typographiae ordientis cimelia refertur. Reperi praeterea in bibliotheca *Elchingenſi* impreſſa & manuſcripta ſpecimina *tablaturae muſicae*, qua ſingulari ratione proxima aetate compoſitiones vocales auctorum celebriorum inſtrumentis muſicis, organo imprimis, aptare ſolebant. Qua de re egi in opere meo *de Cantu & Muſica eccleſiaſtica a prima eccleſiae aetate vſque ad praeſens tempus.* Mentionem inieci ſuperius priuilegii ſingularis, inter alia Confirmationis ſacramentum conferendi vaſallis & ſubditis, abbati *Elchingenſi* conceſſi, quod hic *a)* inſertum vide.

Vlma.

a) Ioannes Poggius, epiſcopus Tropienſis ad Sereniſs. Principem Carolum Imperatorem Romanorum ſemper Auguſtum & Hiſpaniarum Regem Catholicum Sanctiſs. D. N. Pauli Papae tertii & apoſtolicae Sedis, ad terras & prouincias, ad quas ipſum Carolum Imperatorem declinare contigerit, Nuntius cum poteſtate legati de latere. Dilecto nobis in Chriſto Andreae abbati monaſterii in Elchingen Ordinis S. Benedicti dioeceſis Au-

Vlma.

Ex monaſterio *Elchingenſi* in celebrem comitiis *Sueuici* circuli vrbem *Ulmam* ſumus aduecti. Creditur, *Alemannorum* olim contra *Romanos*, ac *Romanorum* dein contra *Alemannos* in *Rhaetia* caſtrum fuiſſe, ac poſtea ſub *Francicis* regibus *Villa regia* ſeu vrbs *Palatina*, & an. 813. a CAROLO M. monaſterio *Augienſi* donata. Quod quibus iuribus factum, certant, atque

guſtenſis Salutem in Domino. Exigunt merita tuae deuotionis, quam ad Romanam eccleſiam gerere comprobaris, vt illa Tibi fauorabiliter concedamus, quibus tuae & ſucceſſorum tuorum perſonarum decori, & aliis opportune videatur. Hinc eſt, quod nos ad infra ſcripta per apoſtolicae Sedis litteras, quas iuxta indultum nobis in eis conceſſum inſerere non tenemur, ſufficienti facultate muniti, Tuis ſuper hoc nobis porrectis ſupplicationibus inclinati, authoritate apoſtolica nobis conceſſa & commiſſa, qua fungimur in hac parte, tenore praeſentium Tibi & ſucceſſoribus tuis eiusdem monaſterii abbatibus pro tempore exiſtentibus, vt a caetero Mitra, ſiue Infula, annulo & baculo, aliisque inſigniis pontificalibus vti, nec non calices, patenas, caſulas, dalmaticas & ornamenta eccleſiaſtica benedicere, & quibusuis vaſallis aut ſubditis tuis ſacramentum Confirmationis de conſenſu Ordinarii loci conferre libere & licite valeas, ſucceſſoresque tui praedicti ſimiliter valeant, perpetuo indulgemus, plenamque licentiam & facultatem concedimus, non obſtantibus apoſtolicis, ac tam prouincialibus quam ſynodalibus conſtitutionibus & ordinationibus, nec non ſtatutis & con-

atque etiam de diplomate *Carolino* nuper fuit disceptatum. *Vlma* a LOTHARIO imperatore, quod partes aemuli CONRADI *Sueuiae* ducis foueret, funditus destructa, iterum instaurata fuit, quum post mortem LOTHARII CONRADVS ad imperatoriam dignitatem adspiraret. Primo me sistendum, exponendamque itineris mei caussam duxi

suetudinibus etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, caeterisque contrariis quibuscunque. Datum Spirae septimo Kalendas Augusti, Pontificatus eiusdem Domini nostri anno nono.

Ioannes Poggius Episcopus
Tropiensis Nuntius apostolicus.

(L. S.)

Stephanus Prats Clericus Barchinonensis publicus apostolica authoritate Notarius.

Adprobatio & Ratificatio Episcopi Augustensis super praecedente priuilegio anno 1543.

Vicarius Reuerendissimi in Christo Patris & Dni Dni Ottonis Electi & Confirmati Ecclesiae Augustensis in spiritualibus generalis, vniuersis & singulis praesentium inspectoribus Salutem in Dno, & notitiam subscriptorum. Noueritis, quod Venerabilis in Christo nobis Dilectus Dnus Andreas Abbas Mnrii in Elchingen O. S. Benedicti Augustensis Dioecesis. Reuerendmi in Christo Patris & Dni Dni N. Ioannis Poggii Episcopi Tropiensis Sanctissimi Dni N. Dni Papae & Sanctae Sedis apostolicae in partibus, quo Serenissimum Principem Carolum Romanorum Imperatorem sem-

duxi doctiſſimo praeſuli Canonicorum regularium apud inſulas *Wengenſes*, qui iam clarum orbi litterario reddidit nomen, editis quibusdam tomis monaſteriologiae ſuae, in qua rara aut

per Auguſtum & Hiſpaniarum Regem Catholicum, ac terras & prouincias, ad quas ipſum Carolum Imperatorem Catholicum declinare contigerit, nuntii cum poteſtate de latere legati, quasdam conceſſionis & indulti litteras ſuper vſu Pontificalium & benedictionibus ornamentorum & veſtium eccleſiaſticarum, ac collatione Sacramenti Confirmationis vaſallis & ſubditis dicti ſui Mnrii ſibi datas praeſentibus annexas nobis praeſentauit, & quatenus indultum huiusmodi authoritate ordinaria adprobare & ratificare dignaremur, humiliter ſupplicari fecit. Quo circa ſupplicationibus huiusmodi tanq; piis, iuſtis, & rationabilibus grato occurrentes adſenſu, litteras praetactas ad manus noſtras recepimus, vidimus, & de ſuſpitione examinauimus diligenter. Et quia easdem ſanas & integras, non vitiatas neque in aliqua ſui parte ſuſpectas comperimus, litteras ſaepe dictas & contenta in iisdem ratas & gratas, ac rata & grata habentes, eas & ea authoritate noſtra ordinaria duximus admittenda & admiſimus, prout admittimus per praeſentes. Nolumus tamen, vt D. Abbas Sacrmtm Confirmationis vaſallis & ſubditis ſuis conferat, dum & quoties Suffraganei noſtri, ſeu alterius catholici Epiſcopi praeſentia commode haberi poſſit. In quorum omnium fidem & teſtimonium ſigillum praefati Dni noſtri electi & confirmati Auguſtenſis, quo noſtro vtimur in officio, praeſentibus eſt adpenſum. Datum in oppido Dillingen die prima menſis Septembris anno Dni Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo tertio. "

(L. S.)

aut necdum edita doctorum ex variis ordinibus religiosis virorum opera publicae vtilitati parat. Singulari is humanitate ipse me mox ad bibliothecam deduxit, sua manu rariores ostendere libros haud grauatus, atque hos inter manuscripta quaedam opuscula sanctitatis fama celebris, in vrbe hac olim degentis, *Henrici* Svsonis, qui ibi etiam in ecclesia Praedicatorum sepultus fuit, cuius corpus ante 30, & quod excedit, annos occasione exstruendi aedificii, inscriptione notatum rursus repertum est. Vita eiusdem praemittitur, scripta a *Fr. Felice* Fabri, celebri ex Ord. Praedicat. viro, qui *Vlmae* itidem sec. XV. libris editis claruit, MSS. eius operibus in publica praesertim vrbis bibliotheca adhuc delitescentibus. Oculis meis exhibuit etiam humanissimus abbas *Christiani* Drvthmari *Grammatici* expositionem in Matthaevm Euangelistam &c. cum epitome in Lvcam; MS. item librum famosum de *tribus impostoribus*, de quo, an in rerum natura existat, disceptant. In edit. concil. *Grabbeana* ex officina *Ioannis* Qventel a. 1551. locus concilii *Tridentini* de immaculata conceptione B. V. non habetur sicut in aliis editionibus: inde haud dubie, quod non omnibus PP. in eandem conuenientibus sententiam, varia secum detulerint hanc circa rem exemplaria. Editio *Veneta* conc. *Trid.*

an.

an. 1552. eadem quoque caret exceptione. Qua de re vid. Abbas CALMET a). In *Wengensi* biblioth. mihi a doctissimo abbate praeterea exhibiti sunt *Petri* de VINEIS libri sex epistolarum; & *Ioan.* S. MARTINI episc. ad MIRONEM regem ex bulla LEONIS X. super reform. ecclesiae, de quo SCHELHORNII *Amoenit.* Eiusdem anni 1551. habetur in ea bibliotheca *Platinae* editio non castrata.

In bibliotheca vrbis publica magna est copia rariorum sec. XV. editionum efflorescentis artis typographicae, quas inter magis notabiles sunt VINCENTII *Bellovacensis Speculum historicum*, *morale*, *doctrinale*, pluribus voluminibus per *Ioannem* MENTELIN 1473. &c. Primum opus litteris fusis *Argentorati* impressum SCHOEPFLINO b) est VINCENTII *Bellovacensis Speculum historiale* an. 1473. quatuor maximae chartae voluminibus; eam tamen alia, litteris sculptis & inaequalibus sine anno & loco impressionis, ac sine typographi nomine praecessit editio, quam *Argentorati* in bibliotheca SCHOEPFLINI vidi, ac in publica *Basileensi*. Accesserunt *Speculum morale*, *physicum*, & *doctrinale* eiusdem auctoris ex eadem MENTELII officina. *Vastum hoc*, inquit laudatus SCHOEPFLINVS, *decem*

N 5 *maximae*

a) Bibl. *Lothar.* p. 775.
b) In Vindiciis typograph. p. 47.

maximae formae voluminum opus an. 1476. *terminatum, quale nec Moguntia, nec ulla Argentinensis ab eo tempore officina typographica produxit, Menteliano nomini gloriam conciliauit, & opes. Decretales* in pergameno 1473. Eiusdem anni *Historia scholastica* P. COMESTORIS litteris minusculis *Romanis.* Sequentis anni opus celebratissimum de *Planctu ecclesiae* per *Gintherum* ZAINER. Gloriantur *Vlmenses*, non multo post inuentam typographiam in sua etiam vrbe artem eam floruisse, ac id iure quidem, vt mox citata COMESTORIS *Historia scholast.* itemque PELAGII opus de *Planctu ecclesiae*, ac alii *Vlmae* impressi libri demonstrant. Varia in hac bibliotheca habentur opera impressa lingua *Sclauonica, Vandalica,* seu *Vendica,* atque inter alia confessio *Augustana* composita ad *Lutheranam* sectam in illis propagandam regionibus. Ostendit mihi doctissimus bibliothecarius MILLER, orbi litterario editione nitidissima auctorum classicorum notus *de Trinitatis erroribus libb. VII. per Michaelem Seruets alias Reues ab Aragonia Hispanum an.* 1531. quem venenosum foetum ita conquirit humana curiositas, vt SERPILIO *Ratisbonae* consilium pessimum ingesserit, illaudatum opusculum, ad fraudem papyro & characteribus studiose conquisitis, qui primae editioni respondeant, iterum imprimendi; quum

potius

potius vltricibus flammis haud minus, quam ipse SERVETVS, sit dignum.

Inter MSS. quae nec admodum multa, nec rara sunt, Genealogia habetur regum *Persiae* ad sec. XIII. deducta in ingenti rotulo lingua *Arabica*, dialecto *Persica*, glossis lingua *Turcica* adiectis, quas nec in litteratura orientali versatissimus SCHICKARDVS explicare potuit, qui inde an. 1631. *Tubingae* in 4. imprimi fecit: „*Tarich*, h. e. series regum *Persiae*, ab ARD-„SCHIR-BABEKAN, vsque ad SAZDIGERDEM a „*Caliphis* expulsum, per annos fere 400. - - „omnia ex fide Mscti voluminis authentici a-„pud *Musulmannos*, quod a *Turcis* ex archi-„uo *Fillekensi* reportauit, & primus in *Germa*-„*niam* inuexit *Vitus* MARCHTALER *Vlmanus*." Librum hunc FERDINANDO II. Imp. dicatum *Hugo* GROTIVS, in epistola a SCHELHORNIO edita, adpellauit *tam variae eruditionis, tam impigri laboris, tantique fructus, vt ea in re omnium spem superauerit.* Creditur hoc quartum esse in *Germania* exemplar. Habetur etiam MS: opus morale *der Welsche Gast* rhythmis *theotiscis*, quod notam alicubi praefert anni 1216. quippe scriptum annis 192. post perditum sacrum sepulcrum; sed *germanica* dialectus tantae antiquitati non respondet, forte a scri-

ptore

ptore recentiore inconſulto mutata. Priuata adhuc egregia ſeruatur apud familiam *Krafftianam* bibliotheca. Inter MSS. fuit codex Epiſtolarum PAVLI, annexa etiam ſuppoſititia ad *Laodicenſes*, epiſtolis catholicis & *Apocalypſi*. Epiſtolae D. PAVLI ad *Romanos* verſus praemittuntur, qui originem eius declarant:

Iſte liber Pauli retinet documenta ſereni
Hartmotus Gallo, quem contulit abba beato
Si quis & hunc Sancti ſumit de culmine Galli
Hunc Gallus Paulusque ſimul dent peſtibus amplis.

Hac nihil obſtante imprecatione loco motus eſt, nimirum ex *D. Galli* archiſterio, vbi HARTMOTVS vergente ſec. IX poſt GRIMALDVM abbas fuit. Ex quo codicis aetas dignoſci poteſt, in quo notabilis eſt locus I. Io. V. 7. &c. *Quia tres ſunt qui teſtimonium dant, Spiritus, & Aqua, & Sanguis, & tres vnum ſunt. Sicut in coelo tres ſunt, Pater, Verbum & Spiritus, & tres vnum ſunt.* Iisdem fere verbis, ac in praeſtantiſſimo *Einſidlenſi* codice ſec. circiter IX. *Quia tres ſunt, qui teſtimonium dant, Spiritus, Aqua, & Sanguis, & tres vnum ſunt: ſic in coelo tres ſunt, Pater, Verbum, & Spiritus, & tres vnum ſunt.* Sermones in Concilio *Conſtantienſi* an. 1415. & 1416. habiti, qui *Hermanno* VAN DER HARDT ad manus

haud

haud fuerunt, quum eius concilii acta ederet. Excerpta ex illis vide in *Amoenitatibus lit.* Schelhornii *a)*: veluti etiam ex *Euagatorio* F. *Felicis* Fabri, Ord. Praed. *Vlmenſis*, cuius paullo ante mentionem iniecimus: item ex *Nicephori* Gregorae oratione in laudem Constantini. Volumen ſpiſſum in hac bibliotheca erat, partim ab ipſo *Marc. Ant.* de Dominis *Spalatino* ſcripta, partim collecta, autographa epiſtolarum plurimarum & maximam partem ineditarum complectens.

Ex rarioribus artis typographicae exorientis editionibus, poſt librum tabulis ligno inciſis impreſſum, *Ciceronis officia MCCCCLXV. ex officina Iohannis Fuſt* continentem, ab anno MCCCCLXIX. vſque ad finem ſeculi decimi quinti vix vllus intercedit annus, ex quo non vnus quin plures adſint impreſſi libri, qui etiam manuſcriptis aequiparantur, ex quibus ſunt expreſſi; vt de aliis rarioribus nihil dicam libris, qui apud laudatum Schelhornivm magno numero recenſentur.

Wiblinga.

Prope vrbem *Vlmenſem* ad confluentiam *Danubii* & *Ilaris* monaſterium *Wiblingenſe* adiacet,

a) T. III. p. 40. &c.

iacet, colonia monaſterii noſtri *S. Blaſii*, B. WERNHERO abbate cum fratribus illinc huc accito: cuius ſepulturae locum in medio eccleſiae etiam energumeni produnt, qui illuc ad *S. Crucem* ſaepe liberantur, aliaque innumera a ſexcentis iam annis narrantur miracula: ex quibus magnus numerus libello an. 1747. typis edito eſt conſignatus. *S. Crucis* inſignis pars ibi adſeruatur, noſtrae tamen in *S. Blaſio* magnitudine haud accedens; quae praeterea claui fixuram habet, vnde ex transuerſo ligno deſumtam eſſe patet, quod alterius generis ligni fuiſſe traditur *a*) oleoſi ſcilicet, vt & color fuſcior prodit, quam paſſim eiusmodi particulae ſint, ſicut etiam *Wiblingenſis*. Haec a primis fundatoribus, eam ex bello ſacro ſecum domum ferentibus, eſt relicta, HARTMANNO nempe & OTTONE comitibus *Kirchbergenſibus*, de quibus BERTHOLDVS *Conſtantienſis* ita ſcribit in adpendice ad HERMANNVM *Contractum*: „ Item in
„ *Ale-*

a) „ Balſamum autem chriſma conficitur (vt habetur in „ liturgia S. GERMANI T. V. Anec. MARTENII p. 98) len„ tiſcus genus ligni dicitur, vnde riſina balſamae tol„ letur, de hoc lentiſco in cruce dominica illa pars „ fuiſſe traditur, vbi ſanctas manus Domini clauo confixit „ impius, perficitur. Ideo & riſina ligni ipſius diſpen„ ſante . . . etiam ab antiquis temporibus imprima„ tis . . . transfundetur.“ Vitio ac decrepita aetate Mſc. accidit corruptio ac interruptio textus, quod corrigere difficile ſit, nuncque ſuperuacaneum, quum quod ad rem praeſentem facit, ſatis intelligatur.

„ *Alemannia* Hartmannvs comes & frater eius „ Otto nouum monasterium in proprio allo- „ dio, in loco, vbi *Danubius* & *Ilaris* fluuius „ conueniunt, in honorem S. Martini con- „ struxerunt, quod idem *Constantiensis* episcopus „ (Gebehardvs) in mense *Septembri* sua con- „ secratione initiauit: sed venerabilis Otto ab- „ bas de *S. Blasio* regularem disciplinam ibidem „ instituit.“ Haec ille ad annum 1093. quum alii tardius ad finem seculi vndecimi, nonnulli etiam ad initium duodecimi aduentum Wernheri reponant. Atque hic in epitaphio post XXIV. annos regiminis, Christi vero 1126. obiisse dicitur, qui tamen in bulla Vrbani II. an. 1099. iam abbas legitur. Epitaphium illud recentius ita habet: *Wernherus natione de Oellerbach huius monasterii Wiblingen a sua fundatione primus abbas, magnae humilitatis & sanctitatis norma cunctis fuit, & res sui monasterii praediis ampliauit, & locum istum multis bonis ornamentum iucundum reddidit. Obiit an. MCXXVI. & abbatiae suae XXIV. feliciter. Amen.*

Colligitur ex litteris conuentionis inter Elisabetham comitissam *de Kirchberg*, & Richardvm abbatem, memoriam eius tunc celebrem quotannis fuisse apud *Wiblingenses*, quum ea

omnia

omnia transacta dicantur in die S. WERNHERI, *qui quondam ibi abbas fuit*, vt habetur in *templo honoris* monaſterii *Wibl.* an. 1703. typis excuſo. Succeſſores habuit ex ſociis, quos ſecum ex *S. Blaſio* deduxerat, BERCHTOLDVM, ARNOLDVM, ſeu, vt monumenta *San-Blaſiana* habent, LVTOLDVM. Iterumque ſeculo XIII. ALBERTVS ad eandem abbatiam e noſtris eſt accitus. Colendiſſimi confratres haud immemores matris ſuae, humaniſſime nos exceperunt, & quidquid rebus noſtris ſeruire poſſet, ad manus dederunt promtiſſime, doctiſſimus imprimis bibliothecarius P. *Martinus* MAGG.

Quam ſtrenue ſeſe exercuerint olim monachi *Wiblingenſes* in ſcribendi labore ſec XIII. ex quodam Mſc. intelligi poteſt, in cuius margine ac fronte ita adnotatum habetur: *Feria VI. ante Iudica portauit Prior hunc librum ad reſcribendum, & dedit mihi terminum ad annum: incepi ſcribere Feria II. poſt Iudica.* Et licet monaſterium repetitis incendiis vaſtatum ſit, theſaurus tamen antiquitatis non ita in flammas abiit, vt non inſignis ſuperſit tam impreſſorum librorum, quam MSS. copia, ſed non antiqua adeo ſunt, pleraque papyracea. Inter alia inſignis eſt commentarius in regulam S. BENEDICTI duobus voluminibus in fol. ſcriptus an.

1474.

1474. cuius initium eſt: *Incipit expoſitio in regulam S. Benedicti. Hunc Chriſto invocato humiliter accipite.* In duobus codicibus, quibus liber primus tantum de Imitatione Chriſti continetur, ita ad finem legitur: *Explicit tractatus ſcriptus in concilio Baſileenſi an. Dni MCCCCXXXIII.* Biblia ſacra MCCCCLXII. per *Iohannem* FUST impreſſa. D. THOMAS in *Magiſtrum ſententiarum* an. MCCCCLXIX. *Speculum humanae ſaluationis* rariſſimum, de quo ſupra. Inter ſacra lipſana habentur oſſa S. BENIGNI cum lapide ſepulcrali:

BENIGNVS QVI VIXIT ANNIS XXI.
ET MENS. II.

Paſſim alias epitaphia chriſtiana haec habent: *In pace. In pace Domini. In pace & Chriſto. In pace fidei Catholicae.* Quodam in epitaphio apud BVONARRVOTTI *a)* maxime laconico ita legitur: *Domiti in pace. Lea fecit*: quae tamen nihil amplius, niſi chriſtianum indicant. Ad ſanctitatis & martyrii indicium aliis praeterea opus eſt monumentis & indiciis. Quod non ideo dico, vt dubiam rem faciam, ſed ſubmoneam, vt ea ſigna praecipue cuſtodiantur, atque ad excitandam deuotionem palam cum ſacris cineribus exponantur. Accidere hic et-

a) p. 164.

etiam poteſt, vt re integra in nomine erretur. Nonnunquam chriſtiani ſubito, dum vel maxime perſequutiones aderant, lapides ex ethnicis etiam ſepulcris inuerſos ſuis impoſuerunt.

Antequam *Wiblinga* diſcedam, opportunum eſt, verbum hic iniicere de controuerſia circa auctorem aurei de *Imitatione Chriſti* libelli, hic in vicinia, tanto cum ſtrepitu, nunc iterum commota: non quod illi me ingerere velim, qui nec vlli eius rei auctor ſim, atque inſigni cuidam praelato lucubrationem ſuam eo in argumento oculis ac etiam iudicio (tanta erat eius modeſtia) ſubiicienti ingenue reſpondi, non videre me, quomodo dignitatem ſuam tueri poſſit, committendo ſe liti, vbi cauillationibus & dicteriis res agitur. Alte enim animo infixa haeret eiusmet auctoris ſententia, non quis, ſed quid dicatur, potius eſſe attendendum. Vbi id obiter notem; *Odoricum* RAYNALDVM in *Continuatione Baronii ad annum* 1333. adducere reſponſum IOANNIS XXII. PP. in epiſtola ad PHILIPPVM *Galliae* regem, vbi haec etiam leguntur: *Audi, quid vnus ſapiens dicat: Non quis, inquit, ſed quid dicat, intendit.* Quae ſunt verba *Lib. I. de Imitat. Ch.* c. 5. Et quidem Codices *Aronenſis*, *Cauenſis*, *Leo-Allatianus* habent, ſed *quid dicat*, non *quid dicatur*, vt in vulgatis. THOMAS autem *Kempenſis*

ſis poſt haec demum an. 1379. eſt natus. Exhibitus quoque mihi eſt *Wiblingae* MS. codex *Anonymus* in forma duodecima papyraceus, qui quatuor continet libros *de Imitatione Chriſti* cum notis chronologicis 1384. & 1385. quae ter quaterque occurrunt. Quo ſane tempore THOMAS *Kempenſis* adeo ſapiens eſſe nondum potuit: quisquis demum ſit auctor optimi libelli. Nihil dicam de altero eiusdem formae eiusdemque monaſterii *Wiblingenſis* codice pergameno primi libri tantum *de Imitatione* miſere etiam lacerati, vt nonniſi *regiſtrum*, caput primum cum aliquot periodis capitis ſecundi ſeruarit. Quod praecedit *Breuiloquium* inſcriptum, eadem manu exaratum, & non modo in calce, ſed etiam poſt prolixum *regiſtrum* epigraphen habet 1410. *in die Ioannis Baptiſtae, & in die animarum.* Prior inceptae, altera finitae ſcriptionis nota eſſe poteſt.

Zwifulda.

Ex monaſterio *Wiblingenſi* per oppidum *Ehingen*, vbi an. MDCCXXXI. rudimenta latinae linguae ſumus auſpicati, iter direximus ad monaſterium *Zwifaltenſe, Zwifaltach*, ſeu ad *duplices aquas*, ad radices alpium *Sueuicarum* ſitum, quod pariter ac *Wiblingenſe* ab obſer-

uantia diſciplinae monaſticae commendatiſſimum eſt, eodemque fere tempore circa finem ſeculi vndecimi exordium ſumſit, colonia ſub WEZILONE primum priore, mox NODGERO abbate ex monaſterio *Hirſaugienſi* eo deducta a ſanctiſſimo abbate WILHELMO, tot monaſteriorum inſtitutore reformatoreque. In via nobis lapis occurrit, vbi vetus perſuaſio eſt, altare ethnicum fuiſſe, ac forte etiam templum *Soli* conſecratum, poſtquam a *Romanis Alemanni* templorum vſum in ſacris acceperunt. Quum *Germani* cultui aſtrorum (vt ex TACITO diſcimus) addicti plurimum fuerint, hinc ſunt, qui *Mannum*, *Lunam*, eiusque vxorem *Sunnam*, ſiue *Solem* antiquos *Germanorum* deaſtros haud incongrua originatione deducant: eosdem poſtea, nomenclaturas a *Romanis* accipientes, *Mercurium, Martem, Iouem, Solem* coluiſſe, exemplis antiquis eſt demonſtratum. Hic autem (Tab. VIII.) exhibemus inſcriptionem lapidis, quem in monaſterio *Zwifaltenſi* vidimus, ac delineari curauimus. Hoc modo vir praeſtantiſſimus praefectus prouinciae *Rhaetiae* votum ſoluit laetus, lubens, merito, ſanitati redditus, vt ſibi perſuaſerat, propitio numine *Sole.*

Inſignis eſt adparatus in hoc monaſterio MSS. operum SS. PP. S. AVGVSTINI vltra viginti volu-

ſumina, plusquam decem S. HIERONYMI & S. GREGORII, pleraque ſec. XII. circiter: nonnulla tamen etiam antiquiora a ſeculo fere nono aetatem monaſterio ſuperiorem praeſeferunt: quae inter tractatus in *Cantica Canticorum* ſine auctoris nomine, opus vero BEDAM declarat, quod ſic incipit: „Scripturus iuuante gratia „ſuperna in *Cantica Canticorum* primum ad„monendum putaui lectorem, vt opuſcula IV„LIANI *Eclanenſis* epiſcopi de *Campania*, quae in „eundem librum confecit, cautiſſime legat. Item „eiusdem aetatis tractatus in Pſalmos. *Beatus vir.* „Contra beatitudinem miſeria ponitur, quia nos „quum eſſemus miſeri vel peccatores, ab ipſo „beatitudinem accepimus.“ Pleraque alia nomina praeferunt *Graecorum* & *Latinorum* PP. SS. GREGORII *Nazianzeni*, BASILII, EPHREM, DIDYMI, AMBROSII, CASSIANI, CASSIODORI, ISIDORI, BEDAE, ANSELMI, *Rhabani* MAVRI, HAIMONIS, HONORII *Auguſtodunenſis.*

Haud minus auctoribus hiſtoricis MSS. optimae notae abundat biblioth. IOSEPHI Iudaei *Antiqq. Iudaic.* EGESIPPI *Hiſtoria de Geſtis Iudaeorum.* EVSEBII, RVFINI *Hiſtoria eccleſiaſtica.* OROSII *Chronic.* S. GREGORII *Turonenſis Hiſtor.* Vitae SS. cuiusmodi a ROSWEIDO ſunt editae, & aliae, qualiter in eccleſia publice legi conſueuerunt, in tribus voluminibus fol. reg. ſec. XII. Duo homi-

liarum codices, alter ſec. noni vel decimi, alter circiter vndecimi, titulum praeferunt S. AVGVSTINI, complectuntur tamen etiam ab aliis compoſitas. In vno horum longiores ſunt ſermones, haud dubie pro hyeme, integerque codex decem tantum continet homilias. I. *Ab eo, quod ſcriptum eſt: Quod fuit ab initio, quod audiuimus &c.* Inc. *Meminit ſanctitas veſtra &c.* II. *Ab eo, quod ſcriptum eſt, ſcribo vobis filioli mei, quia remittuntur vobis peccata &c.* Inc. *Omnia quae leguntur &c.* III. *Ab eo, quod ſcriptum eſt, pueri nouiſſima hora eſt, vſque ad id quod ſcriptum eſt: Et non habetis neceſſitatem &c.* iterum ab ipſo incipit textu. IV. *Ab eo, quod ſcriptum eſt, Vnctio ipſius docet &c.* Inc. *Meminiſtis fratres heſternam lectionem &c.* V. *Ab eo, quod ſcriptum eſt, Omnis qui natus eſt &c.* Inc. *Intente audite obſecro &c.* VI. *Ab eo, quod ſcriptum eſt, In hoc cognoſcimus &c.* Inc. *Meminiſtis fratres heſternum nos clauſiſſe ſermonem &c.* VII. *Ab eo, quod ſcriptum eſt, Iam vos ex Deo eſtis filioli &c.* Inc. *Mundus iſte omnibus fidelibus quaerentibus &c.* VIII. *Ab eo, quod ſcriptum eſt, Deum nemo vidit &c.* Inc. *Dilectio dulce verbum eſt &c.* IX. *Ab eo, quod dicit, In hoc perfecta eſt dilectio.* X. *Ab eo, quod ait: Omnis qui credit, quod IESVS &c.*

In altero homiliarum codice praemittitur *Prae-*

fatio

ſatio vel potius humilis ſupplicatio Auguſtini epiſcopi. Pro intuitu paternae pietatis &c. Sequitur *Fides S. Athanaſii.* Poſtea *Homilia S. Auguſtini de aduentu Dni. Propitia diuinitate kmi &c.* De Natali Dni. *Sanctam & deſiderabilem &c.* In Kal. Ianuar. *Dies Kalendarum iſtarum.* De Epiph. *Epiphania enim graece dicitur quod eſt apparitio &c.* De Dominico ante Quadrageſimam. *Rogo vos fratres chariſſimi & ammoneo &c.* De Coena Dni. *Hodie fratres chariſſimi audituri ſumus euangeliſtam dicentem &c.* Epiſtola S. AVGVSTINI de Paſcha. *Paſſionem vel reſurrectionem Dni &c.* Omelia die dominico ante letanias dicenda. *Ecce fratres Kmi dies ſancti ac ſpirituales &c.* De Aſcenſione Domini. *Saluator noſter, dilectiſſimi fratres &c. aſcendit in coelum.* Homilia B. GREGORII papae de eadem lectione. *Libet fratres kariſſimi &c.* Omelia in natale S. IOHANNIS. *Fratres kariſſimi hodie celebramus, quod nulli vnquam Sanctorum &c.* De natale apoſtolorum PETRI & PAVLI. *Hodie duos chriſtiani nominis fundatores.* De martyribus. *Quotiescunque frs kmi eorum MM. ſolemnia celebramus &c.* De caſtitate etiam cum vxoribus ſeruanda &c. *Magnum mihi gaudium fuiſtis fratres.* Omelia ad competentes &c. *Hodie fratres kmi ſpecialiter ad competentes &c.* Omelia Sci AVGVSTINI

epi de reddendis decimis ante natale Sci Io-HANNIS. *Propitio Christo fratres &c.* Sermo castigatorius contra eos, qui in festiuitatibus multa inhonesta committunt &c. *Magnum mihi gaudium.* Sermo, quales sint christiani boni, quales mali &c. *Gaudemus Frs kmi & DEO gratias agimus &c.* Sermo in parochiis satis necessarius. *Rogo vos fratres, frs kmi vt attentius &c.* De indigna familiaritate extranearum mulierum &c. *Nemo dicat fratres.* Commonitio ad eos, qui non solum auguria attendunt &c. *Bene nostris Frs kmi me vobis frequentius supplicasse, vt iugalis castitas seruetur &c. Quando castitatis bonum Frs &c.* De eo, quod celebretur in euangelio, vae praegnantibus & nutrientibus. *Scire & intelligere debemus &c.* De diligendis inimicis. *In diuinis voluminibus &c.* De amore inimicorum. *Scio & credo caritatem vestram.* Monitio, vt ebrietatis malum totis visceribus caueatur. *Licet propitio Christo Frs kmi credam vos ebrietatis &c.* Item admonitio contra ebrietatis malum &c. *Frequenter caritatem vestram Frs kmi paterna pietate.* Omelia de patientia. *Prouida mente & profundo cogitatu &c.* De die iudicii. *O Frs kmi quam timendus est &c.* S. AVGVSTINI de caritate. *Benedicimus DEUM nostrum Frs kmi &c.* De eo, quod scriptum

est,

eſt, munera mea data mea, & de diuerſitate feſtiuitatum. *Si obſeruatio ſacrificiorum &c.*

Habentur adhuc aliae collectiones homileticae recentiores papyraceae, & varii omnis aetatis libri liturgici, ex quibus egregia pro *Liturgia Alemannica* excerpta feci. Ex duobus exemplaribus regulae S. BENEDICTI latine ſimul & germanice ſcriptis colligi videtur, viciſſim vtramque lectionem factam fuiſſe. Vetuſtior tamen codex verbotenus verſionem *Theotiſcam* ſuperpoſitam habet, iisdem paullo minutioribus characteribus ſec. XIII. ad *Gothicum* accedentibus, vt tamen latini & germanici iidem ſint. Et vtinam, poſt abiectum vndique characterem *Gothicum* poſtliminioque reuocatum *Romanum*, *Germania* non ſola barbaras ſeruaret iſtas litteras; eaque iam fere ſuperior tantum, quum inferior *Belgica* etiam paullatim eas abiiciat: quae multos exteros, vt mihi conteſtati ſunt, iamque ſemel memini, ab addiſcenda lingua noſtra abſterrent.

In veteri codice ſec. XII. quo conſuetudines *Hirſaugienſes* continentur, in fine ſic legitur: „Hoc eſt pactum, quod inter tria monaſteria, ſcilicet *Hirſaugienſe* & *S. Blaſii* atque *Murenſe* „conſtituerunt abbates eorundem monaſteriorum Dñus WILLEHELMVS, D. VTTO, D. LVITFRIDVS cunctis fratribus voluntarie aſſenſum

„praebentibus. Quando ex aliquo praedictorum „monasteriorum ad quodcunque ipsorum breuis pro defuncto fratre interiore vel exteriore „mittatur, praenunciatio eius vsque ad proximum Capitulum differatur, & post Capitulum post *verba mea*, cum pulsatione campanarum ei cantetur, & praebenda tantummodo eadem sibi detur die: praebenda interior, „si sit de interioribus, exterior, si sit de exterioribus. Postea pro eo agantur VII. Officia & VII. Missae & totidem *verba mea*; „ita tamen, vt si Septenarius alius defuncti ad „praesens agitur, huic adiungatur. Et si interim Anniuersarius maiori cultu agendus superuenerit, de Septenario secunda collecta dicatur. Vnusquisque etiam sacerdotum Missam „vnam pro eo celebret, caeterorum quisque „sciens psalmum L. ei canat, qui autem hos „nesciat, quinquagies orationem Dominicam „ei dicat. Quodsi plures breues aduenerint, „singulis vna praebenda detur, & Septenarius „communiter agatur, & in regula nomina eorum conscribantur.“ Vnum adhuc commemorem in codice papyraceo, *Henrici* Svsonis *Horologium sapientiae* duobus libris; quos sequitur *Exhortatio quaedam bona & valde vtilis sub forma dialogi inter pontificem & sacerdotes raro Missas legentes, vel ob reuerentiam Sacramenti ommittentes &c.* Of-

Offendi etiam biblia eleganti ac illuſtri manu ſcripta, vti in tergo his verbis notatur: *Wilhelmus Saxoniae dux haec ſacra biblia propria ſcripſit manu.* 1576. Enormis eſt typographicus error in bibliis *Lugdunenſibus Iacobi* MARESCHAL *an. Dni decimo nono ſupra milleſimum, decimo ſeptimo Kal. Nouembris;* omiſſo nempe centenario numero: typus omnino conuenit cum bibliis 1524. in officina *Gilberti* de VILLIERS. Inter alios libros raros tres memorari merentur ſacrorum bibliorum codices, vnus ſine tempore & loco impreſſionis, duo cum figuris. Prima ex his duobus ſe an. 1477. impreſſa oſtendunt his verbis: *Diß durchleuchtigeſt Werck der ganzen heiligen Geſchrift genandt die Bibel für all ander vor gedruckt teutſch Bibeln. lauterer. klärer vnd warer nach rechtem gemeynen Teutſch dan vor gedencket. hat hie eyn Ende, in der hochwürdigen Keiſerlichen Stat Augſpurg. der edlen teutſchen Nacion nit die minſt ſunder mit den meyſten eben gleich genenne. zu gantzem Ende gedruchet. vmb wölich Volbringundt ſei Lob. Glori vnd Ere der hochen heyligen Trivaltikeyt. vndt enigen Weſen. dem Vatter vnd dem Sun vnd dem heyligen Geiſt. der do lebt vnd regiert Gott ewigklichen. Amen.* 1477. Altera ſic in fine habent iisdem

fere

ſere verbis : *Diß durchleuchtigiſt Werck der ganzen heyligen Geſchrifft genant dy Bibel für all and' vorgetrücket teutſch Biblen. lauterer. clarer. vnd warer nach rechter gemeyner Teutſch. mit hohem vnd großem Vleyß gegen dem lateyniſchen Text gerechtvertigt vnderſchidlich punctirt. mit überſchrifften bey dem meyſten Teyl der Capitel vnd Pſalm. iren Inhalt vnd Vrſach. anzaygende. vnd mit ſchönen Figuren dy Hiſtorien bedeutende. hat hie ein Ende. Gedruckt durch Anthonium Koburger in der löblichen Keyſerlichen Reychſtat Nürenberg. Nach der Geburt Criſti des Geſetzs der Genaden vierzehenhundert vnd in dem dreyundachtzigſten Iar. am Montag nach Invocavit. Vm wellich Volbringung ſey Lob. Glori. vnd Ere der hohen heyligen Dreyvaltikkeit vnd eynigem Weſen, dem Vatter vnd dem Sun vnnd dem heiligen Geyſt. der da lebt und regiret Gott ewigklich Amen.* Figurae plures & maiores, quam in prioribus bibliis, ſuper typos coloribus variis diſtinctae ſunt. Quod de punctione memoratur in allata ſubſcriptione, interpunctiones ſpectat, in hoc quidem codice frequentiores; non tamen niſi punctis, veteri more, conſtantes. Editionis huius exemplar ſatis nitidum in noſtra quoque *San-Blaſiana* bibliotheca adſeruatur.

Haud

Haud ita pridem monasterium *Zwifaltense*, magni equidem, auream redemit libertatem ab aduocatia ducum *Würtembergicorum*: quandoquidem id plerumque sunt experta monasteria, vt pro tutela, quam praestare debuerant huiusmodi aduocati, nulli infestius incubarent hostes, ac in seruitute ea detinerent. Nihilominus, DEO religiosae vitae piisque votis adspirante, inter haec & ingentia belli discrimia ornatissimum templum, cum ingentis molis operisque pulcherrime laqueatis turribus quadrato saxo exstruere licuit ad decorem cultus diuini. Nec sumtibus etiam parcitur ad instauranda litterarum studia, praesertim sacratiorum theologicorum, quae nouum iam in hoc monasterio accipiunt lustrum. Recurrente vndecima *Iulii* festo Translationis S. P. BENEDICTI, vt *Galli* vocant, qui sacra ossa *Cassino Floriacum* translata adhuc se possidere gloriantur, seu, vt nos vocamus, festo solemnis Commemorationis, pro laudatissima congregationis *Benedictino-Sueuicae* S. IOSEPHI consuetudine, adfui solemni votorum monasticorum renouationi, in capitulari loco ad Offertorium inter missarum solemnia quotannis fieri solitae, praeeunte formulam professionis Reu.mo abbate, reliquis verba reddentibus & vota.

Ochsen-

Ochſenhuſa.

Poſtera die per liberam Imp. *Rom. Germanici* vrbem *Biberach*, quae partim *Catholicis*, partim *Lutheranis* ciuibus componitur, mutuo ſibi, vt paſſim fit, in eodem templo in celebratione diuini officii ſuccedentibus, ad monaſterium percelebre *Ochſenhuſanum* perreximus, humaniſſime ſuſcepti a ſodalibus Ordinis noſtri. Hi ſingulari praeterea nobis foedere iuncti ſunt, rememoranturque arctius adhuc vinculum auitum, quo Congregationi noſtrae *San-Blaſianae* adſtricti erant a prima fundatione nobilium Hawinci, Adelberti, & Conradi, quos charta apud Lvnig de Wolsvoldeswendi, Brvschivs & Bvcelinvs *a*) de Wolfhartswendi adpellant, qui bona ingentia Congregationi noſtrae contulerant. Religioſiſſimus vero abbas noſter Vtto monaſterium inſtruxit, vt habet Autographa charta an. MC. his verbis: „Sed „ego Vtto indignus abbas de *S. Blaſio* fraterna compaſſione admonitus, & futurae vtilitati „prouidens poſt aliquot annos ad praedictum „locum fratres noſtros direxi ad inſtituendum „Dei ſeruitium: monaſterium in eodem loco „fieri feci, vt ſemper ibi ſit diuinum ſeruitium „ſub abbate de *S. Blaſio* ſecundum Ordinem noſtrum quem de *Fructuaria* habemus.“ Berch-

toldvs

a) Spicil. eccl. P. III. p. 365.

TOLDVS *Conſtantienſis* ſynchronus ita habet ad an. MXCII. „Eodem anno idem epiſcopus (GEBE-„HARDVS *Conſtantienſis*) praedicto abbati (VT-„TONI) aliud monaſterium non longe multum „inde in honorem S. GEORGII conſecrauit. „Quem locum, & quaeque ad illum pertinen-„tia, quidam nobilis homo CVONRADVS & fra-„ter eius ad *S. Blaſium* absque omni contradi-„ctione tradunt, & praedictum abbatem, vt „Dei ſeruitium in eodem loco inſtitueret, ro-„gauerunt, quorum votis idem abbas annuere „non ceſſauit.“ In praedicta originali charta ipſis VTTONIS verbis ita hoc firmatur: „Vt „idem locus cum omnibus ad illum pertinenti-„bus monaſterio *S. Blaſii* ſemper & in omnibus „obediat, & ſubiaceat, ſicut & *Fructuarienſi* „coenobio quaelibet ſuae cellae obediunt & ſub-„iacent &c.“ In necrologio noſtro ſec. XIV. nomina eorum comparent, qui vergente eo ſeculo in *Ochſenhauſen* ex noſtris illic obierint, Priores, Praepoſiti, Cuſtodes, Sacerdotes, Conuerſi fratres laici. Horum Praepoſitus vltimus *Nicolaus* FABRI a BONIFACIO IX. an. MCCCXCI. obtinuit, vt proprium *Ochſenhuſani* ſibi eligerent abbatem. Primus communi ſuffragio is ipſe *Nicolaus* FABRI ſequenti anno MCCCXCII. electus eſt XIII. Cal. *Maii*, a BVRCHARDO epiſcopo *Conſtantienſi* eodem anno & menſe VI. Cal.

Maii

Maii confirmatus, fruſtra tunc renitentibus Io-anne I. & II. abbatibus *San-Blaſianis.*

Rhinaugienſes ex veteri MS. ſec. XI. vel XII. ſe idem in noſtro monaſterio aliquando ante nongentos, & quod excedit, annos obtinuiſſe ius gloriantur, vbi ita legitur: „ *Alba cella,* „ quae nunc *S. Blaſii* dicitur, videlicet propria „ fuit cuiusdam nobilis viri nomine Sigimar, „ quam pro ſemetipſo & filio ſuo, cui nomen „ Lvthere modo ſub confirmatione tradidit „ *Rhinaugiae* ad ſtabiliendum ſeruitium S. Ma-„ riae annuente Dno eiusdem loci haereditario „ tutore: " quod idem iisdem verbis mox auerſa repetitur pagina. Aliud vero aperte nihil vel noſtra, vel *Rhinaugienſia* vetera documenta, aut chartae loquuntur, quouſque firmatum fuerit aut perdurauerit, vel quando aut quomodo ſolutum fuerit vinculum, quod nunc a multis annis, praeter ordinis communionem, peculiare confoederationis tenet, arctaque amicitia. Sed de hoc inferius artic. *Rhinaugia* rurſus plenior redibit mentio. Gratulantur interim nobis *Rhinaugienſes* ſortem noſtram: vti nos *Ochſenhuſano* monaſterio, nunc inter primae magnitudinis circuli *Sueuici* ſidera fulgenti, fortunam ac incrementa etiam ſtudiorum: quod nos hic libenter de *Ochſenhuſanis* teſtamur, atque ad vlteriores progreſſus hortamur litterarum tum ſacra-

cratiorum, vt valere iuſſis inutilibus ſcholaſticis tricis ſolidiora theologiae diſcipulis inſtillent principia, tum etiam aliarum diſciplinarum ad formanda rite ſtudia neceſſariarum.

Hoc in praeſentiarum commemorare iuſtum eſt contra iniquam P. ZIEGELBAVR vel LEGIPONTII in hiſtoria litteraria Ordinis S. BENEDICTI cenſuram, indignantium *Ochſenhuſanis*, quod ANDREAE monachi *S. Michaelis Bambergae*, & *Ioanni* TRITHEMIO coaetanei, librum *de viris illuſtribus Ordinis S. Bened.* deſcriptum *Bambergae*, & *Ochſenhuſium* miſſum an. 1615. haud ſubminiſtrauerint, vtique magno vſui futurum ad argumentum poſteritati committendorum illuſtrium ex D. BENED. Ordine virorum. Facile hoc deprehendi perluſtrato eo codice, qui licet non ſit antiquus, ornamentum tamen praecipuum eſt bibliothecae *Ochſenhuſanae*: veluti etiam epitome lexici, quod SALOMONI epiſcopo *Conſtantienſi* adſcribitur, *Michael* vero HEIMINSFELD GOLDASTVS *a*) eius auctorem facit ISONEM monachum *San-Gallenſem*, qui obiit an. 871. fuitque SALOMONI coaetaneus, imo magiſter, cuius hortatu & iuſſu ſaltem laudata epitome mox initio facta memoratur: „Incipiunt „gloſſae iuſſu SALOMONIS *Conſtantienſis* epi, de „diuerſis libris in vnum volumen ſub breuitate „collectae.

a) Rerum *Alemannicarum* T. I. P. II. p. 230.

„collectae. A littera in omnibus generibus id-„eo maior est litterarum pro eo, quod ipsa „nascentibus vocem aperiat.“ Ad finem aliqua desunt, sed pauca, vt postremus articulus iuxta ordinem alphabeti vsque ad litteram Z prodit, est autem *Zographa pictura*, *Zographa pictor &c.* ex *Graeco* nimirum, quia imagines ad viuum picturis exprimuntur. Codex est sec. XII. in forma *Quarta* non amplius vno & dimidio pollice in crassitie habens. Impressum amplum in folio lexicon satis huic conuenit, praesefert autem nomen SALOMONIS secundi, non tertii, in praefatione, vbi haec leguntur: „Ergo SA-„LOMON ille noster secundus ecclesiae *Constan-„tiensis* episcopus his frena cupiens imponere, „quid aeger ab aegroto differat eleganter, lati-„ne, aperte, plane, distincte & ornate in hoc „opere breuibus disseruit, cui glossae non *Ca-„tholicon*, quod est vniuersalis, vt IOHANNI „*Ianuensi* est titulus, qui gloriatur continere „se omnia, cui pulchre a quodam obiicitur, „praeter vtilia. Hoc idem omnis sentit *Italia* „&c.“ Nulla tamen additur numerica distinctio nominis in titulo, qui iste est: „SALOMONIS ec-„clesiae *Constantiensis* episcopi Glossae, ex illu-„strissimis collectae auctoribus incipiunt feliciter. „A in omnibus gentibus ideo prior est litterarum, „pro eo, quod ipsa prior nascentibus vocem „aperiat &c.“

Sed

Sed vt ad bibliothecam *Ochſenhuſanam* revertamur, antiquiſſimus eſt eius MS. heptateuchus ſec. IX. Accedunt aliqua ſec. XI. & XII. S. AVGVSTINI duo volumina in *Ioannem*: de Doctrina chriſtiana, & de verbis Domini. S. GREGORII Moralium, & in *Ezechielem* libri. PATERII excerpta ex S. GREGORIO. In pſalmos catena SS. PP. cui *Petri* LOMBARDI, magiſtri ſententiarum, praefixum eſt nomen. Expoſitio HAYMONIS ſuper epiſtolas & euangelia per circulum anni; ſparſae ſunt tamen etiam aliae homiliae e. g. S. AVGVSTINI, Ven. BEDAE. Accedit alterum volumen paullo minori forma eiusdem aetatis, &, vt videtur, eiusdem manus. Item duo volumina complectentia Legenda Sanctorum. In alio volumine poſt *Paſchaſium* RATBERTVM de Sacramento Corporis & Sanguinis Chriſti ſequitur *Libellus excerptus de libris Tuitienſis abbatis, quem paullo antequam obiret, de meditatione mortis componere cepit, & non perficere potuit.* Inc. *Quid nunc agis o anima.* Item homiliae S. CAESARII *Arelatenſis* ad monachos. In alio codice ordo de feſtiuitatibus mñrii *Fructuarienſis*: quem communem nobiſcum in Congregatione *S. Blaſii* habuerunt, quum nos *Fructuaria* conſuetudines monaſticas ſub VTTONE abbate acceperimus. In alio codice habentur etiam conſuetudines *Hir-*

 ſaugienſes

ſaugienſes S. Wilhelmi. Liber poenitentialis ex ſcrinio *Romanae* eccleſiae adſumtus, quomodo poenitentes ſint ſuſcipiendi, iudicandi ſiue reconciliandi. Inc. *Quotiescunque chriſtiani ad poenitentiam accedunt, ieiunia damus &c.* Sequitur in eodem codice liber poenitentialis ex canonicis inſtitutionibus a Rhabano Ven. archiepiſcopo compendioſe defloratus. *Dilecto fratri Meribaldo Alcedonenſi antiſtiti &c.* Paſſio S. Georgii M. patroni monaſterii, vti in alio codice paſſio S. Blasii rhythmice compoſita. Haec ad ſeculum fere duodecimum pertinent. Adhuc mentionem merentur codices duo ſec. XIII. Alter de ſitu locorum Sanctorum Arculphi. In fine ſequens S. Bernardi annectitur epiſtola, quam fruſtra in editione Mabillonii quaeras; „B. *Clareuall.* vocatus abb. „dilecto in Chriſto filio G. de Stopho ſalu„tem, & orationes. Kariſſimus filius noſter „frater tuus Henricus ad nos diuertit, & „conſilio noſtro ſalutaris ſigni, quod accepe„rat, propoſitum non depoſuit. Sed longe „meliora: vti pauper enim factus pro paupe„re Christo in domo pauperum Christi ſub „religionis habitu diſpoſuit conuerſari. Quod „tibi nec graue debet videri, nec aſperum, „quia ipſe cum Maria optimam partem ele„git, quae non auferetur ab eo, & faciem

„ in-

„ induit vere euntis in *Hierusalem*, non quae „ occidit prophetas, sed eam, cuius participa- „ tio in idipsum. Consolare igitur in verbis „ istis & memento, quid inter vos nouissime „ fueritis colloquuti. Et sic age cum eo de om- „ nibus, vt a nobis & ab ipso gratiam, & a „ DEO misericordiam consequaris. Bene vale! „ semper dilecte.“ Alter codex sec. XIII. continet sermones magistri MANDVCATORIS ad sacerdotes. Inc. *Erudimini qui iudicatis*. In alio sec. XV. habetur Tractatus de veneno vitorum a frẽ MALACHIA de prouincia *Yberniae.* Quodsi exiguus sit numerus manuscriptorum in bibliotheca *Ochsenhusana*, amplior est impressorum optimae notae, imprimis SS. PP. ex editione *San-Maurensium* nostrorum.

Waldse.

O*chsenhusio* abeuntes in via asperrima haud leue vitae periculum subiuimus, equis subito cursum obuertentibus, vt saluti consulendum fuerit promto ex rheda prolapsu. Equis iterum compositis salui in oppidum *Waldse* peruenimus. Incumbit illud castro comitum S. R. I. Dapiferorum de WOLFEGG, vbi facta mihi apud illustrissimum comitem audientia id singulariter oblectauit, quod in cubili

ſalutatorio, alias fere aliis quibusuis ornamentis inſtrui ſolito, bibliothecam offenderim, fratresque comites plures per horas de rebus litterariis auidos ad audiendum, & ad colloquendum expeditos ſim expertus. Apud collegium poſtea Canonicorum Regularium bibliothecam obiter luſtrauimus, obſeruauimusque, quantum libuit, ac per tempus licuit, libros quosdam melioris notae, qui etiam in recte ordinatis bibliothecis & ſelectis attentionem ſingularem merentur. MSS. vix alicuius momenti reperi praeter Autographa non pauca *P. Ionae* HAENLIN loci illius Canonici ac Praepoſiti, qui ad finem ſec. XVI. & initium ſequentis multa metro & proſa compoſuit publica luce digna. Agit nunc Reu.mus Praepoſitus *Romae*, vt in Diuorum coetum adſcribatur B. ELISABETHA *bona* ſanctimonialis tertii Ordinis S. FRANCISCI in propinquo monaſterio *Reüte*, ob eximiam vitae ſanctitatem dum viueret, & conſtanter hucuſque poſt mortem omnium ore celebrata, perenni eam proſequente fidelium cultu ac veneratione. Olim ea cauſſa agentibus potiſſimum FERDINANDO II. Imp. & LEOPOLDO Auſtriae duce ad ſacram rituum congregationem delata eſt, nunc readſumta, actaque vulgata, ſeu *poſitio ſuper dubio, an ſit ſignanda commiſſio readſumtionis cauſſae*

in

in ſtatu & terminis: poſtquam nimirum iterato epiſcopus *Conſtantienſis* inquiſitionem, quae ſolet eſſe antecedanea, inſtruxerat de cultu perpetuo. Quod iam factum fuerat an. 1623. a IACOBO epiſcopo, aperto per id tempus ac eleuato e terris, vt ſolemne eſt, ſepulcro, quum prius lapis tantum ſepulcralis elatus ſuper pauimentum ad altaris formam ſtaret. Anno deinde MDCXXV. auctoritate Sedis apoſtolicae ſolemnis inquiſitio ſeu proceſſus eſt inſtitutus de eadem ſancta Virgine inter Diuos referenda; ſed belli tricennalis turbis in irritum tunc reciderunt pii conatus, ac iam multum profectae operae. Locus vti antea, ita ab eo maxime tempore vſque ad praeſentem diem, magno piorum populorum concurſu frequentatur, ipſaque ſepulcralis lapidis moles ingens ramentis abraſis plurimum attrita conſpicitur, inconſulta ſane ea religione, vt, quod primum Beatae huic Sanctimoniali poſitum erat monumentum, illuſtre epitaphium ſic conſumtum prorſus fuiſſet, niſi clauſum demum eſſet. Eius Apographum adhuc in collegio Canonicorum ſeruatur, atque delineatum in epiſtola Emin. Card. de RODT, quam hic integram damus, refertur. *a*)

Fama

a) „SANCTISSIME PATER!

Inter illuſtriora ſanctitatis ſydera, quae hactenus dioeceſim *Conſtantienſem* illuſtrarunt, non vltimum lo-

Fama etiam ſanctitatis celebratur ELISABETHAE confeſſarius *Conradus* KVGELIN, praepoſitus *Can. Reg.* vt de ipſo aliquando proceſſus canonizationis inſtaurandus exiſtimetur. Scripſit is ELISABETHAE vitam: de qua etiam MARIANVS in chronico, WADINGVS in Supplem. annalium

cum ſibi vindicat nota paſſim, & omnium quaſi ore celebrata per *Germaniam*, & imprimis per *Sueuiam Eliſabetha* ACHLIN, ex *Auſtriaco* oppido *Waldſee* oriunda, quae quum vix decimum ſextum aetatis ſuae annum compleuiſſet, in monaſterio monialium Ordinis *S. Franciſci Conuentualium* in pago *Reüthe*, olim *Rutti* nuncupato circa annum milleſimum quadringenteſimum ſecundum DEO ſe deuouit, ab eoque tempore vſque ad obitus ſui diem, quem anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimo, die vigeſima quinta *Nouembris* ſanctiſſime clauſit, admirabilis vitae fama adeo inclaruit, vt ab omnibus ſemper habita fuerit pro Sancta, & propter innocentiam ſuam, ac morum integritatem meruerit adpellari *Eliſabetha bona*, ſeu *Sueuorum* dialecto *bona Betha*, quod nomen in praeſentem vſque diem retinuit, eoque inſigniuit monaſterium monialium in *Reüthe*, quod ab antiquiſſimis temporibus non alio vocari nomine ſolet, niſi monaſterium *ad Eliſabetham bonam.* Quum ob crebra beneficia & miracula, quae plerique poſt mortem beatae *Eliſabethae bonae* a DEO per ipſius merita a ſe obtinuiſſe teſtabantur, fidelis populi deuotio erga ipſam creuerit, vt de illius beatitudine minime dubitans, eiusdem in coelis ſuffragium nuncupatis votis, ac magno animi ardore ſupplex implorare non deſtiterit, compluribus etiam ex locis longius diſſitis ad ſepulcrum Venerabilis Famulae DEI peregrinantibus, votique cauſſa confluentibus; hinc Dnus Praepoſitus, & Conuentus Collegii Canonicorum Regularium *S. Auguſtini in Waldſee*, cui eccleſia reſpectiue parochialis, & monaſterialis in *Reüthe* incorpo-

lium *Franciſc.* P. Rassler &c. agunt. Tanta vero in natali ſolo fuit laudatae Elisabethae ſanctitatis opinio in vita & poſt mortem, vt non multo

rata eſt, totaque late patens *Sueuia* humiliter petiit, vt in Sanctorum numerum conſuetis eccleſiae ritibus redigeretur. Quamobrem Praedeceſſor meus *Iacobus* Fyggervs, epiſcopus *Conſtantienſis* piae memoriae an. milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto proceſſum informatiuum, vti moris eſt, ſuper vita, virtutibus & miraculis B. *Eliſabethae bonae* authoritate ordinaria inſtituit, qui *Romam* transmiſſus fuit, vnacum promotorialibus Ferdinandi *Secundi* imperatoris, & archiducis Leopoldi, qui maxime anno 1629. negotium ſolemnis beatificationis ſummo ſtudio vrgebant. Verum ob inualeſcentem haereſim Lvtheri, & inſequutos grauiſſimos bellorum motus, qui toti *Germaniae* excidium religionis catholicae minabantur, aliasque iniurias temporum cauſſa haec dormiuit, vſquedum euigilauit zelus moderni Domini praepoſiti & abbatis praedicti collegii *Waldſeenſis*, qui quum aduerteret, numerum peregrinorum tum deuotionis, tum quaerendae ſalutis temporalis cauſſa in dies creſcere, pro augmento cultus Sanctitati Veſtrae litteris meis commendari poſtulauit. Cuius iuſtiſſimo deſiderio annuens, ſuperiore abhinc anno ad Sanctitatem Veſtram ſupplices preces dedi, vt corpus Virginis e ſubterraneo, quo nunc iacet, loco, ad ſacelli aram ipſi dicatam transferri, ac ſingulis annis officium de beata *Eliſabetha bona* cum miſſa de Communi Virginum tam a Canonicis Regularibus *S. Auguſtini* in *Waldſee*, quam a ſanctimonialibus in *Reüthe* recitari, ac reſpectiue celebrari valeat. Ad hanc petitionem ab Emo Dno Cardinale *Columna de* Sciarra reſcriptum eſt, omnes meos conatus vanos & irritos fore, niſi prius doceatur de cultu immemorialis temporis. Mihi quidem dubium nullum relinquitur, hanc probationem confectam eſſe per pro-

multo poſt felicem obitum, paterna deſtructa domo, ſacellum ea in area exſtrueretur cum altari ad Miſſae ſacrificium celebrandum. In monaſterio vero *Reuttenſi* praecipue colitur, quamque apud DEVM gratioſa ſit, innumera produnt bene-

ceſſum informatiuum anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto a dicto praedeceſſore meo *Iacobo* FVGGERO formatum. Quum vero dubitari poſſit, vtrum cultus publicus beatae *Eliſabethae bonae* ab anno 1625. continuatus, vel abrogatus fuerit, proceſſum readſumendum eſſe putaui, & quia ob varia negotia, quae me ad aulam caeſaream vocabant, huic ſancto operi perficiendo perſonaliter intereſſe non potui, vices meas officiali curiae meae epiſcopalis delegaui, mandans, vt adiuncto ſibi protonotario apoſtolico *Dauide* WERRER, ſacrorum canonum doctore, camerario & parocho in *Naſsgenſtatt* ad locum *Reüthe*, vbi corpus beatae *Eliſabethae bonae* requieſcit, ſe conferat, quatenus teſtes ſuper publico cultu ab immemoriali tempore praelaudatae Famulae DEI exhibito, & hucuſque continuato producendos, iuxta formam iuris fideliter, ac rite examinet, eaque omnia praeſtet, quae ad eiusmodi proceſſum de iure vel conſuetudine requiruntur. Nihilominus eccleſiam parochialem in *Reüthe*, quum *Viennam* proficiſcerer, pro ſingulari mea erga religioſam Virginem deuotione ipſemet viſitaui, & ibidem non ſine liquido animi mei gaudio eiusdem ſepulcrum recognoui, ad ſiniſtram partem eccleſiae collocatum, a terra trium circiter pedum ſpatio eleuatum & grandi lapide exornatum, in cuius ſuperficie *Eliſabethae bonae* exciſa eſt effigies: lapis quadratus eſt, in cuius quatuor angulis ſingula ſunt candelabra ferrea plumbo adglutinata, ſuper quibus non ſolum in anniuerſario obitus die, ſed toto fere anni tempore candelae, ac cerei accendi ſolent; eidem ſaxo inſculpta ſunt verba ſequentia:

beneficia eius patrocinio obtenta, quae tot ſuſpenſis anathematis fideles teſtata voluerunt, vt prioribus remoueri ſolitis, noua eccleſiae iam iterum

✠ año dñı m ccccxx ıpo dıe ſcẽ Katrıne obııt elısabet achlın ꝟ Walſe uırgo ĩcluſa ĩ rutı q prıb9 mıraculıs ✠ refulſit pcripue ſtıgmatıb9 Xpĩ ĩ ſe uiſis et anıs xıı nõ ĩdĩguıt ✠ nccıo cıbı refectıone neq; ſopno &ceta plã. Confeſſor eıusdem deuotarıe xx añıs fuıt relıgıoſ9 ĩ Xpo pat. domın9 Cunrad9 Kugelın ppoıt9 Walſe fũdator ĩcluſoii pfati

Quo tempore, & a quo monumentum iſtud erectum fuerit, ignoratur. Conſtans perſuaſio, & fama eſt, illud paucis poſt obitum beatae *Eliſabethae bonae* annis a Domino *Conrado* KVGELIN, eiusdem, dum in viuis erat, confeſſario, fundatore incluſorii in *Reüthe*, poſitum eſſe, & ſic ſepulcrum, & epigraphen ei inciſam antiquiſſimam eſſe, monſtrant caracteres antiqui moris, & difficulter legibiles, vt adeo euincatur tempus immemoriale: & quum epigraphe, ſeu inſcriptio poſita ſit in loco publico, & manifeſto, atque adeo in conſpectu omnium, praeſumi poteſt facta auctoritate ordinaria, qui vtique non permiſiſſet illam incidi tumulo, ſi illam non veritati vndeqaque conſonam crediſiſſet; tantum autem abeſt, vt vel viſitatores epiſcopales, qui quouis biennio eccleſias parochiales viſitare ſolent, inſcriptionem delendam, aut eleuatum tumulum cum candelabris remouendum, ac complanandum eſſe cenſuerint, vt magis illum omni veneratione & honoris ſignificatione dignati ſint. In eadem eccleſia ſummum altare, in cuius faſtigio ſtatua beatae *Eliſabethae bonae* choro angelorum circumdata conſpicitur, archidux *Auſtriae* LEOPOLDVS, FERDINANDI *Secundi* imperatoris frater germanus, qui ad ſepulcrum venerabilis Famulae DEI peregrinationem ſuſcepit, ingentibus ſumptibus

iterum parietes impleant. Nos celebrato ad ſe-
pulcrum *bonae* ſanctaeque huius BETHAE, vt dia-
lecto

exſtruxit, & armis archiducalibus exornauit. Aderat e regione ſepulcri aliud altare beatae *Eliſabethae bonae* vetuſtiſſimum, cuius initii memoria non exſtat: hoc haud ita pridem deſtructo, ſubſtitutum eſt nouum & magnificentius cum imagine eiusdem Beatae. AEdes paternae, in quibus *Eliſabetha bona* nata & educata eſt, antiquitus in capellam transformatae, & vnacum altari imaginem praelaudatae *Eliſabethae bonae* repraeſentante conſecratae fuerunt. Hanc capellam vetuſtate collabentem ſuperioribus annis collegium Canonicorum Regularium S. *Auguſtini* in *Waldſee* ſplendide reſtaurauit. Sepulcrum eius a tempore hominum memoriam longiſſime excedente celebratum eſt tanto populi concurſu, vt vſque ad hanc diem maximus ſit, confluentibus ex tota *Sueuia* multis cuiuscunque conditionis, ſexus & aetatis, vt teſtantur vota ſoluta, tabulae adpenſae, proceſſiones ſolemnes, donaria & oblationes, ex quibus eccleſia parochialis in ampliſſima forma reaedificata fuit. Particulam habitus religioſi, fila, linteola, ſeu vela, aliasque res ab ea relictas pro reliquiis venerantur omnes, ac tam in collegio Canonicorum Regularium S. *Auguſtini* in *Waldſee*, quam in eccleſiis parochialibus in *Reüthe*, & *Aulendorff* religioſe adſeruantur. Aqua etiam ex puteo, quem B. *Eliſabetha bona* in loco edito ſuis precibus impetraſſe creditur, a peregrinantibus paſſim hauritur & aliorſum deportatur, quum publica vox ſit & fama, quod multi ex iſto fonte ſalutem & ſanitatem bibere ſoleant. Grana, roſaria & numiſmata e terra ſepulcrali confecta contra omne genus morborum longe lateque diſtrahuntur: imo etiam hortulus, quem beata *Eliſabetha bona*, dum in viuis erat, excoluit, & ſaxum, in quo oraſſe & meditationibus coeleſtium rerum vacaſſe perhibetur, magno in honore habetur, adeo vt indigenae, & aduenae floſculos ex horto decreptos ſecum aſportare, & deuote adſeruare ſo-

leɛto patria vocari ſolebat, quum adhuc in vi-
uis erat, ſacrificio, hauſtaque, vt faciunt, qui
illuc

leant. Imagines ipſius radiis ſanctitatem denotantibus, & ſtigmatibus Chriſti inſignitae in variis lociis tam publice quam priuatim a populo viſitantur & coluntur. Prae caeteris eminet inſignis ſtatua *Eliſabethae bonae* in via publica inter oppidum *Waldſee* & monaſterium *Weingartenſe* erecta cum radiis & ſubſcriptione: BEATA ELISABETHA BONA ORA PRO NOBIS. Quae omnia partim oculis meis vidi, partim ex proceſſibus informatiuis, quos Sanctitatis Veſtrae oculis humillime ſubiicio, aperte manifeſtantur. Haec monumenta luculenter, planeque oſtendunt antiquam venerationem publicae virtuti exhibitam beatae *Eliſabethae bonae*, & ducentos quidem & amplius annos ante decretum VRBANI *VIII.* ſan. mem. ſeparato enim peculiari, ac tam honorifico ſepulcro mandari non ſolet, niſi qui eximia ſanctitatis fama eluceſcat, & publica populi veneratione digniſſimus habeatur. Quae quidem deuotio B. *Eliſabethae bonae* debita omnino fuit tum propter quinque ſtigmata, quibus illam Dominus ac Saluator noſter dignatus eſt, tum ob miram abſtinentiam, & miracula, quibus eandem refulſiſſe teſtatur epigraphe lapidis ſepulcralis. Sacella vero & altaria nunquam in eorum honorem erecta ſunt, qui non tanquam diuini, ſanctique homines colerentur, prout Sanctitas Veſtra in bulla ſuper cultu *S. Lucae* CASALII die vigeſima octaua *Februarii* anni 1747. edita aduertit. Suffragatur authoritas tot teſtium in vtroque proceſſu informatiuo productorum, qui ſeſe quadraginta annorum ſpatio cultum vidiſſe publicum iureiurando atteſtantur, eiusque memoriam accepiſſe a ſuis maioribus, nec vnquam vidiſſe, aut a ſenioribus audiuiſſe contrarium. Accedit illuſtre teſtimonium praeſtantium ſcriptorum de inſignibus virtutibus huius Virginis, & de opinione ſanctitatis inueteratae, quam habet in tota *Sueuia*. Admirabilem beatae *Eliſabethae bonae* vitam primo poſt eiusdem obitum anno conſcripſit *Conradus*

illuc deuotionis cauſſa adueniunt, aqua dulciſſi- ma

KVGELIN, praepoſitus collegii *Waldſeenſis* coaeuus & confeſſarius *Eliſabethae bonae.* Haec ſcriptura in dicto collegio *Waldſee* adſeruata pro authentica & veridica ſemper fuit habita, prout etiam ſigillum praepoſiturae, quod libello adpenſum eſt, genuinum ac legitimum eſſe patet ad oculum, conferendo cum aliis litteris eodem ſigillo munitis. Quantum porro fidei huic ſcriptori tribuendum ſit, vel ex hoc aeſtimari poteſt, quod is in fama non vulgaris ſanctitatis deceſſerit; peruetuſtum enim necrologium ſaepe dicti collegii *Waldſeenſis* haec de eo profert: Venerabilis ac beatae memoriae *Conradus* quartus KVGELIN cognominatus ex *Waldſee*, *bonae Bethae* per viginti annos confeſſarius & fundator incluſorii ſororum in *Rütte* obiit clara ſanctitatis opinione, & ſua filia confeſſionis illuſtris, calendis *Iulii* milleſimi quadringenteſimi vigeſimi octaui. Cuius parentes *Iohannes* & *Eliſabetha*, ciues *Waldſeenſes*, & magnae fortunae & honeſtatis non vulgaris fuere. Teſtatur praememoratus *Conradus* KVGELIN, quod vitam *B. Eliſabethae* a ſe conſcriptam omnibus eruditis, ac ſpectatis viris curiae epiſcopalis exhibuerit, rogando, vt ſi quid reprehenſibile, aut minus rectum foret, corrigant; illos autem nihil contradixiſſe aut feciſſe, vt adeo non minus vitam beatae *Eliſabethae bonae*, quam inſcriptionem lapidis ſepulcralis, de qua ſupra mentionem feci, ſuo iudicio adprobaſſe videantur. Eamdem praeterea vitam exornarunt P. AMATVS *a Matre Dei* Ordinis *Carmelitarum* Procurator Generalis apud aulam Caeſaream, *P.* COCHEM *Cappuccinus* prouinciae *Rhenanae*, *P. Anſelmus* SCHNELL, monaſterii *Weingartenſis* Ordinis *S. Benedicti* profeſſus ſac. theologiae profeſſor emeritus &c. Hi quidem ſcriptores recentiores ſunt; antiquiores autem ſunt *P. Maximilianus* RASSLER, S. I. ſcriptor egregius in ſupplemento RIBADINEIRAE ad vitas Sanctorum, *Leonardus* MAYER, Decanus & Parochus *Neoburgi* in *Palatinatu*, & Ca-

ma ex fonte eius indicio mirabiliter effoſſo, per-
rexi-

nonicus quidam Regularis Collegii *Waldſeenſis*, quorum libri de vita, virtutibus & miraculis *B. Eliſabethae bonae* tractantes, ſuperiori ſeculo authoritate ordinaria in lucem editi ſunt. Hi auctores diſertis verbis adfirmant, quod publicus cultus *B. Eliſabethae bonae* non vno tantum, ſed duobus & amplius ſeculis ante decretum VRBANI *Octaui*, ſcientibus, nec repugnantibus Ordinariis praeſtitus fuerit, qui quidem cultus poſt proceſſum informatiuum anno 1625. inſtitutum, & ad *Romanam* curiam transmiſſum non modo non fuit abrogatus, ſed ad noſtra vſque tempora cum ſcientia & patientia Sanctae Sedis continuatus, & ob non interruptam perſeuerantiam opinionis ſanctitatis in dies magis propagatus. His omnibus ac ſingulis rite perpenſis & mature examinatis, auditoque theologorum ac iurisperitorum conſilio, cenſeo, conſtare de cultu a tempore immemorabili *B. Eliſabethae bonae* praeſtito, & de caſu per decretum VRBANI VIII. excepto.

Quare Sanctitati Veſtrae demiſſiſſime ſupplico, vt hanc meam ſententiam apoſtolicae authoritatis praeſidio communire dignetur, iunctis vna humillimis precibus, quatenus *B. Eliſabethae bonae* corpus e tumulo, in quo conditum reperitur, eleuatum in decentiorem, nobilioremque locum transferre liceat, & vt ad ampliorem huius Venerabilis Famulae DEI honorem, ac confouendam fidelium deuotionem tam a ſanctimonialibus ad *B. Eliſabetham* in *Reüthe*, quam a collegio Canonicorum Regularium *S. Auguſtini* in *Waldſee*, cui eccleſia in dicto loco *Reüthe* perpetuo vnita eſt, quot annis Officium de ſaepe dicta beata *Eliſabetha bona* cum lectionibus *ſecundi nocturni propriis*, ex eius vita proceſſui informatiuo de anno 1625. praemiſſa componendis, aut ſi hae non concedendae eſſe videantur, ſaltem officium cum miſſa *de communi Virginum* recitari, & reſpectiue celebrari valeat.

reximus ad *Weingartenſe* monaſterium, ſeu ad *Vineas.*

Weingarten.

Haud dubie id nomen accepit, quod primus ſit *Sueuiae* locus ad lacum *Acronianum* vergens, vbi vineae conſeruntur, quas non fert fertilis alias *Alemanniae* ad *Vindelicum* ac *Noricum* tellus ob incumbentes *Rhaetiae* alpes. Nomen vero monaſterii huius inde eſſe firmatur, quod conſtet, ad editum locum, quo ſitum eſt monaſterium, vineas conſitas fuiſſe. Monaſterium

Quam gratiam dum vniuerſus Clerus, ac populus dioeceſis meae de benignitate Sedis apoſtolicae vna mecum auidiſſime exſpectat, DEVM interea Optimum Maximnm rogare non intermittemus, vt ad eccleſiae ſuae vniuerſalis bonum Sanctitatem veſtram per interceſſionem & merita *B. Eliſabethae bonae* diutiſſime incolumem ſeruet, omnique felicitate cumulet. Queis ad ſacros pedes prouolutus apoſtolicam benedictionem humillime exoro, ac profundiſſimo cum reſpectu & reuerentia perſiſto.

SANCTITATIS VESTRAE

Mariſpurgi vndecima Septembris milleſimi ſeptingenteſimi quinquageſimi ſeptimi.

Obedientiſſimus ſeruus ac Creatura deuotiſſima
FRANCISCVS CONRADVS Cardinalis DE RODT, Epiſcopus Conſtantienſis. "

ſterium celeberrimum *ad Vineas* ex botro pro ſalute noſtra calcato guttas ſeruat de ſacratiſſimo Sanguine D. N. I. Ch. qui ex latere Saluatoris manarit poſt mortem a milite transfixo. Particula eſt Sanguinis *Mantuani.* Traditionem illam de vero & naturali Chriſti Sanguine per S. LONGINVM *Mantuam* deportato, quam P. HONORATVS a S. MARIA *Carmelita discalceatus* in animaduerſionibus in regulas & vſum critices fabuloſam eſſe dixerat, nuperrime vir egregius ingenioque pollens P. *Auguſtinus* HAGG monachus S. BENED. & SS. Theologiae profeſſor *ad Vineas* pro virili ſua conatus eſt vindicare. Quaeſtio equidem theologica eſt, ac ſententia, minime vero fidei, vt Cardin. a TVRRECREMATA in animum induxit, nullam particulam Sanguinis Chriſti poſt eius reſurrectionem in terris remanſiſſe; quod multis theologis eſt viſum: alii vero, etſi admittant, quasdam ſacri cruoris tincturas in inſtrumentis paſſionis Dominicae adparere, particulas tamen in quibusdam eccleſiis adſeruatas eas eſſe negant, quae ex Chriſti corpore ante mortem vel poſt eam ex eius latere fluxerint, ſed ex imaginibus Chriſti. Huiusmodi exempla perhibent hiſtoriae veteres, atque in martyrologio etiam *Romano* vnum refertur ad diem 9. *Nou.* (quod accidit *Berythi* in *Syria*) pariter ac in menologio

gio *Graecorum*, quod alterum praeterea ad 9. *Augusti* refert; aliudque adhuc antiquius S. GREGORIVS *Turonensis* c. 22. *de gloria Martyrum* memorat. P. HONORATVS D. THOMAM in eam sententiam citarat, qui ita III. P. Q. 54. a 2. ad 8. respondet: *Sanguis ille, qui in quibusdam ecclesiis pro reliquiis conseruatur, non fluxit de latere Christi; sed miraculose dicitur effluxisse de quadam imagine Christi percussa.* Alium locum indigitauit tantum P. HONORATVS *Quodl.* V. a. 5. quem in suo libro adfert P. AVGVSTINVS, vbi aliquid amplius addit doctor *Angelicus: Sanguis autem Christi, qui in quibusdam ecclesiis ostenditur, dicitur ex quadam imagine Christi percussa miraculose effluxisse, vel etiam alias ex corpore.* Vetera monumenta etiam docent, sacras Hostias nonnumquam sanguinem dedisse. Ad huiusmodi exempla respicere videtur S. Doctor, quum in priore loco expresse dicat, Sanguinem illum, qui in quibusdam ecclesiis pro reliquiis conseruatur, non profluxisse de latere Christi: atque eo etiam theologia tendit D. THOMAE eodem loco: quidquid ad naturam corporis humani pertinet, totum id fuisse in corpore Christi resurgentis. At non est P. AVGVSTINVS ex illis, qui in sententiam magistri iurent, missamque facit hanc inter theologos scholasticos contro-

uer-

uerſam ſententiam, quae id etiam euincere videri poſſit, vt nec quidquam S. Cruoris in inſtrumentis dominicae paſſionis reſiduum eſſet, e. g. in columna Chriſti, atteſtante S. HIERONYMO, & alio vetuſto auctore *T. II. Bibl. PP. Lugd.* in ſindone *Taurinenſi* & *Veſuntinenſi*, ſpina *Claromontana* &c. ac ipſis etiam S. Crucis particulis, vti in noſtra apud *S. Blaſium* ad fixuram claui haud obſcure cernitur, vbi ſane alia ratio eſt ineunda, quam de peculiaribus guttis, quae alicubi religioſe ſeruantur.

Equidem in *Principiis Theologiae liturgicae* generatim mihi videri dixi, particulas eiusmodi ſacroſancti Sanguinis ex percuſſis imaginibus ſupereſſe, hiſtoricam traditionem priorum ſeculorum ſpectans, vbi nihil aliud recurrit. Quod quum coram amiciſſimo mihi P. AVGVSTINO oggererem dubium, dum *ad Vineas* ſacrum Chriſti Sanguinem adoravi, ad rem ſuam is mihi reſpondit: quandoquidem primum ſeculo nono, & poſtea iterum ſeculo vndecimo, inuenta ſit *Mantuae* effoſſa ſacra Sanguinis particula, fruſtraneos eſſe, qui anteriora flagitent documenta. Referunt chronica *Weingartenſia*, in plumbeo illo vaſculo, Sanguinem Dominicum continente, haec verba latina fuiſſe inſculpta: *Ego Longinus quondam* (aliud Mſc. addit Centurio) *ſub praeſide Pilato credens in IESV*,

hunc cruorem a latere ipſius IESV crucifixi currentem noſtrorum militum manibus, & meis recepi, & hoc loco propter hoſtes fidei, IESVque blaſphemantes occultaui. Neſcio, num quis rerum peritus aetati illi vindicare queat hanc inſcriptionem, aut vel ipſum LONGINI nomen ex illorum temporum monumentis demonſtrare. LONGINVS equidem nominatur in apocrypho, antiquiſſimo tamen, quod beati NICODEMI nominatur, euangelio, qui Chriſti latus aperuit lancea: quae λόγχη graece dicitur; vnde critici quidam nomen LONGINI enatum volunt. Quod ingenioſum quidem eſt, ſed probatione ſolida deſtituitur, ac ſi inſtrumenti nomen in perſonam abierit, confuſumque ſit. At etiam perperam centurio (qui a MARCO memoratur, quod videns, quia ſic clamans exſpiraſſet, Chriſtum Filium DEI agnouerit) cum milite confunditur, ac ſi is poſtea nihilominus adhuc lanceam admouere haud dubitauerit, ad aperiendum Chriſti latus. Et tamen vetus iſta traditio, de qua in Mſc. cod. *Taurinenſi*, qui in catalogo bibliothecae eius notatur n. 1025. atque vltra CAROLI M. aeuum aſcendit, ita refertur: *Diebus illis fuit quidam milis* (miles) *centurio, nomine Longinus, qui crucem Domini adſtans iuſus* (iuſſus) *a Pontio Pilato praeſide latus Domini lancea percutiens aperuit. Sed videns ſigna*

gna que &c. At quoad rem praesentem maius dubium mouet, quod passim in martyrologiis, & alibi, *Caesareae* in *Cappadocia*, aut simpliciter in *Cappadocia* martyrium subiisse legatur, qui *Mantuam* portasse sacrum Sanguinem a se collectum dicitur, ibique humo infodisse, ac martyrii palmam sepulturamque accepisse; prout cum magno scriptorum numero chronologia *Mantuana* & *Weingartensis* habet. Etsi vero *Mantuae* sit locus, qui *Cappadociae* nomen gerat, mirum tamen sane, toties *Caesaream* in *Cappadocia* nominari, nuspiam vero *Cappadociam Mantuae* in martyrologiis, aut alibi, scribi. Nec etiam de tota ea historia aliquid memoratur in prima sacrosancti Sanguinis inuentione, quam multis P. AVGVSTINVS adsertum it tot ac tantis testimoniis, quibus refragari temerarium sit, aut in dubium vocare, verum esse Christi Sanguinem, quod LEO III. pontifex flagitante CAROLO M. ipse praesens talem esse comprobarit, ipsemetque rem ad CAROLVM M. deferendam duxerit, innumeris miraculis veritatem confirmantibus. Vnde mirum est, iterum postea latere potuisse, atque post duo demum secula sub HENRICO III. & LEONE IX. palam fieri. Rem iterum multis declarat P. AVGVSTINVS, atque ex monumentis domesticis narrat, quomodo sacra illa particula, quam HENRICVS III. *Mantua*

tua ſecum in *Germaniam* aſportarat, reuerentiſſime, dum viueret, ſecum portans, ad monaſterium demum ſuum peruenerit, poſteaquam IVDITHA pretioſiſſimum hunc theſaurum cum ampliſſima dote ad auguſtam QVELFFORVM familiam attulerat: a qua fundationem ſuam habet monaſterium *Weingartenſe*, caſtro veteri WELFORVM ac originario domicilio in monaſterium mutato. Quodſi vero WELFORVM nomen idem ac WOLFENE, quod in fundatione monaſterii *Rhinaugienſis* ſaepe occurrit, atque etiam in antiquo documento, prout paullo ante retulimus, quo *Alba cella*, quae nunc *S. Blaſii* eſt, tradita memoratur *Rhinaugiae* ad ſtabiliendum ſeruitium S. MARIAE annuente domino WOLFENE eiusdem loci haereditario tutore, trium fere monaſteriorum eadem eſt fundationis origo.

In pretioſiſſimo ſacro theſauro *Weingartenſes* SS. MARTINI & WOLFGANGI ſtatuas argenteas oſtendunt, quae primorum fundatorum largitate acceperint. Sed tantam antiquitatem haud praeſeferunt, imprimis litterae in monilibus ſeu catenis ex collo pendentibus. Plures quoque calices cum calamis ad ſugendum ſacroſanctum Sanguinem hic ſeruantur. Inter alia nonnulla gentilitiae ſuperſtitionis lipſana idolulum

AEgyptia-

AEgyptiacum cernitur cum variae aetatis, artis ac naturae cimeliis & curiofitatibus. In bibliotheca ex iteratis incendiis fuperfunt tamen MSS. optimae notae, quae ad tempora fundationis primae accedunt, quaedam etiam fuperant, ex quibus nonnulla *Merouingicos* characteres referunt, collectio nimirum canonum, item quaedam S. AVGVSTINI opufcula. Sunt praeterea duae aliae collectiones canonum, vna imprimis infignis priora concilia ordine primum referens, deinde per excerpta: altera cum hoc titulo: *In nomine DEI fumi incip. capl. excarpfum de fynodis*: (id eft capitula excerpta de fynodis) *vt per fingulos annos fynodus bis fiat. &c.* Summorum pontificum epiftolae fec. X. vel XI. cum pfeudodecretalibus. Plures vero funt codices fec. circiter IX. opera SS. PP. complectentes. Vnus eiusdem feculi paffiones & vitas SS. continens. Item PAVLI *Diaconi* libb. VI. de *Longobardis*. Alter ad decimum accedens de vita & conuerfatione fanctiffimi Patris ANSKARII, primi *Nordalbingorum* epifcopi. In veteri lectionario habetur de translatione S. BENEDICTI hiftoria. *Aduentus exceptioque beatiffimi Patris Benedicti in agrum Floriacenfem incipit feliciter*, Sec. IX. vel X. homiliae. Item pars II. homiliarum pro Quadragefima continens homilias SS. PP. praemiffis primis euangelio-

geliorum verbis. Sec. circiter XI. Consuetudinum *Hirsaugiensium* libb. II. Vocabularium *Constantiensis* episcopi ad quam aetatem referri possit, non satis recordor. Sec. XI. vel XII. liber sententiarum comitis ex dictis SS. AVGVSTINI & GREGORII compositus. Inc. *Domino venerabili sanctissimoque viro Quirico epõ Fagius indignus Caesar-Augustanae vrbis eps. cognomento Samuyl memor vestrae benignissimae petitionis nostraeque deuotissimae promissionis huius textum libelli comitis sententiarum titulis praenotatum vestrae Sanctitati malui dirigendum &c. Incipiunt capitula de libro sententiarum:*

Quisquis amas sacras lector addiscere leges &c.
Quod DEVS incommutabilis summus & aeternus existat.
Solus DEVS in semetipso incomutabilis est &c.

Incipiunt Consuetudines BENED. *P. XII. editae ad emendationem Ord. Cisterciensis. Benedictus seruus &c. Fulgens sicut stella &.* sec. XIV. vti etiam tractatus de instructione confessoris: vbi de singulis peccatis secundum canones poenitentiae modus praescribitur. Inc. *Simpliciores & minus expertos confessores de modo audiendi confessiones informare cupiens &c.* Eiusdem sec. libellus fratris THOMAE (additur alia manu ANCHIMI) contra libellum magistri WILHELMI

HELMI *Ecce inimici tui ſonuerunt.* *Marſilii* FICINI de comparatione Solis ad DEVM. In cod. ſec. XII. ſequens habetur carmen Leoninum de FRIDERICO I. imp.

Ortu Teutonicus Romanus rex Fridericus.
Auguſtum nomen pacis poſſedit & omen.
Potens conſilio ceſſit certamine nullo.
Diſſona compegit dum praelia plura peregit.
Diſcordes ſtrauit, quia tempora pacis amauit.
Huius honore boni non impar erat Salomoni.
Felix felicem plantauit ad aſtra radicem.
More roſae vernans bene ſubdita regna gubernans.
Largus erat dando depreſſos quosque leuando.
Clerum dilexit monitis hunc optime rexit.
O quam clementem monachi ſenſere parentem.
Hunc DEVS elegit per eum miranda peregit.
Vt dicam breuiter ſummum vitae ſubit iter.
Signum namque crucis tollendo fit aſſecla lucis.
Bellator fortis adiit Chriſti loca mortis.
Barbaricam gentem iam dudum cuncta tenentem
Exſtirpare volens, ſed ſumma potentia nolens
Id per eum fieri, nec nomen tale mereri
Hunc rapit vt ſtultum, quod mirandum puto multum.
Milleno cum centeno nouies quoque deno
Anno migrauit, animam DEVS ipſe beauit.

Formulas veteres *Andegauenſes* ex Mſc. *Weingartenſi* edidit MABILLONIVS in ſuis *Ana-*

 lectis

lectis a), quae, qua ratione iterum detectae ſint, ad calcem narro. De illarum aetate non eamdem ſemper tenuit ſententiam. Ac primum in *Analectis* anteriores habuit CHILDEBERTO III. eo quod ſcriptae ſint poſt regnum CLODOVEI, CLOTARII, THEODERICI & CHILDERICI anno tertio THEODERICI regis. Tomo I. *annalium b)* Ord. S. BENED. ad regnum CHILDEBERTI II. fixit aetatem earum formularum. In ſupplemento autem de re diplomatica *c)* vſque ad CHILDEBERTVM I. aſcendit. Qua ſententia ſtandum volunt auctores tractatus noui diplomatici *d)*, & figendam epocham formularum *Andegauenſium* ad annum IV. CHILDEBERTI I. Vnde inter prima monumenta locum habent nationis *Francicae* ad initium fere ſec. VI. quae etiam in pluribus conueniunt cum ratione iuris dicendi *Romanorum*, ac priorum legum *Francicarum*, cuiusmodi *Salica* eſt.

Rem antiquariam quod attinet, notatu dignum eſt, quod in cod. ſec. IX. adſcriptum legi: *Sunt de nobiliſſimo pergameno XX. quaterniones ad actus Apoſtolorum & Apocalypſin & VII. epiſtolas, & III. fol. Sunt inter om̄ de modolo maiore XLVII. quaterniones, & de minore modolo VIII. quaterniones IIII. fol. ad regulam & martyrologium ſcribendum, de paruo modolo*

a) P. 232. *b)* P. 417. *c)* P. 68.
d) T. I. p. 304. not.

modolo XXIIII. quaterniones & IIII. folia ad antiphonarium. Praeter nonnullos codices bibliorum typis impreſſorum ſec. XV. quorum vnus falſo praefert an. 1450. iuniorque altero eſt impreſſo 1474. Neque is litteras initiales habet pictas, titulos vero in ſuperiore margine typis impreſſos praeter morem primarum editionum. Adſertior eſt editio rariorque conſtitutt. CLEMENTIS V. P. Membranac. anno MCCCCLX. vt ex fine patet: *Preſens Clementis ppe quīti ɔſtitutionū Codex. Una cum apparatu Dñi Ioh. An. ſuis Rubricaconbɔ. ſufficiēter diſtinctus. Artificioſa adinvētioñ imprimēdi. ac caracterizandi. abſq3 ulla calami exaratioñ. ſic effigiatus: & ad euſebiā Dei induſtrie eſt ɔſūmatus. Per Iohāne3 Fuſt civē Moguntiñ. & Petrū Schoiffher de Gernſheim, Clericū. Dioces. eiuſde3. Anno domī M. cccc. ſexageſimo. xxv. die menſis Iunii.* Acerbe mihi conqueſti ſunt, a quopiam acatholico bibliothecam perluſtrante haud ita pridem vltimum folium exciſum ex libro, continente *Extrauagantes Ioan.* XXII. per *Io.* FVST & *Petrum* SCHOIFFER. Praeterea etiam exemplum CICERONIS librorum de officiis ex offic. FVSTI 1465. ſupereſt. Item iisdem typis mores & opera veterum philoſophorum & poetarum. Liber S. AVGVSTINI de vita chriſtiana. In fine nulla ſubſcriptio legitur: adſunt tamen ſigna gentilitia. In fol. D. THOMAE *Aquin.*

quin. lib. ſuper quartum & quintum ſententiarum, *per Petrum Schoiffer de Gernsheim anno domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo nono tredecima die Iunii ſit laus Deo.* Eiusdem typographi liber ſextus *Decretalium* an. dni. 1470. Eiusdem anni liber Epiſtolarum S. Hieronymi. Codex Ivstiniani Imp. in forma maxima per eumdem *Pet.* Schoiffer 1475. Item liber inſcriptus *Concluſiones* ſiue *Deciſiones antiquae* dominorum Auditorum de Rota : *Anno Domini* M. *cccc. lxxvij. pridie nonis Januariis, gravi labore maximis que impenſis Romanam poſt impreſſionem opus iterum emendatum antiquarum novarum que Deciſionum ſuis cum additionibus Dominorum de Rota : In civitate Maguntina impreſſorie artis inventrice elimatrice que prima, Petrus Schoyffer de Gernzheym ſuis conſignando ſcutis Arte Magiſtra feliciter finivit.* In fol. maximo *Gratiani decretum vnacum apparatu Barol. Briſcienn . . per venerabilem virum Heinricum Eggeſteyn, artium liberalium magiſtrum ciuem inclite ciuitatis Argentin. anno dni M. CCCC. LXXI.* Liber in fol. absque titulo, in fine legitur: *Explicit prima pars lecturae excellentiſſimi doc. dni Bartoli de Saxo ferrato ſuper infortiato anno dni M. CCCC. LXXI. menſis Februarii die IX. Deo gratias Amen.* Hunc celebris Vindelinvs impreſſit. *Officia Ciceronis in fol. an.* 1470. excudit

cudit VALDARTER, patria *Ratisponensis.* Anno 1471. sine loco & typographi nomine *Lactantii Libb. de diuinis institutionibus.* Alius liber in calce habet: *Beati Ambrosii episcopi Mediolanensis opusculum, quod Hexameron vocitatur jucunde explicit. Per Iohannem Schlußler imperialis urbis Aug. civem quam diligenter impressum anno salutiferæ Incarnationis Hiesu Salvatoris Milesimo quadringentesimo septuagesimo secundo.* EVSEBIVS *Pamphili de evangelica præparatione* a GREGORIO *Trapesontio* traductus. In fine legitur:

Artis hic, & fidei splendet mirabile Numen,
Quod fama auctores: auget honore deos.
Quid magis artificem peteret dux, Christus & au-
Tres facit æternos ingeniosa manus. (ctor.
M. CCCC. LXXIII.
Leonhardus Aurl.

An. 1475. *Basileae Bernardus Richel cum Michaele Wensel Sermones Fratris Roberti de Licio Ord. Min.* impressit. Exstat hic *Repertorium Reverendi Patris & dni episc. Brixiens. impressum Norumbergæ per honorabiles viros Andream Frisner Bursidelensem, & Ioan. Sensenschmid. An. M. CCCC. LXXVI.* Varii quoque libri Decretalium, quos impressit *Michael* WENSLER circa eadem tempora. In quodam codice habetur tractatus *de Celebratione festorum* imp. *an.* 1473. cui annectitur opusculum ANTO-

NINI

NINI *de eruditione Confessorum an.* 1474. *per discretum virum Conradum Fyner.* Habetur etiam libellus precum D. LUTHERI cum hac inscriptione:

Ein Betbuchlin
der zehen Gebott
des Vatter unsers
und des Ave Marien
D. Martini Luthери.

In fine: *Getruckt im zwey und zwanzigsten Iahr.* Nec hic notare omiserim libellum ERASMI *Roterodami*, sub nomine *Canonici Regularis*, cum hac inscriptione: *Lucubratiunculæ aliquot Erasmi Canonici Ordinis D. Augustini perquam utiles &c. Impressum Hantwerpiæ opera Theodorici Martini an. salutis supra MDIX. mensis Novemb. VI.*

Salemium.

Constantiam inter & *Iberlingam* (quae villa fuit seu curtis regia in ducatu *Alemanniae*, in pago *Lintzgowe*, seu *Lintinensium*, qui *Romanis* temporibus clarebant; ac sedes insuper quondam ducum *Alemanniae*, nunc libera imperii *Romani* vrbs) situm est monasterium *Salemitanum*, septem leucis a *Weingartensi* distans. Cum hoc, quod primarium est Ordinis S. BENEDICTI

NEDICTI in *Sueuia*, de principatu certat; quin & cum reliquis *Romani* imperii *Germanici*, imo ipſis fatentibus *a*), totius *Europae* monaſteriis quibusuis, non tantum ſub regula S. BENED. militantibus, tam nigris, qui primaeuam inſtitutionem ſequuntur, quam albo colore togatis, ex reformatione *Ciſtercienſi* S. BERNARDI. Hic ipſe vir ſanctus locum hunc ſubiit, quum *Germaniam* peragraret, chriſtianos ad expeditionem adhortaturus, quam *Cruciatam* vocant, pro recuperanda *Terra ſancta*, locisque myſteriis Chriſti inſignibus. Tanti viri tutela cito effloruit monaſterium, vt ingentem monachorum numerum nutriret diuino ſeruitio mancipatorum. Quod a primo ſuo conditore GVNTRANO, ſeu GVNTRAMINO viro libero, vt in diplomate CONRADI, *Romanorum* regis an. 1142. (qui, vti & FRIDERICVS *Barbaroſſa* multa munificentiſſime contulerunt, quique hos aemulati ſunt comites *Montefortenſes*, & alii) vocatur, regiis quaſi iuribus & omnimodis iurisdictionibus ampliſſime ornatum eſt, ac *regium* quoque, exemtum & liberum a non paucis ſeculis nominatur. Floret haud obſtantibus acerbis fatis ac incendiis, quae infauſta praeprimis adhuc hominum memoria fuerunt bibliothecae: dum infelici conſilio rariores ex ea, vt flammis eriperentur, extrahuntur codices, atque in locum

a) Apiarium *Salemit.* mox p. 1.

cum deponuntur, qui ipſe correptus flammis cum hoc theſauro conflagrauit, ſcriniis bibliothecae ſeruatis illaeſis.

Inter haec lugent *Salemitani* iacturam actorum concilii *Conſtantienſis*: ex quibus tamen ſupereſt codex cum picturis ac inſignibus patrum & principum, qui concilio adfuerunt; quem alibi etiam a me viſum notaui, ſed diuerſum ab eo, quem tanti facit in itinere ſuo *Germanico* MABILLONIVS, atque *Io. Iacob.* PREGITZER, conſiliarius ducis *Wirtembergici*, qui pro *Hermanno* VON DER HARDT excerpta ex hoc codice fecit, dum is editionem actorum concilii *Conſtantienſis* pararet ampliſſimam, quae etiam in lucem prodiit: vt adeo praecipua ſaltem eius codicis manuſcripti contenta ſint ſeruata, ac HERMANNO transmiſſa, vt ex relatione PREGITZERI patet, quae prolegomenis tomi primi *Actor. concilii Conſtantienſis* ſunt inſerta; vbi etiam inſcriptio codicis illius, qui 1492. ſcriptus fuerat, habetur eiusmodi: *Beatae Mariae in Salem. Acta in Concilio Conſtantienſi milleſimo quadringenteſimo decimo quarto, Pontificatus Domini Ioannis Papae viceſimi tertii, anno eius quarto.* Superſunt adhuc *Salemii* nonnulli optimae notae membranacei codices, opera SS. PP. continentes. A MABILLONIO imprimis notatur RATRAMI opus *de Euchariſtia*, ante conditum.

ditum monasterium scriptum. In quo codice BERNONIS & enchiridialis musica cum adpendice habetur, qui in aliis exemplaribus deest. Ingens etiam superest codex, *Visionum* cum imaginibus seculi circiter XII. ZACHARIÆ episcopi *Chrysopolitani* de *Concordia Euangelistarum* opus. *Petri* ALPHONSI, qui antea in Iudaismo MOYSES, *liber contra Iudaeos. Walafridus* STRABO de Vita S. GALLI. Nec desunt domestici auctores, veluti IOANNIS de *Salem* liber de *Potestate Ecclesiae circa spiritualia & temporalia.* Obiter hic noto, haberi inter MSS. *San-Gallensia* BERTOLDI abbatis in *Salem* Notas in Cantica.

Curioso lectori poëma, fabulam scilicet, hic pandam, vt illud inueni in msc. codice *Salemitano* sec. XIII. de GERBERTO, postea SILVESTRO II. P. ab imperitis, ob profundiorem a vulgi captu remotam scientiam, magiae infamato: quod ferreis illis temporibus, aliis quoque, praeter consuetudinem eius aetatis, in litteris claris ac perspicacioribus viris contigit, vt magiae insimularentur:

a) *Surgit ab* R.emis *Gerbertus ad* R.avennam *fit*
Papa potens R.omae b)

Ortus

a) A scriptore anonymo sec. XII. qui historias *Romanorum* Pontificum conscripsit, idem quoque memoratur, apud PEZIUM *Thesauro Anecd.* T. I. P. III. p. 380. vbi primus hic versus, qui solus est, ita legitur: *Transit ab* R. *Gerbertus in* R, *post Papa vigens* R.

b) Archiepiscopus enim primo erat *Remensis*, dein *Rauennatensis*,

Ortus Remenſis præclaris mœnibus urbi.
Illic Gerbertus libris datur erudiendus,
Diſcere non potuit & ab hoc trepitando refugit.
Ut ſilvas iniit ſathanas huic obvius ivit.
Quid Gerberte fugis, vel quo tam concite vadis?
Diſcere non poſſum, dixit, fugioque magiſtrum.
Heus ait ille, mihi, ſi vis tantummodo ſubdi,
Ne quis Gerberto ſit doctior en ego faxo.
Annuit his ille, ſecum ſubit abdita ſilve.
Sedulo quem docuit, cunctos percellere fecit.
Silvas linquentem poſt hæc ſcholas repetentem
Doctor deriſit rufus es hinc perfidus inquid.
Ille refert nigrum ſimulas tu valde tyrannum.
Reſpondit magno ſimilem te vinco tyranno.
Diſceptant ambo de libris tempore longo.
Confundit victum Gerbertus & ipſe magiſtrum.
Mox urbem liquit ſathanam conſultat & infit.
Heus pedagoge virum mihi nunc oſtende peritum
Cum quo ſcripturis poſſim confligere divis.
Dixit dæmon ini Ravennam concite fili
Pontificem clarum libris cernes ibi gnarum.
Pergit & aggreditur conflictu deniq; iuſtum.
Qui cito Gerbertum iuſſit diſcedere victum.
Hic rediit meſtus huic narrat & hic furibundus.
Eum docuit talem quæ dicitur abacus a) artem.

In

tandem a. 999. mortuo GREGORIO V. Pontifex *Romanus*, ſub nomine SILVESTRI II. Obiit 11. *Maii* a. 1003.

a) Hoc nomine *Abacus* tum temporis intelligebatur *Mathematica*, quum haec ſcientia de magnitudinibus & numeris tra-

In tabulam ſcripſit Ravennam ferreq; iuſſit.
Hunc cum legiſſet neſcire pudebat & inquit
Sit mihi quæſo trium dilatio, poſce, dierum.
Ibat Gerbertus, fac' ē dnm̃q; precatus.
Si venit de te mihi res deus optime pande.
Sin autem. nunquam Gerbertum fac rogo cernam
Præſul migravit. Gerbertus dum remeavit
Sedem Ravennæ mox præſul ſuſcipit ille.
Poſt hæc Romanam poſſedit papa cathedrā.
Debeat, hic zabulum conſultat, vivere quantū.
Ut cantes inibi Solimam venies ait illi.
Eſt ſtatio Solimā vocat hanc clerus populusque a)
In quadrageſimæ medio miſſam celebrante
Gerberto dirum dixiſſe ferunt inimicum.
Nolis ſive velis Gerberte cito morieris.
Sic venies ad me tua te merces manet ex me.
Fraus tua iam magna. G. erbertus *ait patet illa*
Qua genus humanum capiebas & protoplaſtum.
Dum Solimā dire me dixiſti prius ire.
Demon, ades vere, nequaquam falleris a me.
Advocat hic populum cunctum vel in ordine clerum
Rem pandit cunctis veniam depoſcit ab illis.

Maris-

ctet. In hac vt in abſtractiſſimis quoque ſcientiis verſatiſſimus erat GERBERTUS; vnde vulgus ſibi perſuaſit, illum nonniſi a daemone potuiſſe eſſe inſtructum.

a) Eccleſia haec *Romae* vocatur *S. Crucis in Ieruſalem.*

Marisburgum.

Ex monasterio *Salemitano Marisburgum* deducti sumus, castrum ac oppidum amoenissimo ad lacum *Acronianum* seu *Bodamicum* situ. Ibi turrim ostendunt, quam a Dagoberto rege exstructam esse vetus traditio habet, phari cuiusdam instar in portu lacus. Sedes nunc est, ac domicilium ordinarium episcopi *Constantiensis*, Seminarii item episcopalis haud pridem ex praescripto concilii *Tridentini* magnifice instructi. Ab Emin.mo Cardinale de Rodt, S. R. I. principe ac episcopo *Constantiensi* clementissime habitus, ex eius ore facultatem obtinui, vt quidquid rebus meis esset idoneum *Constantiae* & in monasterio *Augiensi*, cuius abbas est, in vsus meos conuerterem. Hac venia laetus, nauem, nihil moratus, conscendi, *Constantiam* petiturus.

Petershausen.

Antequam vrbem ingrederer, ad viam occurrit monasterium Ordinis S. Benedicti, quod ex pluribus vnum superest in suburbio, *Petershausen*, seu *Petri domus* dictum, ac olim, vt tradunt, tam opulentum, vt octingentos monachos aleret. Fundatum fuit a S. Gebhardo, comite *Brigantino* & *Zwingensi*, episcopo *Constantiensi*,

ſtantienſi, qui ibidem in eccleſia a ſe condita ſepultus eſt. Exſtat de fundatione & caſibus huius monaſterii Mſc. notabile, imprimis circa ſec. XII. continens non pauca ſingularia pro aeui illius hiſtoria, ac inter alia de itinere S. BERNARDI per eas partes. Cupidus imprimis eram pro re liturgica *Alemanniae*, quam in itinere meo potiſſimum intendi, luſtrandi librum Sacramentorum *Romae* editum, *ex authentico libro Cubiculi ſcriptum, qualiter Miſſa Romae celebratur*, commendatum in itinere litterario D. CALMET per eius nepotem, & in abbatia *Senonenſi* ſucceſſorem D. FANCHE edito. Talis in noſtro quoque monaſterio elegantiſſimus habetur nongentorum circiter annorum. Sed abſente tunc Abbate & Priore, qui librum in cuſtodia habuit, voti compos factus haud ſum, a P. Sub-priore tamen accepta promiſſione, eum quam primum ad *S. Blaſium* in meos vſus fore mittendum: quod tandem obtinui, dum is ipſe fauſto omine in abbatem electus, veteris amicitiae ac promiſſi haud immemor rogatus mox per proprium ſubmiſit nuntium. Nihil volupe magis fuit, quam *Petershuſanum* cum noſtro *San-Blaſiano* conferre codicem ita ſimilem, vt etiam eadem manu ſcriptum vtrumque facile quis ſibi in animum adducat. Alia MSS. non vidi. Librorum impreſſorum in facultate theologica non paucae adſunt memorabiles editiones, quas inter cen-

ſentur duæ operum D. THOMAE, altera *Veneta* an. 1593. altera *Antwerpienſis* 1612. vbi a vulgaribus editionibus abit locus, de immunitate B. M. V. a peccato etiam originali, in 1. ſentent. diſt. 44. q. un. art. 3. ad 3. atque ſic habet: *Et talis fuit puritas Virginis, quae a peccato originali & actuali immunis fuit.* Qua de Doctoris Angelici mente integro volumine agit Emin. SFONDRATI, quod inſcribitur: *Innocentia vindicata*, in qua argumentis ex S. THOMA petitis oſtendit, Angelicum Doctorem pro immaculato conceptu Deiparae ſenſiſſe, & ſcripſiſſe.

Conſtantia. Creuzlinga.

Ex *Petri domo* vrbem ingreſſi ſumus *Conſtantiam* per pontem *Rheni*, qui mechanices peritos in admirationem rapit artificioſis molindinarum, poliendi lapidis, & vitri operis. Aliis vero ſtudiis intenti, iis imprimis fauentem, ac prope indiuiduum comitem habuimus Reu.mum Canonicum cathedralis eccleſiae, de RAZENRIED: apud quem varia inuenimus ſynodorum *Conſtantienſium*, variis temporibus habitarum, tam manuſcripta, quam impreſſa exemplaria. Dolui vero, nouam iam ſynodalium editionem ſub prelo ſudantem conſpicatus, nullam in ea veterum ſynodorum rationem fuiſſe habitam. De-

deram

deram nouae editionis adornandae consilium, atque meam etiam pollicitus sum operam in addendis notis per singula capita ex veteribus synodis, decretisque episcopalibus, quae per litteras patentes edi solita facile dissipantur, & in obliuionem desuetudinemque abeunt. Proposueram etiam, in praefatione succinctam exhibere notitiam amplissimae dioecesis *Constantiensis*, ceu prodromum ad historiam *Constantiensem*, quam olim meditabatur P. *Marquardus* HERRGOTT, in congregatione *S. Blasii* syncellita, hancque in rem operis *Conspectum*, vt vocant, dedit. Sodali meo ad alia studia in *Genealogia diplomatica*, *Monumentis*que *Habsburgicis* edendis auocato, semper in me desiderium arsit, praetermissam historiae *Constantiensis* suscipiendi prouinciam; novosque a Reu.mo Vicario generali de DEVRING accepi igniculos ad laborem hunc, studiis meis imprimis consentaneum in rebus sacris *Alemanniae* nunc occupatis, cuius magnam partem *Constantiensis* dioecesis occupat amplitudine sua, qua praesertim ante LVTHERI apostasiam facile plerasque alias dioeceses superauit. Adparet hoc ex veteri descriptione totius dioeceseos, quae adhuc inter praecipua monumenta *Constantiae* seruatur in MS. codice sec. XIII. vt in fronte praefert annum 1273. licet in ipso contextu alicubi annum 1278. deprehenderim, ac varias etiam re-

centioris aetatis additiones, dum diu quaesitum, desideratumque codicem apud laudatum D. Canonicum de RAZENRIED inspicere iterum contigit. Ab hoc deductus in ecclesiam cathedralem in medio adhaerentis ambitus seu claustri, iterum cum voluptate aspexi antiquum monumentum, cuius lapides iam ante non paucos annos pro opere antiquae *Romanae* artis sculptoriae habui, quod successu temporis in tropaeum Christi cum apostolis in horto mutatum fuit; mihique plausi, dum postea in itinere *Heluetico* D. CALMET eamdem illius, ac eius successoris D. FANCHE socii, ac auctoris itineris editi intellexi sententiam. In muro sacelli S. BLASII, quo ad coemeterium Canonicorum cathedralium aditus patet, parieti insertus est lapis, cum veteri inscriptione ad tempora DIOCLETIANI & MAXIMIANI caesarum pertinente, qua muri *Vitodurenses* ab *Aurelio* PROCVLO viro clarissimo restituti memorantur, atque nonnullos in errorem induxit, ac si *Constantia* sit *Vitodurum*, quae vrbs hodieque nomen suum retinet, locumque habet inter stationes *Romanas* in tabula *Peutingeriana Fines* inter & *Vindonissam* vrbem *Constantia* antiquiorem. Haec suo nomine CONSTANTINVM vel CONSTANTIVM prodit conditorem (geographus tamen *Rauennas* QVIDO ab *Aemannis* conditam vrbem adserit) quem CONSTANTINI patrem esse volunt, qui his in regio-

regionibus imperatorem contra *Alemannos* egit, aduerſus quorum irruptiones in *Galliam* ſeu *Heluetiam* vrbs haec tutelae eſſe poterat ad tutum praeſtandum lacum *Acronianum*, atque illius alueo contentum permeantemque *Rhenum*. Non minus aptus poſtea erat locus ad arcem catholicae fidei, diſſeminato euangelio hinc per SS. PIRMINIVM & FRIDOLINVM, illinc per SS. COLVMBANVM & GALLVM, ac *Vindoniſſa Conſtantiam* translata ſede epiſcopali tot ſanctiſſimis ac vigilantiſſimis paſtoribus ornata, CONRADIS, GEBHARDIS &c. etiam ſummae ſedis per *Germaniam* Legatis: poſtea item S. R. E. Cardinalibus *Marco* SITTICO, ANDREA *Auſtriaco*, & noſtra aetate *Hugone* de SCHOENBORN, ac *Franciſco Conrado* de RODT. Huius honorificam imprimis mentionem hic flagitant tum alia ingentia in me beneficia, cum ſingulare in hoc itinere, quo me *Marisburgo* diſceſſum maturantem proſequutus eſt humaniſſimis litteris ſua manu perſcriptis, & per germanum fratrem R.mum Canonicum cathed. eccleſiae ad me miſſis. Quibus nempe indigebam, vt ſunt tempora, & homines difficiliores nonnumquam in communicandis cum orbe litterario theſauris ſuis. Quam longe aliter ſit adfectus Emin.mus Cardinalis de RODT in exemplum eiuscemodi *Saturni* aemulorum, epiſtola ipſa opportune hic demonſtrabit.

„*Franciſcus Conradus* de RODT P. R. P. „*Martino* GERBERT benedictionem, ſalutem, & „omne bonum. Grata mihi fuit tua in aula „mea praeſentia, gratior tamen, imo gratiſſi„mus eruditus ille, quo me tecum delectaui, „diſcurſus, & prout me oretenus promtum ad „promouendos litterarios labores tuos decla„raui, ſic quoque litteras ad D. Vicarium ge„neralem nunc tibi accludo, vt tibi liber ad „bibliothecam monaſterii mei *Augienſis* pateat „acceſſus. Tua culpa eſt, quod nullam tecum „ſyngrapham attuleris *Conſtantiam*, quia praeter „mentem & inuitationem meam impranſus dis„ceſſiſti; opto, vt aliqua litterario itineri tuo „commoda in *Augia* mea inuenias. R.mum Prin„cipem abbatem tuum de perenni cultu meo, „& ſinceriſſima aeſtimatione, per te certiorem „eſſe volo, teque mei ad aras ſemper memo„rem. Dabam *Marisburgi* 29. *Iulii* 1760."

Ita fretus iter animoſe in *Augiam* paraui, comitem ſeſe ſpondente Reu.mo de RAZENRIED, qualem ſe ſponte etiam obtulerat in celebre monaſterium Canonicorum Regularium *ad S. Crucem*, ſeu *Creuzlingen.* Vbi quaedam ſaltem pro re liturgica *Alemanniae* notabilia reperi, tametſi bibliotheca non tam irruptione *Suecorum* 1632. quando etiam fruſtra vrbem *Conſtantiam* obſidione infeſtarunt, quam vicinorum

ipſorum

ipſorum ciuium inuaſione diſſipata ſit, quantum adhuc flammas euaſit a *Suecis* ſubiectas eccleſiae: in qua vnica Crucifixi imago medio ex igne miraculo ſeruata, nec laeſis quidem capillis, qui capiti imaginis accommodati erant, adhuc in fornice eccleſiae ſuſpenſa eſt, propediem in proprium ſacellum, quod eccleſiae muro incluſum egregium inſtruitur, transferenda. Reperi hic praeter pauca MSS. nonnullas editiones raras ſec. XV. quarum recenſio ad hiſtoriam litterariam primae artis typographicae nonnihil valeat: *Quodlibet* Sancti THOMAE, impreſſum *Vlmae* per *Ioannem* ZAINER de *Reutlingen* anno Dñi MCCCCLXXV. Item *Quodlibet Ioannis Duns* SCOTI, ſubtilis theologorum monarchae, poſt ſcripta eiusdem ſuper quatuor libris ſententiarum, per *Thomam* PANCHET *Angelicum* in ſtudio *Patauino* ordinarie legentem diligenter caſtigata, & impenſis *Antonii* KOBERGER *Nurnbergae* fideliter impreſſa an. ſalutis MCCCCLXXXI. Oſtendunt etiam imaginem S. MAGDALENAE coram Crucifixo, quae ſuapte natura lapidi inſit; ego tutius opus artificioſe teſſelatum, ac complanatum, cuiusmodi opera muſiua vocant, eſſe exiſtimem, aut opera inſignis artificis *Stutgardienſis* tinctura auri coloratum. Id praetereundum non eſt, quod, quum haud raro *Conſtantiae* propinqua magis monaſteria obierim, querentes audierim, tempore concilii *Conſtantien-*

ſis

ſis ſe manuſcriptorum iacturam eſſe paſſos, econtra *Creuzlingenſes* Canonici ingenue faſſi ſint, ſibi tunc librorum non modicam acceſſionem eſſe factam: quibus tamen admodum diu fruiti haud ſunt, vti relatum eſt, ablatis & diſtractis libris, indeque bibliothecis, vt ferunt, vrbium *Helueticarum Baſileenſis*, *Turicenſis*, & *Schafhuſienſis* illatis: grauiore equidem fato, quam tempore concilii *Conſtantienſis* librorum theſaurum ex variis monaſteriis in bibliothecam *Creuzlinganam* importatum doluere alia monaſteria.

Concilium generale Conſtantienſe.

Ratholdi Cella.

Generale quoddam concilium exigebant grauiſſimae non diſciplinae dumtaxat, ob ſtatum Eccleſiae horrendo tum ſchiſmate vexatum, ſummaque contentione expetitam in capite & membris reformationem; ſed & fidei cauſſae ad ſtabiliendam canonum, doctrinaeque eccleſiaſticae obſeruantiam, aduerſus WICLEFFVM, *Ioannem* HVSS, eiusque hyperaſpiſten HIERONYMUM *Pragenſem*: qui ambo vltrices perfidiae flammas viuicomburio extra portam vrbis *Conſtantiae* ſunt experti. Oſtenditur ibi adhuc vſtrina, ac hoſpitium & locus, vbi degradatus publice eſt *Ioannes* HVSS. Nec quidquam tamen in publicis tabulis aut aduerſariis

tam

tam MSS. quam impreſſis habetur de praenuntiato poſt centum annos futuro *Martini* LVTHERI nouo apoſtolatu. Prophetiam illam Cl. KOEHLERVS quoque in *Amoenitt.* ſuis *numiſmat.* a) explodit. Primum hoc erat in *Germania* celebratum oecumenicum concilium, nec par habet ob immenſum concurſum ex orbe catholico oriente & occidente paſtorum eccleſiae & doctorum, trium quoque capitum, Pontificum ſcilicet de *Romana* ſede contendentium, tertio tamen, ſeu *Petro* de LVNA, neque per ſe, nec per Legatum comparente; principum item ſpectatiſſimorum vnacum SIGISMVNDO imperatore: quorum praecipuorum adhuc hodie oſtenduntur hoſpitia, locaque ſuperſunt celebratorum conuentuum, tum particularium, cum generalis concilii, & conclauis, in quo *Otto* de COLONNA (quod in feſto S. MARTINI pontifex renuntiatus ſit, dictus MARTINVS V.) exauctoratis aliis pontifex eſt electus a 23. Cardinalibus, vt fieri ſolet, concluſis ianuis, nemini tunc vel a longe aditu permiſſo. Conclaue hoc, cuius hodie adhuc veſtigia in veſtibulo emporii vrbis, vbi electio facta eſt, conſpiciuntur, tribus clauibus erat clauſum, quarum vna penes imperatorem, altera penes Patres concilii, tertia denique apud capitulum cathedrale erat depoſita. MARTINVS V. in cathedrali eccleſia diaconus primum, poſtea presbyter & epiſcopus, demum

pontifex

a) T. VII. pagg. 41. ſeqq.

pontifex fuit consecratus, vt moris est in pontificali missa *Romae.* Vbi *Iudaei* quoque sese cum legis tabulis praesentarunt, quos super pontifex orationem hanc pro more fecit: *Omnipotens DEVS auertat velamen ab oculis vestris, vt possitis videre lumen aeternae vitae, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, amen.* Quum quinque annis perdurarit hoc concilium ab anno 1414. vsque 1419. accidit, vt magni nominis viri ac pastores diem hic obierint: quos inter Cardinalis *Franciscus* de ZARABELLA, cuius epitaphium in ecclesia PP. *Franciscanorum* legitur. In ecclesia vero *Dominicanorum* sepultus est *Emanuel* CHRYSOLORAS, nobilis *Constantinopolitanus*, ex illis, qui *Graecam* occidenti, *Italiae* imprimis, tunc intulerunt litteraturam, cui non solum *Ioannes* de RAVENSPVRG, verum etiam *AEneas* SYLVIVS, postea PIVS II. P. illustri epitaphio parentarunt. LANDOLPHVS *Barensis* Cardinalis, ex regio *Siculo* stemmate, pariter apud PP. *Dominicanos* maxima pompa primum sepultus fuit, corpus vero postea in *Siciliam* translatum. Apud *Augustinianos* vero PANDELLVS de BALBINA sepultus iacet. In medio chori ecclesiae cathedralis aliud cuius memoria excidit, eiusmodi epitaphium hodiedum cernitur, vbi etiam RVPERTVS, archiepiscopus sepultus est. Id etiam singulare est, quod NICOLAVS *Constant.* in *Normandia*

archi-

archiepiſcopus in concilio praeſens hic ſepulchrum inuenerit. Demum vero, quum dira peſtis graſſari inciperet, finem imponi concilio neceſſe fuit, decreta in vrbem *Pauienſem* translatione, ſeu potius noua concilii inſtauratione, quum necdum omnia quoad reformationem eccleſiae in capite & membris confecta viderentur. Acceſſit, quod necdum (exemplo *Angeli* CORRARO ſub GREGORII XII. nomine, qui ſponte ſe abdicauit, ac omnia concilii probauit acta) *Petrus* de LVNA, dictus BENEDICTVS XIII. ſeſe pontificatu abdicare vellet, licet a plerisque ſuis derelictus, haud grauante ipſo SIGISMVNDO Imp. vt eum ad abdicandum induceret, in *Hiſpaniam* ſuſcipere iter *Conſtantia:* quo confecto itinere in eamdem rediit vrbem, vt ſua concilio adeſſet protectione, ea pietate, qua prius iter laudatum ſuſcepit, cum IOANNE XXIII. de celebrando concilio deliberaturus. Quod is non ſolum indixit, ſed eo ſe etiam contulit ſolemni pompa ex monaſterio *Creuzlingano Conſtantiam* deductus, vbi primum ſponte ac libere pontificatui renuntians, facti vero poenitens clam ſe ſubduxit, ac poſtea a Patribus depoſitus, captus, & in oppidum *Ratholdi-Cellam* abductus, concilii ſe ibi demum ſententiae ſubmiſit, quam per legatos Cardinales in curia oppidi accepit. Inde captiuus *Gottliebam* deductus, atque aliquo ibi tempore detentus,

tentus, cuſtodiae demum comitis *Palatini* commiſſus eſt. Quae ideo commemoro, licet aliunde iam ſatis nota ſint, quod ea obeundo loca memoria refricata ſit, praeſentibus maxime, ac ſuppetentibus authenticis monumentis. Acciderunt haec ad inferiorem lacum, quem *Venetum* adpellant, ad cuius ſeptentrionalem ripam ſitum eſt oppidum epiſcopi olim *Veronenſis Ratholdi-Cella*, cuius hoc in eccleſia parochiali eleuato paullulum ſepulchro in aditu chori ad dextrum latus legitur epitaphium: „Hoc „ſaxo tegitur corpus boni RATHOLDI, epiſcopi „*Veronenſis*, qui ſub imperatore LVDOVICO „*primo*, & STEPHANO *quarto* hic prima funda„menta iecit." STEPHANI V. aetas cum LVDOVICO congruit, qui tamen etiam ſubinde IV. nominatur. De RATHOLDO in Mſc. *Augienſi*, quae ſequuntur, breuiter memorantur: „Bea„tus RATHOLDVS claris in *Alemannia* ortus na„talibus, clericum egit ſub diſciplina pontifi„cia EGINONIS *Veronenſis* in *Italia* epiſcopi: „ſed vbi EGINO relicta cathedra pontificia in „*Augiam*, monaſticam vitam profeſſurus ſeceſ„ſit, RATHOLDVS ſanctus ſancto epiſcopo ſuf„fectus eſt, qui tamen poſt aliquot annos eius„dem religioſae vitae deſiderio accenſus in pa„triam rediit, & vt prope inſulam templum „cum aedibus ſibi exſtruere liceret, ab HATTO„NE abbate impetrauit, quod deinde templum

„quum

„quum variis Sanctorum reliquiis ornari in a-
„nimo haberet, familiarem ſibi IVSTINIANVM
„quemdam *Venetorum* ducem fecit, vt data a-
„liqua pecuniae ſumma ſibi de inſigni alicuius
„Sancti corpore circumſpiceret. Fecit id *Ve-
„netus*, & ſtatuto tempore ſacroſancta MARCI
„euangeliſtae lipſana epiſcopo eidem attulit,
„rogans, vt tacito aliquamdiu ſancti MARCI no-
„mine S. VALENTIS M & epiſcopi oſſa dice-
„rentur. TARRISII etiam eodem tempore ſan-
„ctorum SENESII & THEOPOMPI reliquias non
„minori gaudio acquiſiuit, quas cellae nuper
„a ſe exſtructae intulit. Sancti vero MARCI
„corpus ad *Augiam* aduexit quinto *Aprilis* an-
„no 830. Mortuus vero eſt RATHOLDVS ple-
„nus bonorum operum meritis, anno Chriſti
„874. Idibus *Septembris* & in templo a ſe *Ra-
„tholdi-Cellae* nuncupato ſepultus eſt.“ Ad fi-
nem ſuperioris ſeculi recluſo ſarcophago breui-
culum ſacrarum reliquiarum SS. SENESII &
THEOPOMPI eſt factum, quorum tutela ingen-
tia hucuſque fidelibus populis praeſtita narran-
tur beneficia.

Augia diues.

Eadem ſi fieret inquiſitio de S. MARCI reliquiis, quae in capſa argentea deaurata recluduntur, faceret forte ad dirimendam cum *Venetis*

litem circa corpus S. MARCI. Conſtaret forte, partem ſaltem ſacrarum reliquiarum RATHOLDO conceſſam eſſe. Quis enim ſibi in animum inducat, totum illud dimiſſurum fuiſſe ducem IVSTINIANVM, quod *Alexandria* ingenti cura comparauerat; eccleſiamque inſignem ei recondendo inſtruxerat, inſtituto numeroſo ad ſacra facienda clero? Fateor tamen, iam HERMANNVM *Contractum*, *Augienſem* monachum, in chronico corpus translatum velle ad an. 830. *Corpus S. Marci euangeliſtae ſub nomine Valentis martyris Ratoltus Veronenſis eps a duce Venetiae impetrauit, & cum corpore Geneſii mart. in Augiam inſulam intulit.* Ita nos ex Mſc. *Augienſi* deſcripſimus, quum editiones varient, praeter *Caniſianam*, quae noſtram hanc lectionem habet. De B. EGINONE anteceſſore RATHOLDI, qui antea abdicato epiſcopatu *Veronenſi* in *Augiam* conceſſerat, idem HERMANNVS ita habet ad annum 799. *Augiae S. Petri baſilica ab Eginone Veronenſi epiſcopo conſtructa & dedicata eſt.* Et ad annum 802. *Egino Veronenſis epiſcopus hac vita deceſſit, Augiae in baſilica Cellae ſuae ſepultus eſt.* Adhuc eius oſtenditur ſepulchrum ante altare eccleſiae, quae *inferior Cella* dicitur, cum hoc epitaphio:

Hac ſunt in foſſa praeclari praeſulis oſſa,
Quem Verona dedit, nomen Egino fuit.

Hanc

Hanc pòſuit Cellam Petro Pauloque dicatam,
Febris pulſa probat, factaque mira pium.
Obiit DCCCII.

Vſi nos licentia ab Emin. Cardinali accepta, aperiri nobis in frequenti praeſentia venerabilis cleri capituli *Augienſis* ſepulchrum fecimus, quum communis fama eſſet, in ſella integrum adhuc conſidere praeclari praeſulis cadauer. Ex viris, quos ad remouendum lapidem conduximus, tres erant, qui id ſe ſuis oculis vidiſſe confidenter adſeuerabant; vt in ſuam nos abduxiſſent ſententiam, niſi de tempore, aliisque circumſtantiis inter ſe ſinguli diſſiderent, atque poſtea in aedibus parochialibus in necrologium incideremus, vbi manu parochi ad finem ſuperioris ſeculi notatum erat: tunc, quum ob nouam eccleſiae inſtaurationem ſepulchrum apertum eſſet, oſſa in media foſſa reperta fuiſſe, eo, vti nos etiam ordine inuenimus, paucis oſſibus ad caput repoſitis, quod integrum eſt cum multis firmis adhuc dentibus. Caput grande eſt, ac ſinciput imprimis protenſum habet vltra communem formam. Additur in laudato necrologio, traditionem eſſe in fidelibus per clatrum cereos intromittentibus, conſpicuum fuiſſe in ſella venerabile corpus cum ſacro habitu. De quo adhuc ſandalia (Tab. IX.) ſupereſſe videntur, ab annis fere mille ſatis integra vti

meis vidi oculis, delinearique feci. Componuntur autem vno ex corio, absque ſoleis, quas nos calci pedis ſubiicimus, in poſteriore parte pedis aliquanto eleuatiores; hic autem omnia plana ſunt, coriumque molle, vt ſcrupulis vndique locus fuiſſet, ſi ad alium, quam domeſticum aut ſacrum in eccleſia vſum, quod eſt veriſimile, comparatum fuiſſet.

Mabillonivs ad calcem T. III. *a*) Annall. libellum iam edidit de Sanguine Chriſti *Augiae* adſeruato in crucicula auro gemmisque ornata, cum inſcriptione litteris graecis concepta, in cuius extricando ſenſu fruſtra mihi hactenus docti deſudaſſe videntur, vt adeo ad ſtimulandum ſtudium eam exhibere hic operae pretium ſit. (Tab. X.) Dicitur Crux *b*) ea pars donariorum, quae Azon *Ieroſolymorum* vrbis praefectus ad Caro-

LVM

a) Pag. 699. &c.

b) Forte per litteras initiales ita legendum: ✠ Κύριε Ελεήσον Βασιλεῦ Ὅτι Ἡμῶν Θεὸς ἐῖ (H pro ἐῖ) Ναρθήκιον Διὰ ✠ (ϛαυρȣ̃) Καὶ Αἵματος Κυρίȣ Ἁγιȣμένον Τȣ̃τ Ἔϛι (H pro ε dial. Ionica) Ἰησȣ̃ Τȣ̃ Σωτῆρος (Ξ ξ Dorice pro Σ) Ἡμῶν Ῥύσȣ Ἡμῶν. Vel magis genuine: Κύριε βοῆθι (ἐι) Ἱλαρίο (ῳ) Δεσπότῃ καὶ καθηγȣμένο (ῳ) τῆς μόνης ȣ̓ τόπȣ τζήρηθα ſeu ας. Aut etiam, vt exponit P. *Fintanus* Linderus noſter: Κύριε βοήθει Ἱλαρίῳ, Θεὸς δυνάμεως ſeu δεσπότης, καὶ καθηγȣ́μενος τῆς ὑμῶν σωτηρίας, μόνȣ τȣ̃ τιμίȣ ξύλȣ ἡμᾶς ῥυσάμενος, ἡμῶν Θεὸς.

LVM M. misit per WALDONEM *Augiensem* abbatem, & HVNFRIDVM, *Istriae* praefectum, qui eam primus a CAROLO M. aegre quidem obtinuit, quum id petere WALDO non auderet: vnde diu postea ad *Augiam* peruenit, & nuper iterum eo rediit in parthenone *Guntherstbal* reperta. Fuit is WALDO, seu WALTO ex illustrissimis *Augiae* abbatibus, monasterio etiam *S. Dionysii* prope *Parisios*, in quo erat relaxata disciplina, praefectus. Quanta tunc celebritate fuerit monasterium *Augiense*, ex vetustissimo necrologio sub ERLEBALDO, WALTONIS post HEITONEM successore circa annum 815. videre est, vbi confoederata monasteria recensentur magno numero, quorum nomina saltem ordine alphabetico damus, donec occasio se prodat, id integrum edendi necrologium. Innectimus praeterea monasteria asterisco notata, ex rotulis seu schedulis ex variis monasteriis ad *Augiam* missis, quarum pleraeque scriptae sunt tempore *Friderici* de WARTEMBERG, abbatis *Augiensis* ex monacho *S. Blasii* seculi XV. Addimus praeterea formulas professionis monasticae tam sub WALTONE, quam FRIDERICO, prout in eodem codice habentur. *a*) Miror

a) „ Admont O. S. B. diœc. Salzburg. *
Altaha inferius ad S. Mauriciũ Necr. *
Altaha superius. * Altorf. *
S. Antimi Martyris N.
Argentoratum N.
S. Audoweni crux N.

Miror valde, nuspiam in rotulis iſtis aliquid de monaſterio *S. Blaſii* reperiri, quum tamen iam in codice ſeculi X. vel XI. confoederationis formam ambo inter monaſteria ſequentem inuenerim, eamdem fere, quam ſupra retulimus cum *Hirſaugienſi* monaſterio ſeruatam: *Notum ſit omnibus tam præſentibus, quam abſentibus, quod Congregatio Augienſis, & ſci Blaſii tali tenore ſunt*

Augia vid. Inſulanenſes.
Augia minor. * Aug.
Baſileenſes Canonici N.
Bebenhuſen Ord. Ciſter. diœc. Conſt. *
S. Bibianæ N. Buxbrunno N.
Burgelm O. S. B. Nurenburg. Diœc. *
Capell. O. Ciſt. *
De Carantana N.
Carroſenſe mnrium N.
SS. Caſſii & Florentii N.
In Caſtello S. Petri O. S. B. Eyſtett. Diœc. *
S. Catharinæ Ord. Ciſt. *
Cella Dei virorum. *
Chambituna. Kempten N.
Chaminiſeo. Chemniz N. Chorbeja N.
Clingo ſive Plidinfeld.
Coltcas monaſterium N.
Conſtantienſes Canonici N.
Corzia N. Crux Sancta N.
Deſertinas. Diſſentis. N.
S. Dionyſii N. deſunt nomina exciſo fol.
S. Dionyſii cella N.
Ex Divione caſtro Canonic. N.
Duellum. Hochenwiel N.
Dyrſtein monial. *
Ebbach. *
Eberſperg S. Sebaſtiani. *

ſunt counite : ut quando altera alteri breves pro defunctis ſuis fratribus miſerit, in proximo capitulo pronuntietur, ac poſt capitulum Verba mea *non ſine pulſatione campanarum cantetur. Præbenda etiam eadem tantum die detur, & in libro vitæ ſcribatur. Poſtea vero agantur ſeptem miſſæ, ſeptemque vigiliæ, & totidem diebus* Verba mea *poſt matutinum. Unusquisque etiam*

Eburesheim. Ebersheimmunſter N.
Ellehenwanc. Ellwang. N.
Ensdorf S. Iacobi O. S. B. Ratisb. Diœc. *
Epternacum O. S. B. *
Ermolftingen. Ermattingen N.
Etinheim. Ettenheimmunſter N.
Enſſendorp O. Ciſt. Diœc. Col. *
Farenſe. N.
Favarias. Pfeffers. N.
S. Fauſtini Brixiæ N.
Felix porta. *
Frütwanga N.
Flaviniacenſe Mnrium N.
Friſingun. Freiſing. Fratrum de Friſingun. N.
Frum deleghe ord. Ciſt. monial. *
Fulta N.
Fundatores Augienſes. N.
Fueſſen S. Magni in faucibus Alpium Diœc. Aug. *
S. Galli N.
Gemedico N.
ex SS. Geminis Canonici N.
Gengenbach vid. Keqinbach. N.
S. Georgii Canonici N.
S. Georgii *
S. Georgii Canonici N.
S. Gregorii N.
S. Germani N.

etiam miſſam unam debet cantare ſacerdos. Qui vero ſacerdos non eſt, quinquaginta pſalmos. Quodſi plures fuerint, eadem omnibus cõmuniter fiat oratio. Singulæ vero ſingulis dentur præbendæ.

S. Germani N. Item.
Gerſten *
Grawenrÿndorp. monial. O. Ciſt. Col. Diœc. *
Guntersthal O. Ciſt. monial. *
Halverſtedenſe Mnriũ N.
Haſala N.
Haſareod deſunt nomina exciſo folio.
Haſung. O. S. B. *
Hayſterbach. O. Ciſt. Col. Diœc. *
Hildesheim. Vid. S. Michaelis. N.
Himenrode. *
Hirſaugia. Spir. Diœc. *
Hochenwiel. Vid. Duellum.
Holzkirchen S. Sixti. *
Hornbach. N.
Hoven monial. *
Inſulanenſes monachi N.
S. Iuſti Canonici. N.
Keginbach. Gengenbach. N. *
Kempten vid. Chambituna N.
Lacus S. Mariæ O. Ciſt. Col. Diœc. *
Langenzen. Can. Reg. S. Aug. Herbip. Diœc. *
Leonis monaſterium N.
Lingonicæ urbis Canonici. N.
Loreshem. Laurisheimenſe mnriũ N.
Luxovium N.
Lympurg. *
Magnus locus N.
S. Magni vid. Fueſſen.
de Mainga. N.
Maninſeo. Manſee N.
Marienberga S. Ægidii O. S. B. Bamberg. Diœc. *
Marisſtella. Wettingen Ord. Ciſt. *

bendæ. Et, ut hoc inviolabiliter omni in reliquo tempore teneatur, opportunum videtur, ut hanc confirmationis cartam utraque congregatio in sua regula habeat scriptam. In codice *Augiensi*

S. Martini insulæ barbaræ. N.
Matachseo Mattsee N.
Mauri monasteriū Maursmunster N.
S. Maximi Treviris. N.
Mediano. N.
Melundis N.
Mettama. Metten. N.
Mettenses fratres. N.
S. Michaelis Hildesheim. N.
S. Michaelis in Sigberg. O. S. B. Col. Diœc. *
S. Modesti Martyris N.
Mons.
Mons viridis. N.
Morbach. Murbach. N.
Mosbach. N.
Mulbrunn. O. Cist. Spir. Diœc. *
S. Niceti Canonici N.
Nonantula N.
Nova N.
Novum Villare. Villarium. Neuweiler N.
Nunnenmunster monial. *
Obernburg. *
Offinwillare Schuterense. N.
Ogla vid. Vallis B. M.
Osterhoven S. Margaritæ V. M. *
Ostrad. *
Ottobeyren vid. Uttinbura.
Parisiensis Civitatis Canonici.
Patelhusen B. M. V. monial. *
S. Pauli Canonici N.
In S. Paulo. *
Paumburg S. Margarethæ V. M. *

giensi sec. XV. ita scriptum reperi : *Fridericus abbas de Wartenberg seu Wildenstein obiit ipsa die S. Silvestri P. de Sero circa 9. horam anno Dñi* 1454. *Valde memoria dignus, ac reverendus*

Pedernachum. monial. *
Pegalbicusis. O. S. B. Merseburg. Diœc. *
S. Petri.
S. Petri monial. *
S. Petri virorum. *
Peyern. *
Pfeffers vid. Favarias.
In Plaga *zum Schlegel* O. Præmonst. Patav. Diœc. *
Plindenfeld vid. Clingo N.
Pons Regis. Vid. Regis pons.
Porta felix. Vid. Felix porta.
Portey. *
Prumiense monasterium N.
S. Ragneberti mnrium N.
Rasbaacis vid. Sarbacias.
Regis pons monial. O. Cist. Argent. Diœc. *
Reichartshoven O. S. B. Mogunt. Diœc. *
Rodenbuechin. *
Rott SS. Marini & Aniani. *
Salem. *
Salzburg. N. nomina desunt exciso folio.
Salveld S. Petri *
Sarbacias vel Rasbaacis. N.
Schönaugia. O. Cist. Worm. Diœc. *
Scina. Schinen N.
Senonicas N.
Sindelsbach. S. Blasii monial. *
Steingaden. S. Io. Bapt. O. Præmonst. Aug. Diœc. *
S. Stephani domus Canonici XCIV. N.
S. Stephani Cœnob. ancillæ. N.
Strasburg vid. Argentoratum.
Suraburc vel Saraburc N.
Swarzaha. Schwarzach. N.
Tuberis. N.

rendus Pater, quia huius monafterii recuperator, & alter fundator extitit, & per 26. annos pervigil rexit. FRIDERICVS ifte, ita volente abbate *S. Blafii*, vnacum magiftro HASLACHER, iurium

Turegum Zürich N.
Vallis angelorum O. Cift. *
Vallis B. Mariæ in Ogla *
Vallis benedicta *
Vallis Dei. monial. *
Vallis S. Catharinæ monial. *
Vallis rofarum monial. *
Vilacum monial. O. S. B. *
Villarium. vid. Novum vilare.
Uttinburra. Ottobeyren N.
Werdea. S. Crucis O. S. B. Aug. Diœc. *
Wettingen vid. Marisftella.
Wunenthal monial. O. Cift. *
Zurzaca. Zurzac. N.
Zwyfalden *
Zürich vid. Turegum.
Zyffendorp. Virgin. incluf. * "

In eodem codice habetur formula profitendi fub WALTONE anno circiter 800.

„Domino venerabili & in Chrifto Patri abbati fimul cum felici vra congregatione, quam dominus de diverfis provinciis ad peregrinandum propter nomen fuum fub iugo militiæ atque fervitutis alaque protectionis fecundum evangelium Chrifti regulariter vobiscum coadunavit. Audivimus quod dñus Ihs Chrs per evangelium fuum annuntiat dicens, *nifi quis renuntiaverit omnibus quæ poffidet, non poteft meus effe difcipulus.* Et alibi. *Qui reliquerit patrem aut matrem, aut frs aut forores, domus aut agros & cætera propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poffidebit.* Petimus ergo Beatitudinem Caritatis vræ, ut nos in ordinem congregationis veftræ dignemini recipere, ut ibidem diebus vitæ noftræ fub regula beati Benedicti vivere & converfare debeamus. Abrenuntiamus igitur omnibus vo-

rium doctore, *Romam* profectus a MARTINO V. abbatiam *Augiensem* vacantem tunc, & monachis destitutam obtinuit anno 1428. Aderant tunc

luntatibus nostris propriis & omnibus rebus quas possidemus sicut evangelia & regularis docet industria, nihil de rebus terrenis ab hac die possessuros nos spopondimus, nisi quantum Patre monasterii donante aut promittente alimenta vel tegimenta corporis acceperimus, obedientiam vobis, in quantum vires nostræ suppetunt, & dñus dederit nobis adiutorium, conservare promittimus. Stabilitatem conversationis nræ in congregatione vra teste dño devoto animo cum observatione regulæ usque in finem profitemur observare. Nisi quis tantum, quod ignoramus, futura forsitan obedientiæ causa utilitatis animæ accedat, aut etiam illud, si contra voluntates nostras, quod absit, separemur a barbaris, & ipsum si fuerit, in quantum possumus, semper ad ipsam congregationem revertere faciamus, & sub sancto ordine perseveremus. In reliquo vero per nullum ingenium a prædicta congregatione vra vel iugo Scæ regulæ seu de potestate obedientiæ vræ nullam habemus licentiam abstrahere aut contradicere. Quodsi instigante antiquo hoste aut voluntate nostra propria hoc facere temptaverimus, in nullis modis hoc valeamus vindicare. Sed ubicunque nos missus vester, aut aliquis ex congregatione vestra invenerit, etiam nos nolentes in ipsam congregationem vestram per vosmetipsos Deo auxiliante faciatis revocare, & secundum regulam ibidem diiudicare, ut diebus vitæ nostræ sub sancta regula & regimine vestro perseveremus, qualiter in die iudicii ante tribunal æterni iudicis ipso adiuvante salvos nos repræsentare possitis. Et quicunque contra hanc petitionem, quam nos bona voluntate scribere rogavimus & subter firmavimus, per quemlibet modum agere aut infringere voluerit, solidos centum partibus vestris componat, & nos vindicet quod repetit, & insuper, quo de hac causa ad veram emendationem veniat, a Deo se damnandum sciat, quem irridere conatus est.

Ego ille domne abba obedientiam vobis secundum regulam Sci Benedicti iuxta quod in ista petitione continet, quam

tunc nonnisi duo monachi novitii, *Henricus* comes de LUPFEN, & *Ioannes* L. B. de ROSEN-EGG,

super istud altare posui coram Deo & Sanctis eius, in quantum mihi ipse Deus dederit adiutorium, Deo & vobis promitto custodire, & in quo possum ipso auxiliante conservo.

Deus omnipotens, qui cunctis legitime & regulariter viventibus præmia promisisti, custodire & gubernare dignare eos, quorum hic nomina subterscripta sunt monachorum Scæ Mariæ, ut incolumes ante tribunal Christi pervenire mereantur unacum electo viro abbate, ut ds omps, qui pacis auctor est, qui solus potest facere unanimes habitare in domo, aptet nos omnes ad faciendam voluntatem suam, faciens in nobis, quod placeat sibi per Ihm̃ Xpm dñm ñrum unacum religiosissimo Patre nostro, & huius adhortationis semen in nostro corde per gratiam Sps Sci plantet & foveat, & ad maturam bonorum operum perfectionem perducat, simul cum illustrissimo nobis Patre nostro, & nobis remissionem peccatorum donans, in æternam requiem cum sua pace recipiat. Amen.

WALTONI.

Ego ill. promitto stabilitatem meam & conversionem morum meorum & obedientiam, secundum regulam Sci Benedicti coram Deo & Sanctis eius. "

Recentiori manu huiusmodi formulae breuiores nostris magis conuenientes in margine inferiore ponuntur:

„Ego Frater Ioannes Schenck de Landeck promitto stabilitatem & conversionem morum meorum & obedientiam, secundum regulam Sancti Benedicti, coram Deo & Scis eius in hoc monasterio Augiæ maioris, quod est constructum in honorem piissimæ Virginis Mariæ, & Sci Marci evangelistæ, & aliorum Sanctorum, quorum reliquiæ hic sunt reconditæ, in præsentia Reverendi in Christo Patris & Domini Dni Friderici de Wartenberg abbatis. In nõine Patris, & Filii, & Spiritus Sci. Anno Domini MCCCCXLII. "

Sequitur alia sub eodem abbate verbis nonnihil mutatis Fr. Iohannis Pfuser de Norstetten, qui deinde abbas fuit.

EGG, qui tamen breui relicto monaſterio ad ſuos parentes redierunt. Aduocati proin ſunt e *S. Blaſio*, qui ſub abbate FRIDERICO monaſticam vitam reuocarent, ac chorum frequentarent, quem Canonici quidam ſeculares tenebant. FRIDERICVS etiam nouam chori ſtructuram, prout hodie cernitur, ampliſſimam reſtituit, bibliothecam aedificauit, & inſtruxit coemtis magno aere libris, quorum catalogum P. ZIEGELBAVR *a)* in *Hiſtoria litteraria Ordinis S.* BENED. refert poſt alterum antiquiſſimum ſec. IX. ſub REGINBERTO bibliothecario, prout in veteri rotulo habetur. Quo tempore celebris fuit *Augienſis* ſchola, vt apud LAVNOIVM *b)* videre eſt, fuitque praecipua in deſcribendis codicibus monachorum tunc occupatio, ſeculo nono ſub CAROLO M. litterarum per eosdem reſtituto nitore, ſcriptura ideo *Carolingica* dicta. Cuius rei argumenta ſuppeditant in nouò tractatu diplomatico *c)* monachi Ordinis S. BENED. e congregatione S. MAVRI. Optimum vero documentum ſunt ipſa MSS. hactenus ſeruata magno numero, in ipſa etiam bibliotheca *Augienſi*, poſt acerba licet fata ac detrimenta, tempore concilii *Conſtantienſis* praeſertim, quando ex integris nauibus onuſtis vix aliquid rediit. Memoran-

a) P. I. c. VI. S. I. §. 8. p. 573.

b) De Scholis Celebr. c. 27.

c) T. III. P. II. S. III. c. VI. a. 6. p. 331. &c.

morantur adhuc alii ad haec vſque tempora eiusmodi funeſti caſus, qui tamen obſtare non poterant, quo minus hodie inter primarias *Germaniae* bibliothecas cenſeri queat; quod patet ex catalogo, quem breui, quo in hoc monaſterio morati ſumus, tempore, ingenti confecimus labore. Papyraceos a membranaceis ſeparauimus libris, prout commodum locum ſeiuncti nobis dederunt plutei, aetate, quantum licuit, in membranaceis addita, quae in papyraceis non adeo magnam habet differentiam.

Schaffhuſium.

Ex *Augia diuite* per lacum inferiorem *Acronianum*, ſeu *Venetum* ac *Rhenum*, *Steinam* praeternauigauimus oppidum, quod plerique exiſtimant eſſe vetus *Romanum Gaunodurum*; veroſimilius vtique, quam id nomen *Conſtantiae* conueniat. Mature vero *Schaffhuſium* vrbem ac pagum *Heluetiae* trans-*Rhenanum* ſecundo flumine aduenimus, a portu praediuitem, vbi omnia, quae *Rheni* tergo vehuntur, exonerari debent, ob ingentes *Rheni* cataractas. In bibliotheca ciuica, praeter Ioannis *Chryſoſtomi* Homilias in Matthaeum, graece ante ſexcentos annos eleganter ſcriptas, MS. antiquum nullum vidimus, dictitante bibliothecario, in archiuo ea deliteſcere, quod iam aliunde

liunde etiam perceperam; ſique etiam falſa ſit ſuſpicio, partem MSS. *Creuzlingenſium* huc delatam eſſe, fieri tamen aliter non potuit, quin ex celeberrimo, olim media in vrbe ſito monaſterio *Omnium Sanctorum*, pulſis monachis, cum aliis rebus omnibus vetuſta etiam documenta importarentur. Sic vero recondi dolendum eſt, tum alia antiquitatis lipſana, cum ea etiam, quae ad hiſtoriam huius monaſterii pertinent. Ex quibus, quae etiam in antiquis monaſterii muris delineata erant, pene ſunt deleta, & in eccleſia nouis teſſelis obtecto ſolo, ſepulchrum B. EBERHARDI fundatoris eſt obſcuratum, cuius publice olim in eccleſia fuit celebratum feſtum, ſicuti in antiquis *Rhinaugienſibus* miſſalibus libris inuenimus. Hodie pars aedificiorum huius monaſterii bibliothecam publicam continet, in qua praeter inſigne graecum mox laudatum MS. ac Alcorani ſuras quasdam elegantiſſime ſcriptas curioſa quaedam potius quam antiqua habentur, qualis eſt Catechiſmus *Ioannis* OTT, germanice ita ſcriptus, vt typum mentiatur. Item celebris inter doctas feminas *Eliſabethae* de WALDKYRCH (quae caeca quum eſſet, libros tamen nonnullos dictaſſe fertur) litteris minuſculis ceruſſa eleganter ſcriptum hoc diſtichon manu propria:

Linea

Linea ſi titubet, lector, literaeque vacillent
Noris quam fallax, ſit ſine luce manus.

Geneuae d. 21. Maii an. 1698. tremula manu pinxit

Eſter Eliſabett de Waldkyrch.

Habetur etiam propria manu exarata MANLII deſcriptio dioeceſis *Conſtantienſis*. Ex rarioribus primae typographiae editionibus ſunt *M. T.* CICERONIS *Libb. de Officiis, ex officina Ioannis Fuſt an. MCCCCLXVI.* Exemplaria item quaedam rara habentur bibliorum *Germanicorum*: ex illis adſunt inter alia, quae ſine nota loci & temporis primis typis impreſſa ſunt, cum hoc *Geneſis* initio: *In dem anfang beſchuf Got hiṁel undt erd, aber die erd was läre, unnütz, und die uinſternus waren uff dem antlitz des abgrundt.* Titulus ſuperioris marginis eſt germanicus: *das buch der Geſchöpf.* Numeri marginales Romani. In noſtris autem bibliis *Germanicis* apud *S. Blaſium* ſine loco pariter & anno impreſſionis numeri in margine manu adſcripti ſunt, tituli item in margine ſuperiore a XXIIII. capite *Geneſis*; prius enim, & in praemiſſa epiſtola S. HIERONYMI ad PAVLINVM in *Germanicam* linguam tranſlata, typis expreſſi ſunt latine. Numerus & inſcriptiones capitulorum itidem typis deſcriptae ſunt,

Mart. Gerbert. Iter Alem. T litte-

litterae vero initiales minio depictae; sunt tamen in capite librorum figurae ligno incisae. In nouo testamento *Acta apostolorum* primum post *Epistolam ad Hebraeos* sequuntur. Exhibetur quoque epistola ad *Laodicenses* S. PAVLO supposita. Liber *Genesis* ita orditur: *In dem angang beschuf Got den himel uñ die erde. wañ die erde was eitel und lere. unnd vinster waren auff dē antlitz des abgrundes.* Locus 1. Io. V. 7. Ita habet: *Wañ drey seind die geben gezeüg auff der erd. der Gayst Wasser und Blut. und dise drey seind ei. Und drey seind die gebēt gezeüg im himel. der Vatter. das Wort. und der heilig Gaist. und dise drey seind ein.* Translatio ad superstitionem etiam est ex *Vulgata* expressa, dialecto tamen *Germanica*, quae sec. XIV. respondet. Character magis accedit *Romano* minusculo, quam *Gothico*, quod velim notent Gentiles nostri. In fine perperam quidem adscripta sunt manu an. 1547. haec verba: *Getruckt zu Menz anno* 1454. 4. *jar nach dem de mans buchtrucken erdacht hat.* Atque haec, dum biblia *Schaffhusensia* recensuimus, ideo de nostris *San-Blasianis* retulimus, quia antiquissima biblia *Germanica*, quae adhucdum de primatu certant, vel a *Ioanne* VOGT, vel a *Dauide* CLEMENT, qui de rarioribus libris tractant, recensita, secum in omnibus non conuenire

uenire videmus. Idque in bibliis aliis *Germanicis Schaffhusensibus*, sicut alibi non raro, deprehendi, vocem illam theotiscam, antiquissimam quidem, in psalmo secundo *Warum grisgrambten*, seu vt habet NOTKERVS, *Zin griscramoton* certum primorum bibliorum characterem haud esse. De quo tamen alias in recensione nostrae bibliothecae suo tempore plura. Vid. quoque infra tit. *Stuttgardia*.

Rhenaugia.

Duabus leucis a *Schaffhusen* in descensu *Rheni* antiquissimum situm est monasterium *Rhenaugiense*, cuius non tam instaurationis seu primae fundationis perspectae sunt origines, quam restaurationis a WOLVENE factae. Qui tamen in instrumento restaurationis palam facit, a suis Maioribus fundatum esse monasterium. „Ego itaque WOLVENE in DEI nomine notum „esse cupio tam praesentibus, quam & futuris, „qualiter ab antecessoribus meis in loco, qui „dicitur *Renaugia*, monasterium monachorum „constructum sit.„ Quousque vero parentela ascendat ad primam vsque fundationem, dissertius diploma LVDOVICI *Germanici* loquitur: „Cuius auus & pater, nec non & ipse quod„dam coenobium *Rinaugia* nuncupatum in *A*„*lemannia* in comitatu ADALHALMI ob laudes

„diuinas, & regulares disciplinas construxe„rant.„ Origines suas ad annum 778. referunt *Rhenaugienses*, quo WOLFEHARDVS, auus WOLVENI, monasterium fundasse perhibetur. Hos ad gentem *Guelficam* pertinere, vix dubitare licet; inter quorum posteros comites quoque *Kyburgi* numerantur. Renouatum nuper fundatorum epitaphium, quod subiicere operae pretium est, plura docebit:

PIIS MANIBVS
WELFORVM ALEMANNIAE DVCVM,
MONASTERII RHENAVGIENSIS CONDITORVM:
WOLFEHARDO AVO,
LVDOVICI PII IMPERATORIS SOCERO,
FVNDATORI PRIMO AD ANNVM DCCLXXVIII.
ETHICONI PATRI,
EGREGIAE LIBERTATIS PRINCIPI,
FVNDATORI SECVNDO AD ANNVM DCCCXX.
WOLFENO FILIO,
VIRO NOBILI, ET INLVSTRI,
LVDOVICI GERMANICI VASSO,
RESTAVRATORI AD ANNVM DCCCLII.
DEMVM ABBATI VENERABILI
AD ANNVM VSQVE DCCCLXXVIII.
(CVIVS CINERES, (TOS,
IN VETERI OLIM ECCLESIA CVM HONORE SERVA-
SVB HVNC LAPIDEM ANNO MDCCX. CONDIDERAT
RMVS ABBAS GEROLDVS II. DE ZVRLAVBEN.)

ISTHOC

ISTHOC AETERNAE GRATITVDINIS MONVMEN- POSTLIMINIO RESTITVIT (TVM RMVS PERILL^IS ET AMP^MVS D. D. IANVARIVS HVIVS MONASTERII ABBAS ANNO MDCCLXX.

WOLFENO annuente, vt iam ſupra, de monaſterio *Ochſenhuſano* loquentes, memorauimus „Vir quidam nobilis SIGEMAR ſub confirma„tione tradidit ad monaſterium *Rinaugia Cel„lam*, quae dicitur *Alba*, quae ſita eſt in pa„go *Albigowe*, ad ſtabiliendum inibi ſeruitium „ſanctae MARIAE pro ſemetipſo, & filio ſuo „nomine LVITHERE.„ Quod ſitum monaſterii noſtri haud obſcure deſignat, quae fuit *Cella alba*, vti etiam vocabantur fratres ad *Albam* ob praeterfluens *Albae* flumen; vnde *Albigouiae* (perinde eſt, ſi ab alpibus *Alpigouiam* diceres) nomen eſt, vocum compoſitione in noſtris plagis frequentiſſima & antiquiſſima, *Graeca* forte origine a γᾶια quae vox terram, regionem ſignificat, pro qua etiam poetae ἆια vſurpant: imo γᾶι etiam non inuſitatum eſt ad profundiorem terrae locum deſignandum: quum aliunde conſtet, in *Germanica* lingua plures eſſe voces vel e *Graeco* natas, vel cum *Graecis* proxime conuenientes. Laudata vero de traditione *Cellae albae* verba ex veteri MS. ſec. XI. deſcripſimus ſuperius; nam

recenſio eiusdem traditionis habetur in veteri chartulario, addito regimine LVDOVICI *Germanici*, qui in autographo diplomate de anno 858. inter alia eidem monaſterio *Rhenaugienſi* confirmauit: *& in Alpigoue cellam, quae dicitur Alba.* Haud dubie autem, cum ſeruitio diuino, *D. Blaſii* patrocinium hinc eſt, cuius ſacrae reliquiae *Roma Rhenaugiam*, & hinc *in vicinum ſaltum*, atque adeo in *Cellam albam*, circa idem tempus ex parte translatae fuerunt, vt legitur in Vita S. FINTANI monachi *Rhenaugiae* recluſi, a coaeuo auctore ſcripta apud BOLLANDVM *a*) vnde nos S. brachium tutelare adhucdum tenemus. Suſpicaturque P. MVOS *b*) per LVITHERVM (quem monachum, & presbyterum fuiſſe *Rhenouienſem* palam facit ex necrologio S. GALLI) aliosque *Benedictinae* aſceſeos ſub GOZBERTO *Rhenouii* florentis ſurculos ſacram regulam S. P. N. BENEDICTI ad *Cellam albam* ſub idem tempus transplantatam, & horridae ſiluae implantatam fuiſſe. Qua ratione iterum ſui iuris facta ſit *Cella alba* noſtra *D. Blaſii*, haud conſtat; niſi, quantum coniecturare licet, ſeculo decimo, quo, *Vngaris Germaniam* deuaſtantibus, hoc noſtrum ſiluis & montibus praecluſum ac vndique circumſeptum monaſterium ſaluum

a) Tom. I. *Febr.* num. 18. & 40. Edit. *Antwerp.* pagg. 333. & 336.

b) De iure aduocatiae p. 20.

ſaluum euaſiſſe potius, quam patentem ad celeberrimum *Germaniae* occidentalis fluuium expoſitam *Rhenaugiam:* vt eam variae *Rheni* quaquauerſum contorſiones non ita tutam praeſtiterint, quam amoeniſſimam faciunt, ea cumprimis ex parte, qua bibliotheca hodie eſt commodiſſime ſita, & ab incendii periculis, inferius, vbi chartularium eſt, ſuperiusque fornice, quantum quidem humana prouidentia cauere valet, ſollicite cuſtodita.

Quod bene ſit inſigni theſauro manuſcriptorum, praeſertim in rebus liturgicis ab octauo vſque ſeculo, quo deſinente ſcriptus eſt *Liber antiphonarius*, & *Sacramentarius* ad celebrationem miſſae, nec cum *Gelaſiano*, nec cum *Gregoriano* penitus conueniens, quem vnacum noſtro *Gregoriano S. Blaſii* fundamenti loco ponimus in liturgia veteri *Alemannica*, in ſubſidium vocatis quoad vtrumque ſacramentarium *Rhenaugienſe*, & *San-Blaſianum* MSS. pluribus mecum indulgenter communicatis. Ex quibus, praeſertim *San-Gallenſibus*, ſupplere potuimus defectum MSS. noſtratium in argumento liturgico quoad ſeculum vndecimum: quum alias ab annis fere nongentis ex ſingulis praeſto ſint codices liturgici, vti a mille vix non annis apud *San-Gallenſes*, & *Rhenaugienſes*. Apud hos vero reperi praeter iam laudatum, Miſſalia ſec. circiter IX. 1. X. 2. XI.

4. XII. 1. XIII. 2. XIV. 2. XV. 4. praeter plenarium f. X. Gradualia ſeu Antiphonaria ſec. XI. 2. XII. 1. XIV. 1. XV. 3. XVI. 4. lectionalia pro miſſa & aliis diuini officii partibus ſec. IX. 1. X. 1. XI. 3. XIII. 4. *Pſalteria* ſec. IX. 1. XI. 1. XII. 2. XIV. 2. XV. 3. *Breuiaria* ſec. IX. 1. XI. 1. XIV. 2. XV. 3. Atque inſuper quatuor directoria chori *Rhenaugienſis*, quibus continetur ordo operis DEI ſec. circiter XI. Fragmentum item antiquiſſimi necrologii, martyrologia varia, regulae S. BENEDICTI, & SS: Scripturae codices, ex quibus vnus eſt rhytmis *Teutonicis*, & imaginibus adumbratus f. XIV. opus RVDOLPHI ab *Anſe*, & eius continuatoris.

Inter MSS. opera SS. PP. ſunt AMBROSII, HIERONYMI, AVGVSTINI, GREGORII, quorum trium opera quaedam vno in codice litteris *Longobardicis* conſcripta ſunt. IVSTI *Vrgelitani*, S. ISIDORI, ANSELMI, *Rhabani* MAVRI, BERNARDI, HONORII *Auguſtodun.* ANGELOMI *San-Gallenſis* explicatio Cantic. S. ARNVLPHI ep. lib. III. *de locis terrae ſanctae* a REGINBERTO monacho ſcripti ſec. XI. SEDVLCI *Hibernienſis* Collectanea in apoſtolum, ſeu Expoſitio in potiores epiſtolas PAVLI. Inc. *Antequam ad apoſtolica verba exponenda veniamus, quaedam*

prius

prius axiomata, hoc eſt principalia dogmata, praelibemus. Domeſtici auctoris *Rudolphi* de THVREGO, e nobili familia *Turicenſi*, monachi & presbyteri inedita ſeruatur explicatio totius pſalterii DAVIDIS, vnacum explicatione Canticorum in fine manca ſec. XI. de quo ita poſt explicationem peregrinorum ſcripturae locorum *fol.* 7.

Codicis eſt huius Rudolphus presbyter auc
tor.
Divini cultus bonus atque fdelis adauc
Turegi natus generoſo germine pri
dem
Quina quiennia tetra tetrennia vixit ibi
Poſt opibus patria notis ſpretis & ami
cis
Et monachus factus ad clauſtra Dei genitri
Quæ propriis rebus ſummoque labore para
vit
Uſibus eccleſiæ pietate ſua comoda
Scilicet has gloſas ſtili nitore niten
tes
Yſidorum, Rabanum quoq; Pateriumq; decen
Et geminos calices, quorum prior aureus ex
ſtat
Alter ab argento ſpectacula lucida præ
Hocque ſibi fratres pactum ſuper his tribueb
ant.
Hæc ut ab eccleſia nulla ratione reced

T 5 *Id*

Id ſperans lucri ſibi pro meritis numera
ri
Poſt obitum ſacra fratrum prece poſſe iuva
Vos ergo fratres mutuæ date jus pieta
tis.
Solvite commiſſum, precibusque juvate bea

Haud tamen confundendus, vti primo quidem a nobis factum, RVDOLPHVS iſte cum alio RVDOLPHO de *Radegg*, patria *Rhenaugienſi*, ſed presbytero-ſeculari, & magiſtro ſcholae *Einſidlenſis*, vbi ſeruantur libri carminum, quibus monachorum captiuitatem, atque monaſterii deuaſtationem ab *Heluetis Suitenſibus* anno 1314. factam deſcribit. Eiusdem anni charta exhibetur in *Genealogia diplomatica* HERRGOTTI *a)*, qua RVDOLPHVS comes de *Habsburg*, *Rhenaugienſis* monaſterii aduocatus, rogat *Suitenſes* pro dimiſſione ex captiuitate ſpecialiter dicti RVDOLPHI de *Radegg*, *Einſidlenſis* ludimagiſtri, qui poſtmodum *Rhenaugiae* domum cum pomario legaſſe reperitur.

CLEMENTIS *de diſputatione S.* PETRI *cum* SIMONE *Mago* opus notabile eſt ob prologum RVFINI *Tyrannii* (vel, prout ab aliis perperam nominatur, *Toritani*, *Thorani*, *Toranii*, *Turannii* vel *Tauranii*, presbyteri *Aquileienſis* ob controuerſias cum S. HIERONYMO notiſſimi) ad

a) Tom. II. P. II. pag. 605.

ad GAVDENTIVM, qui celebritati nominis GAVDENTII *Brixienſis* ſatis conuenit. Inc. „Tibi „quidem papa GAVDENTI noſtrorum decus in„ſigne doctorum, tantus ingenii vigor eſt, imo „tanta ſpiritus gratia, ut ſi quid ad te etiam „quotiani eloquii more dicitur: ſi quid in „eccleſia declamatur, id in libris haberi, & ad „inſtructionem tradi poſteris debeat noſtram, „quos & ingenii tenuitas minus promtos, & „ſenecta jam tardos reddet ac ſegnes. Opus „quod olim venerandæ memoriæ Virgo SILVIA „iniunxerat, ut CLEMENTEM noſtræ linguæ red„deremus, & tu deinceps iure hæreditario po„ſcebas, licet multas poſt moras tamen aliquan„do reſtituimus.“ Poſt librum ALCVINI ad WIDONEM *de vitiis & virtutibus*, MS. ſec. IX. inſigne eiusdem obeſum tandem, quantum licuit, extricauimus epitaphium:

„*Hic rogo pauxillum veniens ſubſiſte viator,*
Et mea ſcrutare pectore dicta tuo.
Ut tua deque meis agnoſcas facta figuris.
Veſtitur ſpecies, ut mea ſicque tua.
Quod nunc es, fueram famoſus in orbe viator,
Et quod nunc ego ſum, tuque futurus eris.
Delicias mundi caſſo ſectabar amore.
Nunc cinis, & pulvis, vermibus atque cibus.
Quapropter potius animam curare memento.
Quam carnem, quoniam hæc manet, illa perit,
Cur tibi rura paras, quæ parvo cernis, in antro

Me

Me tenet hic requies, ſic tua parva fiat.
Cur tyrio corpus inhias veſtirier oſtro
Quod mox eſuriens pulvere vermis edet.
Ut flores pereunt vento veniente minaci,
Sic tua namque caro, gloria tota perit.
Tu mihi redde vicem lector . . .
. . . .
Obſecro nulla manus violet pia jura ſepulchri,
Perſonet angelica donec ab arce tuba
Qui jaces in tumulo terræ de pulvere ſurge,
Magnus adeſt judex, millibus innumeris.
Alchuino nomen erat, ſophiam mihi ſemper amanti
Pro quo funde preces mente legens titulum.

„Hic requieſcit beatæ memoriæ domnus ALCHUINUS Abba, qui obiit in pace XIIII. Kl. *Junias.* Quando legeritis orate pro eum, & dicite, requiem æternam donet ei Dominus Amen."

In veteri miſſali ſequentes verſus reperi:
„*M. C. ter ducto ſimul L. ſextoque reducto*
Anno incarnati Chriſti mundo quoque nati
October diras Domini monſtraverat iras,
De quibus horruimus merito, nunc cum caro ſimus.
In Lucæ feſto cujus crebro memor eſto,
Quam datur ignotus tantus terræ fore motus,
Qui male contrivit urbes & ſternere quivit,
Caſtra ſimul muros tam forte tamque duras
Quod Baſilea ſatis gemit in paribus quoque muris
Verſaque coæquata ſunt terræ culmina grata."

ITINERIS



ITINERIS ALEMANNICI
SEMESTRE SECVNDVM.

Bondorff.

Die 12. *Maii* an. 1761. propitio Numine alterum itineris *Alemannici* ſemeſtre auſpicati, ipſo die per ea ſiluae *Hercyniae* iuga, quae in tabula *Theodoſiana* ſiluae *Martianae* pars ſunt, ad tractum *Abnobae* montis, *Bondorffium* conceſſimus, vicum, qui comitatui nomen dat. In quo, ac vicinia praeter varicoloria marmora, alabaſtra, quod mireris, gypſum quoque ſubtiliſſimum, candidiſſimumque, copiam lapillorum figuratorum, corporum petrefactorum, paſſim fert tellus, ex quibus cimelia etiam ſummorum principum ditantur. Non raro etiam conchas mari-

marinas petrefactas reperire est: cornua Ammonis innumera. Paullatim ex tergis horridorum *Siluae nigrae* montium ac nemorum eluctati in planitiem sumus, fertilem ac amoenam terram.

Mons Abnoba, siluae Martianae, seu Hercyniae tractus.

Eamdem postera die triuimus, ac pedetentim iterum a meridie versus septentrionem propinquauimus *Danubii* fontibus: qui ipse siluae *Martianae* tractus, vbi *Danubius* oritur, Tacito *a*) *Abnoba* dicitur. Prope, vbi *Boii* olim ac *Heluetii* vtraque *Gallica* gens, ex Taciti *b*) testimonio, *Rhenum* transgressi ipsumque *Danubium*, disterminabantur. „Quantulum enim, inquit, amnis obstabat, quo minus vt quaeque gens eualuerat, occuparet, „permutaretque sedes, promiscua adhuc & nulla regnorum potentia diuisas? Igitur inter „*Hercyniam siluam*, *Rhenumque* & *Moenum* „amnes *Helvetii*, vlteriora *Boii Gallica* vtra„que gens tenuere. Incolae ergo *Hercyniae* „*siluae Rauracorum* proximi trans *Rhenum* ac„colae fuerunt.“ Designant haec verba nostram *Hercyniae siluae* plagam, ipsumque eius ortum

a) *Germ.* L. I. *b*) c. 28.

ortum iuxta IVLIVM CAESAREM. *a)* „Huius „*Hercyniae ſiluae*, inquit, quae ſupra demon„ſtrata eſt, latitudo X. dierum iter expedito „patet. Non enim aliter finiri poteſt; neque „menſuras itinerum noverunt. Oritur ab *Hel„uetiorum*, *Nemetum* & *Rauracorum* finibus, „rectaque fluminis *Danubii* regione pertinet ad „fines *Dacorum* & *Anartium*." Ad *Germanicam* ergo *Rheni* ripam incipit *Hercynia ſilua*, ibique propius *Silua Martiana* dicitur, quam nunc *Siluam nigram* nuncupamus, *den Schwarzwald*, etiam olim *Harzwald*. Quo nomine ſaltus *Brunsuicenſes* ac *Luneburgenſes*, ditio praeſertim *Blanckenburgica*, vocantur, qui pars ſunt *Hercyniae ſiluae* cum *Bohemicis Sudeti*, *Buchonia*, *Thuringica*, & qui alii ſunt *Germaniae* ſaltus, pro longitudine, qua CAESAR per *Germaniam* late patentem ſeſe porrigere dicit *Hercyniam ſiluam*: quod nomen vocis originatione conuenit cum *Harz*, ſeu *Harzinia ſilua*, *Orzinia* etiam teſte CAESARE ab aliis dicta. Sunt, qui velint, *Harzwald* addito tantum ſibilo adpellationem accepiſſe ab *Hardt*, quod *ſiluam* teutonica lingua denotat, quo nomine plures ſiluae in *Germania* veniunt; quodſi compoſitum nomen ſumatur, idem vtraque parte ſignificans, ineptum eſt. Alii deriuari putant *Harziniam ſiluam* a *Romano* vocabulo *Mar-*

a) Lib. VI. de Bello *Gall.* c. 25.

Martiana, ſeu *Marciana* a *Marcomannis*; quae ea proprie eſt, in qua nunc verſamur, poniturque in tabula *Theodoſiana*, ac protenditur ab *Auguſta Rauracorum*, *Vindoniſſa*, *Iuliomago*, *Tenedone*, *Arisflauis* vlterius adhuc, dum ad latus dextrum *Vemania* occurrit, de qua ſuperius egimus.

Ad Danubii fontes.

Nunc vero in ea huius ſiluae plaga haeremus, quae etiam mons *Abnoba* dicitur, vnde *Danubii* fontes ſcaturire veteres teſtantur, cum *Rheno* principe *Europae* fluuio: vt ſicut ille in monte *Abula*, ita hic in *Abnoba* ortum ſuum habeat, *In Germaniae iugis montis Abnobae*, vt ait PLINIVS. *a)* Hoc maxime congruit fluminum origini, vt ab editiore loco praeruptisque montibus fons ſaliat; atque illorum ſententiae fauet, qui eamdem originem *Danubii* ac *Brigae* fluminis ſtatuunt, haud procul a monaſterio *S. Georgii*: *Brigae*que nomen valli potius conuenire putant, ex qua mons exſurgit, quem *Hirſch-* ſeu *Hirzberg* vocant, atque totius regionis pars editiſſima habetur, vertexque *Alemanniae* dicitur in notitia fundationis monaſterii *S. Georgii*. Tuguriolum hic adſignant, ad quod *Danubius* ex radice adhaerentis montis primum

a) Lib. IV. Natur. c. 12.

primum ebulliat: inde poſtquam ab irrigandis pratis in canalem collecta decurrit aqua apud *S. Georgium*, riuum *Sommerau* abſorbet.

Donaueſchinga.

Inde (verſus vrbem *Villingam*, apud quam primus huic flumini pons eſt impoſitus) *Donaueſchingam* vbi meauerit, nomen ſortitur *Danubii*, quae communiter primus fons *Danubii*, conueniente loci, ac ipſius riui nomine, habetur. Inter muros autem palatii principum *Furſtenbergicorum* e terris prorumpens in ipſa ſua ſcaturigine muro concluſus eſt, quae ſtatim ex piſciculorum copia omen aliquod habet piſcium multitudinis, qua *Danubius* ſcatet, vbi in *Noricum* & *Pannoniam* deuoluitur, tantae etiam magnitudinis, vt marinis aequiparari poſſint. Ad riuum *Brigam*, vel *Bregam*, quo loco prope *Donaueſchingam* decurrit, eſt ſilua, ac tellus paluſtris ſulphurea, vt incenſa, quod frequenter in aeſtate fit, radices quoque arborum conſumat, ac cum terrae puluere in cinerem redigat. Accidit anno 1753. quando feruentior erat aeſtas, vt vicini *Villingani* ciues tribus leucis, & quod excedit, diſſiti, ſiluis & cliuis licet interiectis, nihilominus nocturnis ignibus iſtis acciti, conflagrationem ſuſpicati,

Mart. Gerbert. Iter Alem. V tur-

turmatim proruerent, opem laturi *Barenſibus* ſuis paganis. Hoc enim nomen eſt pago iſti, occurritque in notitia fundationis monaſterii *S. Georgii. In pago nomine Bara in comitatu Aſenheim in ſilua, quae dicitur nigra, iuxta fluvium Brigana. Walafridus* STRABO a) *Perahtoltes Para* nominat, *iuxta regiam poſſeſſionem, quae Rotenwilla dicitur*, quouſque nimirum, & adhuc inferius ad *Nicrum* circa villam *Oberndorff* protendebatur, vt videre eſt apud Reu.mum BESSELIVM in chronico *Gottwicenſi lib. IV. h. V.* Imprimis autem memorabilis locus eſt antiquus comitatus *Lupfen*, quod hodie eſt dirutum caſtrum inter *Nicrum* & *Danubium*, non procul ab eius fontibus: ac multorum perſuaſio eſt, *Lupoldunum* vrbem hic ſitam fuiſſe. Hodie inter caſtra huius pagi eminet *Furſtenberg*, vnde principum familia eſt eius nominis illuſtriſſima tot heroibus, ac hierarchis etiam eccleſiaſticis, EGONIBUS praeſertim, ad quorum ditionem pertinet hodiernus *Landgraviatus Barenſis.* Nouam familiae *Furſtenbergicae* progeniem maſculam diu ardentiſſimis votis exſpectatam, *quae coelo demittitur alto, chara Deum Soboles*, tenero ſalutauimus affectu obuiam nobis forte factam, dum in eo eramus, vt noſtrum proſequeremur iter.

Vil-

a) Libr. II. De mirac. S. GALLI cap. 7.

Villinga.

Eodem adhuc die *Villingam* peruenimus, vrbem, quam Bertholdvs III. aut IV. *Zaringensis* e solo excitasse dicitur in Msc. Chron. *Friburg.* quod apud nos seruatur, ad eam prope formam, qua *Friburgum Brisgoiae* exstructum est, circulari magis ambitu decussatim, seu ad crucis figuram, quatuor plateis ita vrbem diuidentibus, vt in vrbis medio quaquauersum ad quatuor portas aspectus pateat. Duplici muro ac vallo cincta munitaque *Gallorum* ac *Suecorum* impetus, ciuium praesertim obfirmatione ac robore, fortiter haud semel repressit.

Monasterium S. Georgii.

Accidit vero, vt 1634. tricennalis belli tempore *Villingani*, repetita obsidione liberati, fusis ad *Nordlingam Suecis*, & militibus *Würtembergicis*, qui se *Suecis* sociauerant, monasterium ceu receptaculum tenentibus, facto impetu illud, dum furunt, incenderent, qua ex conflagratione numquam hactenus surrexit: dum alia quoque dira eiusmodi fata, ac ternam expulsionem monachorum a *Würtembergicis*, Aduocatis scilicet post duces *Zaringenses*, & comites de *Falckenstein* factam, expertum fuit. Erat hoc amplissimum O. S. B. monasterium

an. 1083. ab HEZELONE *de Tegernau* inſtitutum, & paullo poſt an. 1085. a GEBHARDO epiſcopo *Conſtant.* ſolemni pompa dedicatum, confirmatis ſequenti anno in frequenti ſynodo *Conſtantienſi* largis donationibus. Quando, „Praeſente, vt habent authentica monaſterii hu„ius documenta, praefato venerabili epiſcopo „GEBHARDO ſanctae & legitimae ſynodo Do„minus HEZELO ſtans cum filio ſuo in medio „conuentu expoſuit omnia ſupradicta, ſecun„dum quod melius recordare potuit, primo „quomodo ipſe & Dominus HESSO de conſtru„endo monaſterio concorditer conuenerint, „quomodo illuc praedia allegarint, qualiterque „regulam S. BENEDICTI inuiolabiliter inibi a„gendam optarint &c." VRBANUS II. anno 1095. ſub celebri tunc abbate, poſtea epiſcopo *Metenſi*, B. THEOGERO, locum ſub apoſtolicae Sedis tutela ſpecialiter confouendum ſuſcepit, vtque „aduocatum ſibi conſtituendi, „quem voluerint abbas cum ſuis fratribus, libe„ram habeant poteſtatem, & ſi is poſtmodum „monaſterio inutilis fuerit, remoto eo, alium „conſtituant: obeunte te, nunc eius loci abba„te, vel tuorum quolibet ſucceſſorum, nullus „ibi qualibet ſurreptione, aſtutia, vel violen„tia praeponatur, niſi quem fratres communi „conſenſu, vel fratrum pars conſilii ſanioris „ſecun-

„secundum DEI timorem & Regulam S. BENE-„DICTI elegerint &c." Quae aliaque eiusdem diplomatis ac similia PASCHALIS II. verba an. 1112. caesareo diplomate, praesentibus archiepiscopis *Moguntino* ac *Coloniensi*, episcopoque *Spirensi* confirmata, succedentibus aliis aliorum deinceps imperatorum diplomatibus sunt roborata. Dum ecce ingruentibus infaustis religionis dissidiis *Würtembergici* principes, ad Protestantium castra abeuntes, omnia susque deque habent, ac primum VLRICVS praeter ius aduocatiae, (quod post Comites *Falckensteinios* tenuerant comites ac duces *Würtembergici*) etiam territoriale, reformandi praeterea religionem vsurpans, abbati ac conuentui mandat, vt mutatis pastoribus catholicis praedicantes *Lutheranos* instituant, imo monachos ipsos ad sectam *Lutheranam* suscipiendam, relicta auita catholica religione, adigit, aut exigua annua pecunia contentis alio demigrandum esse iubet. Qui dum constanter iniquas conditiones respuunt, vi, asperrima hyeme, expelluntur, monasteriumque incenditur. Quo iterum sub abbatibus IOANNE & NICOLAO exstructo, rebusque, caesaris auctoritate, restitutis, eamdem violentiam iterum iterumque experti, exilii locum sub tutela piissimorum *Austriae* ducum in vrbe *Villingensi* tenent. Vbi DEO sospite paullatim

collapſas res ſuas reſtituerunt: hodieque in tradendis humaniorum ſtudiorum diſciplinis, inſtitutis quoque orientalium etiam linguarum, ac philoſophiae, theologiaeque ſcholis, monaſterium iſtud inſigne vrbis conſtituit ornamentum ac praeſidium. In quibus omnibus diſciplinis tradendis magis magisque excolunt methodum eius monachi ſub Reu.mo iam abbate COELESTINO, quem iure *Apollinem Villinganum* dixeris, qui ſubſidia litterarum omnem in modum auget, non nouis tantum doctis libris, ac muſaeo mathematico, verum etiam antiquis codicibus ad reparandam iacturam, quantum quidem licet, variis caſibus factam: licuitque mihi non pauca ad rem liturgicam adnotare, per eumdem doct.mum litteratorum inſignem Maecenatem, praemiſſo etiam ad me librorum, ad inſtitutum hoc meum facientium, catalogo. Vix quidem illi, paucis exceptis, ſeculum XV. antecedunt, multa tamen pro eorum adhuc temporum ratione continent ſingularia. Inter alia autem MSS. codex eſt, inſcriptus *Antilogium Saluatoris*, ornatiſſimus litteris aureis ac pigmentis haud abſimilibus codici pulcherrimo S. Scripturae, quem *Donaueſchingae* vidi. Alter habet cum aliis operibus S. ISIDORI Chronicon eiusdem cum continuatione vſque ad an. MCCX. Sequuntur in eodem codice ad calcem epochae reformationis

plero-

plerorumque monaſteriorum Ord. S. Bened. in *Alemannia* ab an. 1452. vſque 1468. Hiſtoria concilii *Conſtantienſ.* ſuppar cum pictis imaginibus inſignibusque praeſulum ac principum, qui eidem adfuerunt. In eccleſia, nunc primum liberaliter ornata religione Reu.mi Abbatis, poſt allata ex *Romanis* coemeteriis corpora SS. Martyrum ex indicio ampullarum ſanguine repletarum, S. Coelestinae etiam corpus cum ſepulchrali lapide, hacque antiqua inſcriptione cernere eſt.

CONIVGI · DV
LCISSIME
CELESTINE
QVE · BIXIT · AN:
XXX · IN PACAE.

Nicri fontes, ac Decumates agri.

Ab vrbe *Villinga* ad *Nicri* ſcaturiginem haud procul a *Schweningen* propinquauimus, qui fluuius *Alemanniae Romanae* finitor dici poteſt propemodum, ſeu etiam *agrorum Decumatium a)* quorum Tacitvs meminit, quamuis non flumine aliquo praeciſe, ſed vallo terminarentur, cuius adhuc alicubi, praeſertim in *Wür-*

a) Agri Decumates, de quibus Tacitvs, nunc ad ditionem *Würtembergicam* ſpectant, ac forte tunc agri communes fuerint, populo ad plantandum diuiſi vel ab hoc occupati.

Würtembergia, veſtigia comparent. *Agri* illi a *Marcomannis* relicti a vicinis *Gallis* ſunt occupati, qui *Romanis* paruere, etiam dum huc transmigrarunt: quare nec a TACITO inter *Germaniae* populos connumerantur. „Non nu„merauerim (inquit) inter *Germaniae* populos, „quamquam trans *Rhenum*, *Danubium*que con„ſederint, eos, qui *Decumates agros* exer„cent. Leuiſſimus quisque *Gallorum*, & ino„pia audax dubiae poſſeſſionis ſolum occupaue„re. Mox limite aucto, promotisque praeſi„diis, ſinus imperii, & pars prouinciae ha„bentur.“ Locus hic mihi ſuſpicionem ingerit, annon forte ab *agris* his *Decumatibus Alemannicae* denominationis primordia ſumi poſſint, a *Teutonica* voce *Almand*, *Almänd*, quae promiſcuae horumce agrorum occupationi adprime congruit. *Alemannica* certe incunabula a *Marcomannorum* exceſſu ex his *Sueuiae* partibus communiter repetuntur. SCHILTERVS *a)* eiusdem originationis alium titulum adſignat, qui tamen tempora haec anteit, prout a CAESARE memoratur, communis *Germaniae* populis. „Priuati (ſunt CAESARIS *b)* verba) ac ſe„parati agri apud eos nihil eſt.“ Et poſtea adhuc apertius *c)*: „Neque quisquam agri certum „mo-

a) Exerc. ad Pand. IV. §. 13.
b) De bello *Gall.* lib. IV. c. 2.
c) Lib. VI. c. 22.

„modum, aut proprios fines habet, ſed magi-„ſtratus ac principes in annos ſingulos genti-„bus, cognationibusque hominum, qui vna co-„ierunt, quantis eis, & quo loco viſum eſt, „attribuunt agros, atque anno poſt alio trans-„ire cogunt." Nec temporum ratio, nec locorum limites *Alemannis* hoc tribui permittunt; id quod tamen recte fit, ſi *agri Decumates*, vnde primum *Alemannicum* nomen prodiit, ſpectentur. Nec adeo, vt prima facie videri queat, teſtimonium ASSINII *Quadrati*, apud AGATHIAM *Scholaſticum* a) aduerſatur, quod *Alemanni* conuenae ſint ex variis nationibus collecti, *id ipſum apud eos ſignificante vocabulo.* Dum ſuccedunt nimirum *Gallis* (de quibus TACITVS) alii etiam habitatores ex colluuie hominum, ac ſedem in *agris* his *Decumatibus* figunt, eosque pari ratione occupant, hi viritim diſtribuebantur, vt fieri ſolet. Licet vero paullatim *Alemanni* ſuam latius protenderint ditionem, excuſſo *Romano* iugo, praecipua tamen ſedes ſemper eis haec plaga, ceu primaria, fuit attributa, vbi olim *Decumates* fuerunt *agri.* In codice quoque *Traditionum Laurisbemenſium* b) ſingularis iſtic locorum diſtinguitur *Alemanniae* pagus, apud BESSELIVM in chronico *Gottwicenſi* complures maiores, ac minores pagos in ſe complectens, qui

a) Lib. I. Hiſtor.
b) Lib. IV. h. a.

qui hic ſunt ſiti, vti etiam peculiaria loca a fontibus *Danubii* ac conterminis fere *Nicri* prope *Sulz*, *Horb*, *Haigerloch*, *Rotenburg*, indeque per *Würtembergiam.* Vrbes etiam, quarum adhuc ſupereſt memoria, *Romano* vallo concluſae, *agris*que *Decumatibus*, huc quadrant, veluti *Lupodunum* arx ſiluae *Hercyniae Lupfen*; *Solicinium*, quod CLVVERIO *Sulz* oppidum eſt ad *Nicrum*; *Budoris*, quam quidam *Heidelbergam* vel *Heilbrunnam* ad *Nicrum* etiam poſitam eſſe volunt. Paſſim quoque ad *Nicrum*, atque in *Würtembergia* nummi aliaque monumenta *Romana* effodiuntur, vbi vallum hoc erat, ſtationesque *Romanae* fuerunt poſitae, vti de ſuo tempore TACITVS refert: *Mox limite aucto promotisque praeſidiis ſinus imperii, & pars prouinciae habentur.* Quodſi *Alemanniae* limites ſumamus, prout in tabula *Theodoſiana* vlterius ſe verſus Orientem protendit ad latus *Danubii*, conſulenda ſunt, quae ſuperius alio itineris noſtri tramite ſunt expoſita. Nunc *agros Decumates* potiſſimum proſequimur ad ripam *Nicri*, vbi ſtatiuorum *Romanorum* fere poſt 6000. paſſuum identidem occurrunt indicia, nummi omnis generis metalli, ac moduli, lapides litterati &c.

Rothwila.

Primus aliqua conſideratione dignus eſt ad *Nicrum* locus libera imperii *Romano-Germanici*

nici

nici vrbs *Rotwila*, *Rotenwila*, quam HENRICUS *Glareanus Erythropolin* graece interpretatur; recte quidem mea ſententia a gleba ſubruſa ad dextram *Nicri* ripam, quam vocant *die Altſtatt*, vbi primum vrbs, ſeu potius villa ſita erat hoc nomine, dudum antequam iudicium curiae imperialis exerceri hic cepit. Vnde eam GOLDASTVS in *Adnotationibus ad tom. II. Script. rer. Aleman.* & ex eo *Ericus* MAVRITIVS *diſſert. de iudicio Rottwilenſi* dici volunt *Bulenopolin*, *Raatsſtatt*, quaſi βȣλευτήριον τῆς βασιλείας, *rota*, *Raadt*, hincque etiam deciſiones *Rotae Romae* celebres, & rotuli *Rodel*, ex quibus ſententiae iudicum recitabantur. Iam in diplomate CAROLI *Craſſi*, quod in chronico *Gottwicenſi* a) ex ECCARDO citatur, ſubſcriptio notatur: *Actum in Rotwila Curte regali;* a WALAFRIDO b) *Poſſeſſio regia* vocata. Addit auctor Reu.mus laudati chronici, eam a diuerſis aliquando imperatoribus frequentatam, & a CONRADO III. pariter adamatam, quin tamen ibidem inſtituerit decantatum illud Iudicium *Rotwilanum*, quemadmodum ſentit magna Publiciſtarum (quos vocant iureconſultos) turba; eo, quod iisdem nec coaeuus ſcriptor vllus, nec documentum aliud antiquius adſtipuletur. Iam pridem quoque animad-

a) Lib. IV. h. V.
b) De mirac. S. GALLI lib. II. cap. 9.

nimaduertit accuratiſſimus Schiltervs, *a)* non redolere ſtylum illorum temporum conſtitutionem illam, quae de ordinatione iudicii *Rotwilani* paſſim circumfertur, exſtatque apud Goldastvm *b)*. Quum praeſertim praeter alia plurima parte III. de Ordin. Tit. I. expreſſa iniiciatur mentio Electorum, quod nimirum eorum exemptio a Iudicio *Rotwilenſi* in aurea bulla ſit comprehenſa, quae poſteriorum temporum contradictio manifeſtam priorum falſitatem ſatis demonſtrat. Haec Besselivs.

Alias conglomerat rationes *Balthaſar* Blvm de *Kempis* contra ordinationem Conradi III. ad medium ſeculi XII. reducens originem huius Iudicii, ſiue ad tempora Conradi IV. regis *Romanorum*, aut Conradini ducis *Sueuiae*; putatque, potiore iure a iudicio curiae ducum *Stauffiorum* deſumi, qui, quum non ſolum *Sueuicum*, ſed etiam *Alſaticum*, *Franconicum*que ducatum tenuerint, maximam huius Iudicii fecerunt amplitudinem, quae ad circulos *Auſtriacum*, *Sueuicum*, *Rhenanum*, & *Franconicum* ſe extendit. Eximuntur vero non ſolum Electores, vt apud laudatum Mavritivm videre licet, ducesque *Auſtriae*, *Lotharingiae*, *Würtembergiae*, comites *Palatini Bipontini*, *Veldentiae*; verum etiam

a) Tom. I. Inſtit. Iur. publ. lib. IV. tit. 9. §. 2. p. 379. & 380.

b) Tom. I. der Reichsſazungen pag. 6.

etiam ordo Equitum S. Ioannis, ordo *Teutonicus*, abbas *S. Blasii* in silua nigra, Comites & Barones diuersi, ac magna pars ciuitatum imperii liberarum. Frequentes porro fuerunt ordinum imperii contra tribunal hoc querelae, atque de eo abolendo molimina in capitulationibus etiam imperatorum. Vt vero tutam praestarent praerogatiuam hanc *Rotwilenses*, solemni cum *Heluetiis* inito foedere hoc etiam sunt pacti, quod, si iudicium illud, excepto casu, quo *Rotwilenses* ob denegatum ius & iustitiam eo se indignos reddiderint, illis aliquis auferre conetur, ipsi eosdem contra omnes iniurias & impetus quorumcumque defendere velint. Ius etiam suum strenue propugnant principes *Schwarzenbergici*, qui in locum comitum *de Sulz* haereditariorum iudicum officio funguntur. Atque hoc titulo sub initium sec. XIV. venit apud P. Herrgott Hermannvs comes: *Dem Edlen und Erwürdigen Herren Graven H. von Sulze des Römischen Kuniges Hofrichtere oder swer an seiner Statt sizet.* In aliis monumentis apud eumdem P. Herrgott non semper exprimuntur comites *de Sulz* has vices tenere, si qui alii occurrunt iudices. Imo munus illud ipsi etiam imperatores obierunt, quod indicio est, necdum tunc feudi titulo iurisdictionem illam penes comites

Sul-

Sulzenses fuisse, vti deinceps, hodieque principes *Schwarzenbergici* tenent, hocque pro tuendo iudicio ac iure suo imprimis vrgent. Hoc subsistit hactenus, cernunturque extra vrbem sub dio excisi lapides pro iudice & adsessoribus, qui ex ciuibus *Rotwilensibus* sunt selecti, quum olim ex nobilium ordine fuerint. *Stolizas* in *leg. Longobard. I. tit.* 19. dicitur, qui regis nomine iudiciis praeerat, *op dem Stohl* seu *auf dem Stuhl* cum adsessoribus, atque iudices occultorum iudiciorum *Stuhl-Herren* dicebantur. Quo sensu nostrum hoc Iudicium Aulicum *der Stuhl zu Rothweil* vocabatur: atque etiamnum Scabinatus *Schoppen-Stühle* dicuntur, vt adnotauit in lexico *Io. Christoph.* Nehrings.

Oberndorffium.

Ex hac vrbe digressi *Nicri* amoenissimam vallem fere sequuti sumus *Oberndorffium*, illuc inuitati ad solemnitatem praecipuam amantissimi patruelis parochi in *Oberndorff*, vbi natus, renatus, ac primam olim obtulit incruentam ad altare hostiam in primordiis labentis seculi die mensis *Maii* 17. Temporum ratione vero mirifice concordante, currente eodem ipso seculo, eodem die 17. mensis *Maii* Sacro-

sanctae

ſanctae Trinitati feſtiuo, eadem in ara ac templo *Oberndorffii* ſacrificium iubilaeum litauit.

Horba, cum pago Amphinga.

Poſtera mox die percurrimus *marcam* in *Amphinga* pago, vt traditiones *Laureshemenſes* apud BESSELIVM a) nominant, ab *Empfingen*, ſeu *Impfingen* dicto, inter *Sulz*, vbi ſunt memorabiles fontes & machinae ſalinariae, ac *Horbam*, natale meum ſolum. Cui eminus ex eo montis iugo propinquauimus, quo olim vix dum bimulus in cunis elatus, furori incendii ereptus ſum, quo maxima pars vrbis conflagrauit, atque adhucdum viuae imaginationi inhaeret flamma ingens, quam quisque facile ſecum coniiciet, quae atra ac concubia nocte plusquam ducentas domos paucis horis comprehenſas abſumpſit. Spes mihi iniecta eſt lapidis litterati *Romani* ad hanc *Nicri* ripam reperiundi, vbi *Romani* ſtatiua ſua habuerant; ſed coruum deluſit hiantem.

Nagalgouia.

Patet hinc ad ſeptentrionem maior pagus *Nagalgow* a riuo eius nominis, ad vtramque ripam

a) Chr. *Gottw.* lib. IV. h. V

ripam expanſus, a FREHERO & BESSELIO ex traditionibus *Laureshemenſibus* notatus cum ſequentibus villis iuxta antiquas notitias, *Bildachingen* prope vrbem *Horb*, *Giſelſtete*, *Gladesheim*, forſan *Glatta* ad fluuium *Glattam*, *Gundirichinga*, hodie *Gundrichen* inter *Nagolth* & *Horb*. *Mulinhuſin*: forſan *Mühlen ad Nicrum*, prope *Horb*. *Reiſtodingen*, forte *Reiſten* inter *Herenberg* & vrbem *Tubingam*. *Torneſtatt*, *Tornigeſtatt* hodie *Dornſtätt* ad *Glattam*. Sed multo amplior adhuc fuit hic pagus ex maioribus illis, qui in *Alemannia* cis-*Rhenana* primitus diſtincti fuiſſe cenſentur a regulis, veluti anno CCCLVII. prope *Argentoratum* ſeptem reguli profligati a IVLIANO caeſare leguntur, qui ſingulis haud dubie eiusmodi pagis praefuerunt. Pagus, de quo nunc diximus, ad ducatum *Würtembergiae* potiſſimum ſpectat: quem, *Nicri* littus *Rotenburgum* verſus ac *Ehingam* (quae oppida *Nicer* ſeiungit) legentes, ingreſſi, vel inde itineris compendium ſperauimus, quod eccleſiarum ac monaſteriorum antiquorum ſpolia litteraria ominabamur collecta nos reperturos in bibliothecis academiae *Tubingenſis*, ac metropolis *Stutgardienſis*.

Tubinga.

Primum nobis *Tubinga* occurrit inter amoenas *Nicri*, ac *Amerae* riui valles monti-

bus

tibus vtrimque interſtincta, quos inter nempe media vrbs ſita eſt. Antequam vrbem ingrederemur, paullulum diuertimus in vico *Biel*, quae patria creditur *Gabrielis* BIEL, quamuis alii *Heluetum*, alii *Spira* oriundum dicant. Eius opera vſus imprimis dicitur EBERHARDVS *Barbatus* in academia *Tubingenſi* inſtauranda vergente ſec. XV. hortatu matris MECHTILDIS natalibus *Palatinae Rheni*, quae ſecundis nuptiis ducis *Auſtriae*, mater quoque fuit academiae *Friburgenſis*. Primus rector huius vniuerſitatis fuit *Ioannes* NAVCLERVS decretorum doctor. Conſilia de inſtituenda vniuerſitate potiſſimum agitata ſunt cum hoc NAVCLERO, qui principis olim fuerat praeceptor. Qui idem etiam cancellarius fuit academiae poſt *Ioannem* TEGEN. *Gabriel* BIEL diu ſacras ibi litteras, ipſamque philoſophiam magno auditorum concurſu docuit; *Io.* REVCHLINVS ſeu CAPNIO, de quo alias, philologiam. *Ambroſius* BLAVRERVS *Conſtantienſis* ab VLRICO duce vocatus an. 1535. innouationem auitae religionis hic cepit, poſtquam iam *Stutgardiae* antiquatum eſſet ſacrificium miſſae in feſto Purificationis S. MARIAE, die 2. *Februarii*. Primam is concionem ritu *Lutherano Tubingae* in eccleſia *S. Georgii* habuit. Quod deinde opus praecipue *Erhardus* SCHNEPFIVS & *Io.* BRENTIVS in ducatu *Würtembergen-*

ſi perfecit. Habuit academia haec iurisconſultos praeſtantiſſimos NAVCLERVM, SICHARDVM, BESOLDVM, LAVTERBACHIVM, GRASSVM, SCHWEDERVM, *Germaniae* praeceptores vocatos, & HARPRECHTIOS, ex quibus hodieque *Chriſtophorus Fridericus* inſtitutiones iuris ciuilis, ac ius canonicum publice legit; floruitque hactenus facultas haec, atque linguarum orientalium ſtudium magiſtro & auctore imprimis SCHICKARDO, cuius MSS. ingenti pretio comparata LVDOVICVS XIV. *Galliarum* rex bibliothecae regiae intulit. Inter mathematicos eminet *Germaniae* lumen *Ioannes* STOEFFLERVS *Iuſtingenſis*. Item *Mich.* MAESTLINVS, *Ioh.* KEPLERI praeceptor & amicus, *Wilhelmus* etiam SCHICKARDVS. Celebriores theologi proteſtantes in academia *Tubingenſi* fuerunt GERLACHIVS, THVMIVS, OSIANDRI, PREGIZERVS, IAEGERVS, HOCHSTETERVS, WEISMANNVS, CANZIVS, nunc *Ier. Frider.* REVSS cancellarius poſt celebrem *Chr.* PFAFFIVM.

Io. Fridericus COTTA, vir humanitate pariter ac eruditione praeſtans, meis rebus plurimum ſtuduit, atque lubens etiam antiqua monumenta ad manum praebuiſſet, niſi incendiis & direptionibus bellicis abſumta eſſent ex archiuis & bibliothecis, quae hic inſignes erant in arce ac vrbe *Tubingenſi*. Praecipua hodie eſt academi-

ca.

ca, quae teste Crvsio a) in *Annal. Sueuiae* an. 1562. flammis consumta, instaurata hactenus insignibus augmentis paullatim excreuit. Nuperque insignis librorum accessio facta est ex ducali bibliotheca *Ludouicipolitana*, munificentia principis. Curat solertissimus bibliothecarius *Christoph. Fridericus* Schott, vt selecti libri, quantum annui reditus ferunt, coëmantur, praesertim collectiones rerum & antiquitatum *Graecarum*, *Romanarum*, reliquae *Europae*, *Germaniae* imprimis, quibus selectu ac copia similes haud facile reperias. Memorabiles sunt libri *Glagolicis*, *Cyrulicis*, *Grabaticis* litteris lingua *Sclauonica* seu *Croatica* *Tubingae* & *Vraci* seculo XVI. impressi. Primus, instigante *Ioanne* Vngnadio, caesaris ad aulam *Ottomannicam* oratore, Trvbervs canonicus ab initio *Laybacensis*, postmodum, quum ad *Lutheranorum* sacra se conferret, pastor *Rotenburgi ad Tubarim* 1542. *Campoduni* 1552. *Vraci* 1560. atque interiecto tempore, quum ex itinere ad conterraneos suos redux esset, *Derendingae* 1567. vbi & 1586. mortuus, & sepultus est, anno aetatis 78. edidit 1561. Lvtheri *catechismum & symbolum* Athanasii *cum homilia de virtute & efficacia fidei christianae, Tub.* in 12. lingua *Croatica*: an. 1562. *Praecipuos articulos christianae doctrinae* litteris *Cyrulicis* in eadem lin-

X 2 gua,

a) P. III. lib. XII. c. 8.

gua, *Tub.* in 4: an. 1536. *Tres confeſſiones, Auguſtanam, Würtembergicam, Saxonicam, Tub.* in 4. lingua *Croatica:* eod. anno *N. T. partem primam, Euangelia & Acta complexam*, litteris *Glagolicis;* ſeq. anno alteram partem, *Epiſtolas & Apocalypſin*, iisdem litteris lingua *Croatica;* cui tomo effigies TRVBERI praefixa eſt. STEPHANVS conſul *Hiſtrianus*, & ANT. *Dalmata*, libros quosdam S. Scripturae, ac ſymbolicos, *Lutheranorum*que theologorum ſcripta, & inter haec *Catechiſmum Martini* LVTHERI *Graece* etiam conuerſum, in *Sclauonicam*, ſeu *Croaticam* linguam transtulerunt, & in officina *Georgii* GRVPPENBACHII *Tubingae* typis excuſos, non tantum ad conterraneos ſuos in ſua firmandos ſecta, ſed etiam in *Graeciam* & ad *Turcicas* gentes, vt ita Chriſtianiſmo imbuerentur, transmiſerunt.

Nota ſunt etiam *Iacobi* ANDREÆ & *Martini* CRVSII ſtudia per *Steph.* GERLACHIVM cum legato MAXIMILIANI II. *Dauide* VNGNAD, *Conſtantinopolin* profectum, ad HIEREMIAM patriarcham in partes *Lutheranas* pertrahendum; ſed incaſſa, vt acta ac ſcripta amoebea docent. Nec feliciora fuere litterarum commercia CRVSII in *AEgyptum* ac in *Thraciam.* Actum etiam *Tubingae* fuit de religione cum GABRIELE patriarcha *Bulgariae*, quum litteris commendatitiis plu-

rium

rium patriarcharum ad principes inſtructus, ſynodo magna *Conſtantinopoli* an. 1586. congregata, occidentem peragrauit, Cernuntur adhuc MSS. quaedam *Graeca Conſtantinopoli* allata a *Steph.* GERLACHIO, ſed alterius generis, ac *Lutheraniſmo* antiquiora, quae ſola fere ex ruina tot MSS. ſuperſunt, quibus inſtructa olim maxime fuiſſe dicitur bibliotheca in arce *Tubingenſi*, quod antiquum palatium fuit comitum *Palatinorum Tubingenſium*, qui an. 1342. vrbem & caſtrum iſtud VLRICO comiti *Würtembergiae* vendiderunt, retento tamen comitum *Palatinorum* nomine. Ceſſauit vero poſtea ſub CAROLO IV. cum domaniis imperii ac palatiis etiam ſuapte iſthaec praerogatiua. Noti ſunt praeter primores *Palatinos Rheni*, antiqui *Palatini* Comites ad *Moſellam*, in *Boiaria*, *Thuringia*, *Saxonia*, quemadmodum *Tubingenſes* iſti in *Sueuia*, de quibus tamen MASCOVIVS *a)* in *Principiis Iuris publici* dubium mouet, officiumne Comitis *Palatini* per prouinciam reuera geſſerint, an vero dignitatis ſaltem cauſſa titulum, quemadmodum alii Comites, habuerint? Nunc iudicium aulicum ducatus *Würtembergici Tubingae* eſt, quod certis anni temporibus ſolemne forum aperit, vti quidem, quando *Tubingae* aderam, accidit. Adpellationes in curia recipiuntur aduocatorum publica peroratione, vt

a) Lib. IV. c. 5. §. 37.

in parlamentis *Gallicis*, ac deciduntur publicis in confeffibus.

Stutgardia.

Tubinga *Stutgardiam* recta contendimus, quae eft fedes ac domicilium ducum *Würtembergiae* ab Eberhardo *illuftri* an. 1320. hic fixum, translatum ex arce *Würtemberg*, vnde ducum familia, ac ipfe ducatus nomen habet. *Stutgardia* incrementa ac luftrum fub Vlrico comite circa medium fec. XV. imprimis accepit, quoad ciuilem fuum ac ecclefiafticum ftatum; poftea vero an. MDXXXVI. a cognomine Vlrico duce facer ac ecclefiafticus immutatus eft, dum die 8. *Maii* fimulacra Sanctorum *Stutgardiae* e templis remota funt, & Religiofis vtriusque fexus poteftas facta eft contrahendi matrimonii, recufantibus autem annua penfio data, vt habent annales *Würtembergici*. Nunc quidem auitam religionem refumpferunt duces, fed fubditi libertate fuae religionis vtuntur. Iterum hic falfa elufi fumus opinione, ac fpe reperiendorum monumentorum antiquorum ex tot ecclefiarum ac monafteriorum fupellectili, fed temporum iniquitate hoftes, an amicos? reperit vaftatores. Duae hic funt bibliothecae ducales, quarum altera confilii regiminis, altera confiftorii vfibus inferuit; fed non adeo expeditus, vti

Tubingae,

Tubingae, ac alibi apud litteratos, tum temporis, ob valetudinem bibliothecarii aduersam, fuit accessus. Frustra opibus inhiabam etiam domesticis, innocuis iis, historicis nempe. Postremum desiderium fuit dispiciendi exemplum bibliorum *Germanicorum* ex prima editione *Moguntinae Ioannis* FVST, quam subscriptio fert eodem anno, quo *Latina* prodiit, millesimo scilicet quadringentesimo sexagesimo secundo, typis editam esse. Cum nostra *San-Blasiana*, de qua supra iam tit. *Schaffhusium* pag. 289. seq. meminimus, quae annum manu adscriptum habet 1454. in quibusdam conuenit editio *Stutgardiensis*. Subscriptio in nostra, & *Stutgardiensi*, manu exarata est, eadem, quae & titulos adscripsit, sed in *Stutgardiensi latina*, & quidem ex *latinis* FAVSTI & SCHOIFFERI editionibus transsumta, quod etiam de insignibus FAVSTI, & SCHOIFFERI adpictis dici potest. Id autem notandum, quod, quum duae sint subscriptiones, secunda, quae altera pagina demum a textu bibliorum diremta est, ac recentiori manu perscripta, ea est, quae in *latinis bibliis* an. 1462. habetur. In aliis characteristicis vt discrimen nostri codicis a *Stutgardiensi* pateat, hic transscribemus ex nostro codice praecipua quaedam. Mox initio post titulum:

Die epiſtel Jeronimi

Hie hept ſich an die vorred oder die epiſtel des heiligen prieſters ſant Jeronimi zu pauli-num von allen gotlichen hiſtorien d' beucher vnder der biblē.

Das erſt capitel.

Bruder Ambroſius d' hat vnns bracht ein kleine gabe &c.

Poſt epiſtolam & alterum prologum in *Pentateuchum* ita habetur :

Hie hept ſich an das buch geneſis. Das I. *Ca.*

In dem angang beſchuf got den himel vñ die erde. wañ die erde was eitel vnd lere. vnnd vinſter waren auff dē antliz des abgrundes. vñ der geiſt gotz ward getragen auff die waſſer.

Gen. III. vñ got der herr ſprach zu dē ſchlangē. Das du haſt gethon diſe ding. du biſt verflucht vnd' allen lebendigen dingen. vnd vnder den tieren d' erden du wirſt gon auff deiner bruſt. vnd eſſen die erd alle die tag deines lebens. Ich ſetz veintſchafft zwuſchen dir vñ dem weib. vnd deinem ſomen vnnd irem ſomeñ. Sy zerkniſt dein haupt vnd du wirſt mit liſten vewarten ir fuſtrit od' verſen.

Notandum, in noſtro exemplari vſque ad pag. II. caputque XXIV. *Gen.* titulum typis haberi impreſſum per ſingulas paginas in ſuperiore medio margine ſic: *Geneſis.* quae epigraphe

graphe numquam deinceps occurrit impressa, sed semper manu exarata. Ad finem veteris testamenti ita habetur in nostris bibliis, ac litteris quidem maiusculis: *Hie hat ein end das ander buoch Machabeorum.* Et sequenti pagina consuetis litteris minusculis: *Hie hebt an die vorrede über Matheum.* Post epistolam D. Pavli ad *Galatas* titulus: *Hie hebt sich an die Epistel zu den Laodociern Paulus*

§. *das erst Capitel.*

Palus bot nit võ dẽ menschẽ noch durch dẽ menschen wañ durch Jhesum Cristum. Den brüdern die do seint zu Laodoci. Epistolam ad *Hebraeos* excipiunt *Acta Apostolorum* cum epigraphe: *Hie hebt an das buch der Zwölffbotten.* In fine capitis XXVIII. in contextu additur: *Wañ der ist Jhesus Cristus d' sun gotz durch dẽ alle die welt anfecht zewerden geurteylt.*

I. Io. V. 8. *Wañ drey seind die gebẽ gezeug auff der erd. der Gayst Wasser und Blut. vnd dise drey seind eĩ Vnd drey seind die gebẽt gezeug im himel. der Vatter. das Wort: vnd der heilig Gaist. vñ dise drey seind ein. Apoc. XVII.* 16. *Vnd die zehen hörner die du secht vnd das tier dise hassent die gemein vnkeuscherin.* In fine Apoc. *O Herr Jhesus ich kumm. die genade vnsers Herrn Jhesu Cristi sei mit vns allen. Amen.*

DEO GRACIAS.

Sequitur in medio columnae primae vltimi folii in typo ligneo imago Crucifixi cum B. M. V. & S. IOANNE, infra quam antiqua manu adſcriptum eſt: *Getruckt zu Mentz anno* 1454. 4. *Iar nach dem de mans buchtrucken erdacht hat.*

In eadem bibliotheca conſiſtoriali *Stutgardienſi* habentur etiam biblia *Germ. Argentinenſia* MENTELLII 1466. cuius nullum hactenus exemplar vſpiam alibi detectum fuit; ſubſcriptio haec eſt: *Explicit liber iſte anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo ſexto: formatus arte impreſſoria per venerabilem virum Joh. Mentell. in Argentina.* Horum etiam mentionem facit, eamdemque ſubſcriptionem exhibet *Proſper* MARCHAND *a*). Praeter haec admodum vetuſta exemplaria bibliorum impreſſa *Germanica* duo adhuc Mſc. biblia, & ſex impreſſa *Latina* ſec. XV. edita *Stutgardiae* ſeruantur. Integra bibliorum collectio vltra CL. exemplaria varia aetate variisque linguis exarata complectitur. Porro hic memorandum, ſuperiore ſeculo ciuem *Stutgardenſem*, WILD cognomine, arte polluiſſe in achate lapide tinctura auri pingendi; vnde in eiusmodi lapididibus expreſſae Crucifixi, aliaeque imagines eſſe queant. *Vindobonae* mihi retulit D. SMIT-

MER

a) Hiſtoire de l'Imprimerie p. 55.

MER gemmarius ſe eamdem artem figurandi lapides callere.

Praeclarum ſeruant duces *Würtembergici* nummorum antiquorum theſaurum, partim ab FRIDERICO duce *Stutgardiano*, partim a duce FRIDERICO *Neoſtadiano* colligi ceptum, & plura optimae notae millia complectentem: dolendum modo, theſaurum hunc cum aliis pretioſis paucis abhinc annis conflagraſſe. Antiquarius eo tempore, quo *Stutgardiae* verſabar, peregre profectus aberat, quare videndi nummophylacii copia eſſe tum non poterat. Copia tamen erat videndi nummophylacium ſecretarii cuiusdam conſilii regiminis *Würtemb.* ſcilicet Dñi TVXII, quod tria millia nummorum equidem non excedit, ſed non ſolum ob ordinem, verum etiam ob multitudinem *Graecorum Durachenſium*, & *Apolliniatarum* conſpicuum eſt. Nam, quum in plurimis aliis huiusmodi theſauris vix XL. vel XXX. reperire liceat, in hoc numerus talium numiſmatum ad C. excedit, omnium a ſe inuicem diſtinctorum. Praeter mumiam *Ægyptiacam*, plantas, ac animalia marina, & varios lapides petrefactos *Stutgardiae* imprimis memorabilia ſunt monumenta *Romana*, quae *I. Vlricus* PREGIZER in *Sueuia* ſua gentili recenſet, ac paſſim etiam adducit *Ch. Fridericus* SATTLER in nouiſſime edita hiſtoria *Würtem-*

bergica,

bergica, faciuntque ad illuſtrandam quaeſtionem ab academia *Berolinenſi* propoſitam, quouſque *Romani* ante 17. & 18. ſecula in *Germaniam* penetrarint? Quae in hanc rem prodierunt ſcripta, potiſſimum inferiorem *Germaniam* attinent, vbi a *Francis* demum ſunt repulſi *Romani*. *Würtembergenſia* documenta *agrorum Decumatium* ſtatum produnt, *Nicrum* inter, ac *Rhenum Alemanniae* meditullium, ſuntque ſacra & profana in *Meſſingen*, & *Belſen* ad *Tubingam*, *Canſtat*, *Binningen*, *Marpach &c.* quae *Stutgardiae* potiſſimum ſeruantur, praeter lapides litteratos ac figuratos, vrnae, compedes, cultri &c. nummi omnis aeris ac moduli. In *Zazenhauſen* vico, duabus leucis *Stutgardia* diſtante, rudera etiam thermarum habentur, ac fictilia vaſa coloris ſubrufi, nonnihil illis, de quibus dixi in *Heluetiae* agro *Turiceno* repertis, impolitiora. Vidi eiusmodi cum inſcriptione: *CARASALVVS Fecit*: non procul inde etiam ſepulchra ordinate diſpoſita fuerunt, de quibus tamen certo nihil ſtatui poteſt.

Haud ita pridem repertae ſunt duae arae votiuae in viae publicae reparatione in ſuburbano *Heilbrunnenſium* agro *Beckingam* inter & *Nicrogartacum*, quae nunc bibliothecae publicae *Heilbrunnenſi* illatae ſunt; vt taceam a GRVTERO,

RHEI-

Rheinesio, & aliis iam relata, in quibus nunc legio VII. nunc XIIII. frequentius autem VIII. notatur. Id etiam obſeruatu dignum, ad quatuor fere leucarum diſtantiam propius ad ortum *Nicri* eiuscemodi paſſim reperiri monumenta, vt militarium ſtationum *Romanarum* termini figi poſſint. Oſtenduntur etiam religioſa anathemata Diis, Deabusque campeſtribus, *Soli*, *Mitrae*, *Marti*, *Ioui*, & *Iunoni* ſacra, arae cum ſacrificalibus vaſis; ſympuuio, quo vinum, aliaque liquida offerebantur; catino ſeu cochleari, quo thus & molam ſalſam dabant; ſecuri, qua hoſtia percuſſa; ſeceſpita, ſeu cultro ferreo, quo exenterata fuit hoſtia. Religioſius ſunt haec ſeruata, quam antiqua religionis chriſtianae ſacra lipſana in *Würtembergia*, vbi olim tantopere religio floruit, tantusque Deo ſacratorum locorum fuit numerus, vt ex Besoldi monumentis rediuiuis colligere licet.

Hirſaugia.

Vltra *Carolingicam* aetatem monumenta haec non aſcendunt, niſi fidem habeat, quod Besoldvs ex archiuo *Spirenſi* adfert de Helisena fundatrice monaſterii *Hirſaugienſis* iam an. 545. quod ſaltem eſt antiquiſſimum in ducatu *Würtembergico*, cuius chronicon ſcripſit *Ioan.* Trithe-

TRITHEMIVS, epocham auſpicatus ab an. 830. monaſterii ſtructura ad annum demum DCCCXXXVIII. perfecta, cogitare cepit ERLAFRIDVS comes monaſterii conditor, vndenam monachos ad S. Patris BENEDICTI regulam bene inſtitutos in hoc ſuum monaſterium plantare poſſet? Ad *Fuldenſe* autem monaſterium ſe conuertit, vbi ſub abbate *Rhabano* MAVRO monachi formati erant, quorum laus & fama etiam apud imperatores, reges, principes vigebat, cum propter ſanctitatem vitae, tum propter ſcientiam ſacrarum litterarum: comesque ille de conſilio ſuorum, & mandato *Moguntinenſis* epiſcopi ODEGARII a RHABANO impetrauit quindecim fratres, & abbatem eis LINDEBERTVM, ſeu LVITBERTVM ſenem venerabilem ex nobili familia *Sueuiae* ortum praepoſuit, qui nouum coenobium anno 838. Indict. I. ingreſſi ſunt. Fuit deinceps hoc illuſtre ſeminarium epiſcoporum, abbatum, ac tot integrarum monaſticarum congregationum, ſub S. WILHELMO praeſertim abbate, viriſque ex eius diſciplina prodeuntibus. Seculo XVI. cum ceteris in *Würtembergia* ſecularium ceſſit rapinae.

Fortzhemium.

Situm eſt hoc monaſterium non procul ab oppido *Kalw* ad ſiniſtram ſeu orientem. Ea

autem

autem ex cauſſa *Stutgardia Fortzhemium* viam inſtituimus, quod ſpes, vana equidem, nobis facta eſſet, inſignis antiqui liturgici operis inſpiciendi in catholica parochia prope *Fortzheim. Beatus* RHENANVS *Orcynheim* dici debere putat a ſilua *Orcynia* ſeu *Hercynia*, cuius etiam porta a nonnullis dicitur; veroſimilius vtique, quam ex equo *Troiano* a quodam PHORCY, *Troia* expulſo, quae ſententia fuit *Io.* REVCHLINI ſeu CAPNIONIS patriae nimis indulgentis, quam hic nactus eſt, natus 28. *Decembris* 1454. Linguam is *Hebraicam* & *Graecam* intulit *Germaniae*, ac maxime excoluit: celebris cumprimis ob controuerſiam cum doctoribus *Colonienſ.* propter *Iudaeorum* libros, de quibus iuſſus eſt a MAXIMILIANO I. ſententiam ſcripto referre, num omnes (ſicut quidam faciendum putabant) Vulcano eſſent tradendi. Fecit id libro, quod *oculare ſpeculum* inſcripſit ad archiepiſcopum *Moguntinum.* Igni adiudicauit quaedam ſcripta, quae blaſphema, haeretica, famoſa & reprobatae lectionis eſſent, quum contra ea *Colonienſes* doctores, quibus etiam *Pariſienſes* fauebant, abolendos ad vnum omnes contenderent. Sed vicit *Romae* REVCHLINI eruditio, ac patrocinium VLRICI ducis *Würtembergiae*, & *Franciſci* de SIKINGEN ſui quondam diſcipuli, contra *Iacobum* HOCHSTRATVM, qui *Colonia Romam* ad il-

lum

lum oppugnandum profectus erat. Praecipue autem contra REVCHLINVM litem commouit Iudaeus baptizatus PFEFFERKORNIVS, qui tum *Coloniae* degebat, postea ob SS. Eucharistiam profanatam *Halae Saxonum* viuus exustus. REVCHLINVS etiam in relata caussa hostes domesticos nactus est; eius rei gratia sepeliri noluit apud PP. *Praedicatores Stutgardiae*, vbi iam prius sibi hoc epitaphium ipse posuerat:

ΑΝΑΣΤΑ-ΣΙΣ ANN עַל מִי הַחִי מִי
CHR. M. D. I.
SIBI ET PO
STERITATI
CAPNION
IAE IOANN
ES REICHL
IN PHORC
E N S I S.

Extra natale solum in *Würtembergiam* studia, ac vitae institutum REVCHLINVM abstraxerunt, quo minus fatum obiret in *Forzenheim*. *Ingolstadio* enim *Tubingam* vocatus professorem ibi agebat, ac morbo correptus *Stutgardiam* transferri voluit, vbi 30. *Iulii* 1522. aetatis suae anno 67. obiit. *Phorzhemii* vero sepulturae locum habere consueuit Marggrauio-

rum

rum *Badenſium* ea ſtirps, quae etiam *Phortzheimenſis* fuit dicta, ſectae *Lutheranae* nunc addicta, dum iſtic ſedem ac domicilium habuit vſque ad an. 1565. quo CAROLVS II. illud *Durlachium*, cui adiacet turris ad lacum *Thurnberg*, vnde nomen *Durlach* eſt, transtulit in nouam arcem *Carolinam Carlsburg*.

Carlsruh.

Sedes annis paullo ſuperioribus inde rurſum transuecta eſt in *Carlsruh* inſignem Regiam, ad quam, ducta linea, plateae ſingulae adiecti oppidi ceu radii collimant, vti iam antea *Raſtadii* catholica *Badenſis* familia ſedem ac domicilium ſuum conformari curauit. In marchionatu hoc *Badenſi* quinque adhuc ſuperſtites ſunt columnae leucares itinerariae, ſub *Romanis* imperatoribus poſitae, ex quibus *Steinbachii* ſec. XVI. tres, & *Nöttingae* duae anno demum 1747. & ſequenti erutae: quatuor in horto ſereniſſimi marchionis viſuntur, & vna *Badae*, praeter alia primae antiquitatis monumenta. Eſt hic *Alba* (vnde pagus *Albegouiae*) *Badenſis* marchionatus amnis. Ex *Würtembergicis* montibus is ſcaturit, ac ſicut ab *Albae* fluuio in *ſilua* noſtra *Martiana*, nunc *nigra*, fratres ad *Albam* nos *San-Blaſiani* olim vocati ſu-

mus, ita & hic nomen dat monaſteriis adiacentibus, quorum prius *Alba dominorum, Herrenalb* in ditione adhuc *Würtembergica* auitam religionem, ac inſtitutum cum aliis monaſteriis amiſit, altera in *Badenſi* ditione *Alba dominarum, Frauenalb* etiamnum floret. Inde *Etlingen* oppidum alluit *Alba*, in cuius vicinia non longe a ruinis *Furſtenzell*, an. 1480. erutus eſt lapis, cui anaglyptico opere *Neptunus* inſculptus eſt, dextra delphinum medium tenens, ſiniſtra tridentem, ad pedes habens monſtrum marinum cum inſcriptione ad latus *Neptuni* IN. H. D. D. D. id eſt, *in honorem domus diuinae Deo* NEPTVNO CONTVBERNIO NAVTARVM CORNELIVS ALIQVANDVS D. S. D. ſcilicet *de ſuo dicat.* Habetur hodie prope pontem *Albae* ad oppidi introitum cum tabula ad latus, cui fata lapidis (quae varia ſubiit, *Etlingenſibus* ſubinde ſublatus, ac denuo vindicatus) inſculpta leguntur. Suppar ac conforme monumentum, niſi quod in monſtro marino variet, anno primum 1748. in oppido *Badenſi*, quod tribus ab *Etlingenſi* diſtat leucis, repertum eſt eiusdem CORNELII ALIQVANDI, contubernii nautici nomine, poſitum.

Baden.

Columnae leucares (quae hic loci ob vicinam *Galliam* a columnis milliaribus diſtinguuntur,

tur, de quibus antea in *Rhaetia* ac *Vindelicia*) in via publica poſitae fuerunt a *Rheno* ad ciuitatem *Aquenſem* ſeu *Baden*, indeque ad *Nicrum*: quae omnes reſpiciunt vrbem *Aquenſem* iuxta diſtantiam locorum, in quibus ſunt repertae. Ex his vna, vt diximus, *Badae* in horto collegii *Ieſuitarum* viſitur, ac praeterea alius lapis litteratus in eccleſia collegiata *Badenſi* caeteris antiquior, ad introitum templi cum inſcriptione M. AVRELIO. ANTONINO. CAES. IMP. DESTINATO. IMP. L. SEPTIMI. SEVERI. PERTINACIS. AVG. FILIO. RESP. AQV. Vnde quidem loci celebritas ex nomine reipublicae colligitur, quum in caeteris lapidibus ciuitas *Aquenſis*, & ciuitas *Aurelia Aquenſis* dicatur: quod nimirum nomen imperatoris thermis his datum eſt, vti celebres ſunt thermae ANTONINI nomine *Romae*. Thermae hae noſtrae in tergo montis, quo ad arcem conſcenditur, a longe proſpectantibus ſpectaculum ſingulare praebent, dum per plures domos diſtributae, ac paſſim ſcaturientes, fumoſa tecta, ac montem obiiciunt; pauperibusque beneficium praeſtant ſuo calore ſimul ac ſalſugine, vt ſine igne ac ſale *panem atrum ex iure vorare*, phraſi *Terentiana*, poſſint.

Antequam hinc diſcedamus, mentio adhuc iniicienda eſt duorum cipporum ſepulchralium,

qui muris horti PP. *Capucinorum* ſunt inſerti, quorum vnus *AEmilio* Crescenti militi legionis XIIII. alter *Reburrino* Candido militi cohortis XXVI. inſcribitur. In vertice autem montis *Stauffenbergenſis*, ad cuius radices oppidum eſt ſitum, anaglyptico opere *Mercurii* ſimulacrum cernitur ſiniſtra caduceo innitentis, hirco ad eius pedes iacente: totus nudus eſt, pileo etiam caret alato, alis ipſi capiti inhaerentibus. *Badam* alluit *Oſa*, paruus amnis ex montibus ſiluae *Martianae*, qui oppido *Badenſi* vicini ſunt, per vallem deſcendens, qui *Argentinenſem*, *Spirenſem*que epiſcopatum tranſit, atque *Alemanniam* a *Francia* noua diſterminat. Nihil hoc impediiſſet, quo minus iter meum *Alemannicum* direxiſſem vlterius ad *Moguntiam* vſque, ſedem archiepiſcopalem, cui pleraeque *Alemannicae* eccleſiae ſunt ſubiectae. Allectus etiam fueram inſigni litteraria ſupellectili *Fuldenſis* monaſterii, ſed turbae bellicae columnam mihi poſuerunt. Quando feralis *Mars* non eo procedit quidem, vicinus tamen armorum ſtrepitus circumſpectos reddit, vt ſua in tuto ponant cimelia, ac recondant, quin peregrinis ad ea acceſſus pateat.

Pagus

Pagus Ortenau. Monasterium Schuterense, Gengenbacense, Etinheimense, Schwarzachense.

Igitur ad *Rhenum* orientem versus nos conuertimus, compositis iam rebus in *Ortinhaugia* pago, in quo antiquiora christianae *Alemanniae* indicia nobis praebent monasteria ordinis S. Benedicti, imprimis *Schuterense*, cuius auctor iam ineunte seculo VII. Offo *Angliae* princeps creditur, restaurator vero S. Pirminivs, qui Rvthardvm comitem induxit ad *Gengenbacense* (quo eodem tempore in finibus *Mortinaugiae* ad *nigrae siluae* pedes sub *Cellae* monachorum nomine, monasterium *Etinheimense* Heddo *Argentinensis* episcopus, abbas olim *Augiae diuitis*, primus instruxit) constituendum, eumdem nempe ipsum, qui monasterii *Arnolfes Augiensis* trans *Rhenum* fundator fuit circa annum 724. quando S. Pirminivs in *Alsatiam* venit: quod exustum postea in hanc *Rheni* partem translatum *Schwarzach* est dictum, potius ab amne *Schwarzach*, quam a nigro, quod quidam putant, *Benedictinorum* colore. Hic enim non adeo constans olim fuit, si togam spectes, quae, postquam etiam ratus fuit color *Benedictini* habitus, alba cum nigro sca-

pulari frequens fuit apud nos, vt ex haud adeo antiquis imaginibus passim, & domesticis etiam monumentis deprehendi, atque MABILLONIVS ex antiquo codice *Vaticano*, olim *Cassinensi*, notauit cum variis monachorum & abbatum iconibus, etiam S. BENEDICTI imaginem cum cuculla atra, & toga alba, qui est habitus *Cistercienſium*, a quibus alias monachi nigri *Benedictini* distinguebantur. Sic in statutis CONRADI archiepiscopi *Colonienſis* an. 1260. *a)* statuitur: „Quod omnium monasteriorum nigri „habitus monachi ordinis S. BENEDICTI, diui„num officium in cantando & legendo, secun„dum quod regula eiusdem S. BENEDICTI prae„cipit, exsequantur.“ Et in concilio *Vindobonensi b)* episcopis praecipitur: „vt quilibet „ipsorum intra dimidium annum assumtis secum „duobus abbatibus *Cistercienſis* ordinis, omnia „claustra nigrorum monachorum suae dioecesis „visitent &c.“ Inuenimus in bibliotheca *Schwarzachensi*, manuscriptis destituta, libros ex primis editionibus, quae MSS. aequiparantur: suntque *Io.* de TURRECREMATA *Breuis expositio & vtilis super toto psalterio* 1473. ZACHARIAE *Chrisopolitae Concordantiae Euangelist.* 1473. Eiusdem anni *Thomae* DORNBERG de *Memmingen Compendium Theologiae. Homiliae super* *euangelia*

a) Conc. *Germ.* T. III. pag. 594.
b) An. 1267. pag. 635.

euangelia per *Conradum* de HOMERBACH ſine anno impreſſionis.

Alſatia.

Hinc nos iter in *Alſatiam* parauimus, regionem amoenitate fertilitateque nulli ſecundam, quae ſub periodo *Alemannica*, poſtquam fato pugnae *Tolbiacenſis* cum caeteris ſuccubuerat, *Francico* iugo ſubdita, ſub *Merouingicis* regibus primum hoc ſibi proprium ſumſit nomen, necdum a S. GREGORIO *Turonenſi* memoratum; primumque apud GREGORII epitomatorem ſeu continuatorem FREDEGARIVM hoc vocabulo nominatur. Iunguntur *Suggetenſes*, id eſt, *Sundgovienſes*, in eodem terrae tractu ſiti, eodemque referendi. Vernaculum *Elſaß*, *Elſaſſer*, *Elli* accolam denotat, regionis nimirum ad *Ellum* ſeu fluuium *Ill*, qui per maximam *Alſatiae* partem decurrit, aureumque dicunt ob ingentia eius commoda. *Alſatia* hæc *Brisgouiam*, *Ortenouiam*, & marchionatum *Badenſem* ab ortu, *Palatinatum* a ſeptentrione, *Burgundiae* comitatum & *Lotharingiam* ab occaſu, *Heluetiam* nouam & *Elsgaudiam* a meridie reſpicit.

Triplicem eius periodum cel. *I. Dan.* SCHOEPFLINVS ſiſtit in primo tomo *Alſatiae illuſtratae*, *Celticam*, dum nempe ad antiquam *Galliam*, qua

Celtas circumſcribit, pertinuit; *Romanam* a IVLII *Caeſaris* temporibus, qui anno vrbis conditae DCXCVI. ante aeram chriſtianam LVIII. poſtquam ARIOVISTVM ex omni *Sequanorum* regione cum *Germanis* ſuis trans *Rhenum* reieciſſet, apud *Sequanos Alſatas Romanae* dominationis fundamina poſuerit, ita, vt ſub AVGVSTO, IVLII *Caeſaris* ſucceſſore, quum cis-*Rhenana* inſtitueretur *Germania*, inferior *Alſatia* ei fuerit adſcripta; dum nimirum AVGVSTVS amplificandae *Romanae* maieſtatis cauſſa, vt inuictae *Germanorum* nationi imperare videretur, *Galliam Ripenſem* ad *Rhenum* adpellauit *Germaniam*. Vnde *Germaniae* cis *Rhenum* origo ad *Romanum* imperium comparata: quae in ſuperiorem inferioremque diuiſa quum eſſet, *Alſatia* inferior, quae *Mediomatricenſis* nuper, nunc *Tribocica*, ad *Germaniam* ſuperiorem fuerit relata, *Tribocis* nimirum, *Germanico* populo, *Rhenum* tranſeuntibus, interque *Mediomatrices* anteriores in perpetuum ſedes figentibus. Superioris etiam *Germaniae* verticem, quatenus ab inferiore diſtinguitur, nec apud *Sequanos, Rauracos*que, nec apud *Heluetios*, multo minus apud *Rhaetos* in *Adula* monte, ad *Rheni* fontes; ſed in media *Alſatia*, ſuperioris nimirum inferiorisque collimitio, quaerendum ſtatuit. *Romanae* huic periodo includit *Alemannicam*, qua

Alſatia

Alſatia Romanis erepta, *Alemanniae* adiuncta fuit, prout diximus; vt pauca veſtigia nominum *Romanorum* in *Alſatia* fuerint relicta, caetera omnia nouis *Alemannorum*, & mox *Francorum*, a quibus tertiam periodum incipit, ad *Rhenum* dominantium deſignata ſint. Nec mirum, quando irruptionibus barbaricis omnia ſurſum deorſumque conuerſa fuerunt, ita, vt ex lingua, regimine, toto coelo diuerſa, & *Alemannia Rheno* nuper terminata, terminaretur iam *Vogeſo*: vnde diſtinctio *Alemanniae* in trans- & cis-*Rhenanam* exorta. Nomina haec poſtea etiam ſecundum pagos recenſet: *Sisgouiae*, *Salzgouiae*, *Elsgouiae*, *Sundgouiae*, *Nordgouiae*, *Wasgouiae*, *Spirigouiae*.

Argentoratum.

Alſatiam obituri, adiuncto nobis humaniſſime a Reu.mo abbate *Schwarzachenſi* comite, principem petiuimus vrbem *Argentoratum*; quod eius nomen in monumentis *Romanis* celebre, poſtea immutatum fuit, dum ex ruinis, quas Attilae, qui merito *Rheni* terror fuit dictus, & *Alemannorum* irruptiones fecerant, noua iterum vrbs paullatim ſurrexit, *Francica* ſiue *Germanica* adpellatione *Strateburgum* vocata, qua locus munitus ad *Stratam*, ſeu viam

publicam denotatur, denominatione desumta a traiectu per *Rhenum*, qui, si vmquam, tunc, sociato regno, frequentissimus fuit, atque etiam promptiori restaurationi occasionem dedit; semperque non solum memoria, sed vsus etiam veteris nuncupationis mansit, vti GREGORIVS *Turonensis a)*, non longe aetate remotus ab eius exstructione, distinguit *Argentoratensem* vrbem, quam nunc *Strateburgum*, ait, vocant. Vix ex prima eius ruina supersunt rudera ac monumenta *Romana*, praeter sepulchra nonnulla a duobus seculis detecta, ex quibus tria sunt lateritia, duo vero lapidea cum variis vasis figulinis, & vitreis diuersae formae. In illis legio VIII. *Augusta* constanter notatur, siue sarcophagi fuerint eius legionis militum, siue opus. Sub regno *Francico* celebre fuit regium palatium, ac paullatim tandem in eam vrbs, qua nunc cernitur, excreuit amplitudinem, munitissimumque *Alsatiae* propugnaculum hodie constituit, quod nouis munimentis, arce imprimis, a LVDOVICO XIV. instructum est, postquam in pace *Riswicensi* ei cum *Alsatia* cessit.

Cathedralis ecclesia B. MARIAE sacra, in formam crucis constructa, foris & intus solidissimis ex lapide operis *Gothici* ornamentis superbit.

a) Hist. *Fr.* lib. X. c. 19.

bit. Rotundo (biennio abhinc) fornici verſus orientem, aevo CAROLI *Magni*, vel PIPINI eius patris conſtructo, ruinam cum tota vaſtiſſima ſtructura minitatus eſt repetitus fulminis ictus, dum fuſo ab igne coeleſti tecto plumbeo fornices disrumpuntur in ipſo ſacro adyto, quaſſato etiam altari ſummo, quod recentiore quidem opere elegantiſſimo, forma tamen vetuſta, exſtructum eſt a Card. *Fürſtenbergico*, huius vrbis ſuperiori ſeculo epiſcopo, columnis marmoreis, quae magnificentiſſimum ſuſtinent baldachinum in medio presbyterii, cui a tergo chorus eſt in ſemicirculi figuram. Salua ſaltem fuit nauis, circumiectae partes, ac facies eccleſiae, quae praecipuam habent elegantiam, magnificentiamque. Eminent imprimis portae, ac principalis quidem, cui ex parte meridionali altiſſima turris inſidet, tota ex ſculpto lapide exquiſitiſſimo opere conſtructa, fruſtra aemulam exſpectans in area hunc in finem e regione parata, ſupra principalem portam ipſamque eccleſiam prominente, vbi ipſa iam exurgere turris deberet; cuius dimidia fere reputatur pars altitudinis, quouſque nos conſcendimus, ac vnde notabiliora quaeque vrbis loca, ac aedificia probe diſtinguere potuimus, vnaque circumſpeximus *Alſatiae*, *Brisgoiae*que amoeniſſimam planitiem a *Vogeſo* vſque ad *Martianam* ſeu *nigram*

nigram noſtram *ſiluam* ea ipſa parte, qua monaſterium noſtrum *S. Blaſii* reſpicit. Inter alia id mirum nobis eſt relatum, turrim paucis abhinc annis facto terrae motu ita concuſſam, vt aquam ex puteo vltra duos cubitos profundo excuſſerit, atque in aduerſam turris partem euacuauerit. In naui eccleſiae, dum deſcendimus, volupe fuit conſiderare pictas feneſtras, quae ornatam quidem, attamen obſcuram reddunt eccleſiam; horologium item in parte auſtrali varii ac praeſtantiſſimi operis, ad temporis non ſolum omnia momenta, ac motus deſignandos, ſed & curioſa quaedam exhibenda ſpectacula.

Ab his iam ad litterarias noſtras nos res conuertimus, cuius rei cauſſa primum nos ad ininſtructiſſimam *Ieſuitarum* bibliothecam contulimus, cui praeeſt P. LE FEVRE, quondam regis *Hiſpaniarum* confeſſarius. Vir iſte egregius ſane plures nobis horas adfuit in perluſtranda bibliotheca, quae quotannis acceſſionem librorum habet pro 1600. libris *Gallicis* ex legato illuſtr. Principis ac Cardinalis *Fürſtenbergici*; vix tamen in antiquis monumentis aliquid reperimus, quod noſtro inſtituto ſeruiret.

Feliciores fuimus in bibliotheca *Proteſtantium* academica, quae inſtructa eſt in monaſterio olim Ord. *Praedicatorum*, vbi celebris *Ioh.* TAVLE-

RVS

RVS tumulum habet, cuius in muro imaginem ſynchronam conſpeximus. In bibliotheca omnia nobis patuerunt; dumque catalogum MSS. primum luſtramus, mox inter alia in VBALDI opus de *Muſica* incidimus, quod hactenus inter deperdita fuit habitum; cuius cum *Ioanne* de FVLDA nobis copia facta eſt pro collectione ſcriptorum ineditorum de hoc genere, operi ipſi *de Cantu & Muſica eccleſiaſtica a prima eccleſiae aetate vſque ad praeſens tempus*, poſterioribus tomis ſubiicienda. Nec minus prompte alia ad manus fuerunt, vt ſupellectilem noſtram factis excerptis augeremus officioſiſſimi bibliothecarii *Andreae* LAMEY beneuolentia, imprimis vero cel. *Dan.* SCHOEPFLINI, qui vaſtiſſimae eruditioni ornamenta illuſtria ingenuitatis humanitatisque iungit, & quamdiu *Argentorati* ſumus commorati, praſentiam ſuam, ac doctiſſimam conuerſationem lubentiſſime indulſit, cum vſu inſtructiſſimae bibliothecae ac pinacothecae, a quibus magnum aliquando bibliothecae publicae *Argentoratenſi* incrementum, ac ornamentum accedet. Qua de vrbe, tum ob *Alſatiam* a ſe tam ſplendide illuſtratam, tum eo etiam titulo immortaliter meritus eſt SCHOEPFLINVS, quod artis typographicae primordia ei vindicauerit; ita tamen, vt nec *Moguntia*, nec *Harlemium* iuſtam querelam habeat.

Costero laudem praecipuam non inuidet litterarum ligneis tabulis insculptarum post quasdam praelusiones chalcographiae, & xylographiae apud *Chinenses*, e. g. in chartis lusoriis *Augustanis* & *Norimbergensibus*. Quod vero typographiam proprie spectat, quam in *Vindiciis typographicis* nuperrime editis describit, artem litteras mobiles sculptas vel fusas in paginam componendi, paginae compositae illinendi colorem, illitum colorem imprimendi chartae; ita *Moguntiam* inter & *Argentoratum* transigit, vt vrbs vtraque in ciue suo Gvtenbergio de primitiis artis gloriari ex aequo possit, ac praeterea *Moguntia* singularem laudem litterarum fusarum habeat in *Petro* suo Schoiffero. Itaque tres distinguit artes veluti per gradus pedetentim exortas. Prima speciem illam xylographiae constituit, quae tabellas paginis librorum similes litteris fixis insculpsit, quorum inuentorem *Bataui* Costervm *Harlemensem* constituunt. Secunda litteras fixas commutauit in mobiles; vnde versatilis illa typographia exsurgit, cui proprie nomen typographiae debetur; quam Gvtenbergivs *Argentinae* inuenerit. Tertia litteras sculptas vertit in fusas. Primam vocat *Costerianam*, secundam *Gutenbergicam*, tertiam *Schoifferianam*. Solus *Io.* Fvst, cui passim primae, ac praecipuae tribuuntur partes cum primoribus inuentoribus, in nullam venit classem,

ſem, imo ob fraudes malamque fidem vapulat. Ipſis ſibi profecto primi auctores adſcribere debent, ſi pro merito hactenus non ſunt laudati, qui lucri quam gloriae magis ſtudioſi, artem primum occuluerunt, vt ſcilicet libros impreſſos pro MSS. carius venderent.

Atque ita GVTENBERGIVM *Argentorati* primum feciſſe probat, ſimulque nobis etiam monumenta *Argentorati* exhibuit ex publicis tabulis vrbis, remque explicauit. *Moguntiae* quidem natus erat GVTENBERGIVS, quem tamen, quum ciuis poſtea factus eſſet *Argentinenſis*, ſocietatem circa artem occultam cum aliis habuiſſe, ex publicis ſenatus actis anni 1439. teſtium effata (lis enim ea de re GVTENBERGIO mota erat) primus produxit SCHOEPFLINVS, atque ex tempore *Argentinenſes* monuit, ne porro MENTELIVM ſuum GVTENBERGIO *Moguntino*, ſed GVTENBERGIVM *Moguntinum Moguntinis* opponerent. Nimirum GVTENBERGIVS modico patrimonio inſtructus, artique perficiendae non ſufficiens ſolus, ſocios ſibi parauit, qui pecunia eum operaque iuuarent. Hos inter vnus, quum morte decederet, fratremque defuncti in ſocietatem, quam petierat, non admitterent ſocii, hic GVTENBERGIVM principem ſocietatis citauit ad iudicem. Senatus, poſtquam teſtes vtrimque magno numero audiuiſſet, pro GVTENBERGIO pronuntiauit. Socios tabu-

lae

lae nominant Riffivm *Lichtenauienſem*, trans *Rhenum* iudicem, *Nicolaum* & *Andream* Dritehenivm, & Heilmannvm *Sanspachium*; litem autem mouit *Georgius* Dritehenivs, *Andreae* defuncti frater; teſtes proferuntur, quorum effata in tabulis deſcripta habentur, qui praecipuas typographiae, & vtenſilium eius partes in teſtimoniis ſinguli tam aperte exponunt, vt indolem artis vel obiter noſcens, eam facile in effatis eorum reperiat. Memoratur prelum, columnae ſubiectae iam prelo, typi ſolubiles a typotheta concinnandi, praecipuum artis arcanum, quod ne in publicum efflueret, Gvtenbergivs ſollicite cauit, mortuo *Andrea* iubens, vt cochleae, quae mobiles conſtringebant typos ſine mora aperirentur, quo nempe poſſent typi illi diſſolui.

Haec primus ſagaciſſimus Schoepflinvs ex commentariis publicis produxit, mihique exhibuit, queis artis typographicae primordia *Argentinenſibus* ſuis vindicat, litteris nimirum ſculptis: coniicitque, quod inter expenſas ad artem exercendam mentio quoque fiat plumbi, quo palam fieri adſerit, Gvtenbergivm litteras ſuas non ſolum ex ligno, ſed etiam ex plumbo ſculpſiſſe. Primitias typographicas ad annum 1436. refert, primumque typographicum prelum *Conradum* Saspach in *Mercatorum vico*

confeciſſe.

confeciſſe. Ex ſchola *Gutenbergica Ioannem* MENTELE, & *Henricum* EGGSTEIN, licet diu poſtea arte typographica *Argentinae* inclaruerint, prodiiſſe putat SCHOEPFLINVS, quorum alterum an. 1442. priorem an. 1447. in vectigalium indicibus reperit, GVTENBERGIVM vero adhuc an. 1444. vnde ei veriſimile eſt, illum an. 1445. diſceſſiſſe. Inſtrumentum litis inter GVTENBERGIVM & *Io.* FAVSTVM *Moguntiae* an. 1455. docet, circa an. 1450. GVTENBERGIVM cum FAVSTO ſocietatem iniiſſe, FAVSTO ſuggerente ſumptus, vt typographicum perficeretur opus. Officina GVTENBERGII pro ſuppeditata pecunia oppignorata fuit, ac etiam in FAVSTI manus, ſententia iudicis 1455. deuenit.

Petrus SCHOIFFERVS, ſeu SCHOEFFERVS, latine OPILIO, *Gernsheimenſis*, librarius calligraphus (cuius manuſcriptum codicem, quem *Lutetiae* an. 1449. ſcripſit, in bibliotheca academica *Argentinenſi* cernere licuit) operas ſuas FAVSTO impendit, litteras ſculptoribus praeformando. Cuius generis ſpecimen in bibliotheca *Schoepfliniana* vidi, atque etiam pro opere meo muſico delineatum accepi cum notis muſicis ex inſigni pſalterio *Moguntiae* 1457. impreſſo litteris vncialibus maioribus, illis alias ſimillimis, quibus impreſſa ſunt biblia, quae integra tribus

tomis poſſidet bibliotheca noſtra *San-Blaſiana*, de quibus ſupra egimus artic. *Memmingen.* Concordant litterae capitales variis coloribus, quales etiam in DVRANDI *Rationali* 1459. conſpicuae ſunt, partim rubro, partim caeruleo colore impreſſae, vt SCHOEPFLINVS nobis indicauit; quarum vſum ſerius plerique ponunt, & certe in aliis libris impreſſis diu poſtea non habentur, poſtquam typorum fundendorum ex matricibus inuentione ars typographica perfecta eſt, quod *Petro* SCHOIFFERO debetur, atque *Moguntiae* vrbi, dum contra gloria litterarum ſculptarum *Argentorato* adſeritur. In tabulario *Argentin.* exſtant excerpta MSS. *Daniel.* SPECKLINI architectonicae rei apud *Argentinenſes* praefecti, in quibus reliquias adhuc typorum illorum ſculptorum a ſe oculis conſpectorum ita deſcribit: *Die buchſtaben waren von holz geſchnitten, auch gantze wörter und ſylben hatten nebentzu löchlin das mans mit einem drat oder ſtarcken faden köndte zuſamen faſſen. ſo war die preß auch hülzin, und wie ein trott, damit man allerhand ſaft austrottet, formiert.* Ipſos vero typos *Argentinenſes* ſculptos ita laudatus SCHOEPFLIN c. IV. §. 2. in Vindiciis typographicis deſcribit: *Primae ergo Argentinenſium typographiae omnes illos vindicamus libellos, in quibus litterae ſunt pingues, rudes, craſſa ſcul-*

ptae

ptae minerva, quarum nulla ſuae ſociae aequalis, ſed una modo tenuior, craſſior, modo longior, modo rotundior altera, ita vt eidem non infuſas matrici, ſed ſingillatim ſculptas fuiſſe facillime appareat. In libellis his lineae longiores raro rectae, plerumque ſunt curvae. Linearum compages elegantia ſym̃etrica caret; atramentum librarium pallet; nulli paginarum ſunt numeri: nulli ſunt duerniones, terniones, quaterniones chartarum, alphabeticis ſignis, ſignaturam quam vocant, diſtincti. Argentorati ante annum 1471. nullum librum prodiiſſe dicit, qui typographum, annum impreſſionis, & locum typis expreſſos deſignet. Biblia Mentelii an. 1466. cuius ſupra meminimus in *Stutgardia*, annum, locum, typographum notatos habeant manu calligraphi. Vult, libros ſculptis litteris impreſſos maximam partem eſſe *Argentoratenſes*, qui ita imprimere diu perrexerint, poſteaquam etiam fuſæ in vſu fuerint. Quod beneficium orbi litterario allatum, licet omnes magni habeant, aliquid tamen pluſculum hic Schoepflinvs *Argentorato* ſuo favet, dum ſculptis ſolis artes, atque ſcientias non minus, ac fuſis propagari potuiſſe dicit, fuſilibus etſi litteris orbis caruiſſet. Trithemivs nobis ex ore Schoefferi teſtatum reliquit, quantis operis impenſisque litteræ ſculptæ, atque ad typum

perfectae ſint; resque per ſe loquitur. Gratias tamen maximas debet viro erudito respublica litteraria, quod, ſicuti *Moguntiae* res (patefacta lite GVTENBERGII cum FAVSTO) ſunt in apricum deductae, ita ſua ſolertia in lucem protractis actis de diſcordia eiusdem cum DRITHENIO *Argentorati*, maior lux primordiis typographicis ſit accenſa.

Id vero mirari non ſatis poſſum, GVTENBERGIVM, qui ad annum vſque 1468. vitam protraxit (vt ex reverſalibus litteris, ADOLPHO electori datis, patet, apud quem gratioſus fuit, an. 1465. inter aulicos receptus) nuspiam recurrere, ſed FAVSTVM & SCHOIFFERVM in conſpectu eius *Moguntiae* totum, quidquid eſt gloriae, ſibi vindicare in libris editis cum aliqua typographica nota: vti in pſalterio 1457. in *Rationali* officiorum divinorum 1459. Ianuenſis *Catholico* 1460. Bibliis latinis 1462. in *Officiis* CICERONIS 1465. & 1466. Praeterit etiam GVTENBERGIVM *Io.* SCHOIFFER, *Petri* filius, & in arte ſucceſſor, in epigraphe, compendio chronici TRITHEMII, *Moguntiae* 1515. edito, adiecta, quamquam in LIVIO Germanico 1505. *Moguntiae* edito, GVTENBERGIVM an. 1450. typographiam inveniſſe, atque perfeciſſe ſumtibus, & opera *Io.* FAVSTI, & *Petri* SCHOIF-

FERI

FERI fit professus, quod ore etiam eius pater *Petrus* OPILIO, seu SCHOIFFER, TRITHEMIO fassus est, ut is ad an. 1450. narrat: ad quem annum alii fere hactenus inuentionem typographiæ *Moguntinae* figunt, quemque SCHOEPFLINVS epocham *Argentinensem*, & *Moguntinam* discernere dicit, atque ex documentis *Argentinensibus* prodit, iam ab anno 1436. cum GVTENBERGIO ciues *Argentinenses* occupatos fuisse, qui an. 1740. secularia typographica celebrarunt: qua occasione programma de hoc argumento edidit primum SCHOEPFLINVS, ac nuperrime *Vindicias typographicas*, postquam plura adhuc ex scriniis *Argentinensibus* publicis documenta reperit, in quibus GVTENBERGIVS ante artem exercuisse *Argentorati* dicitur, quam *Moguntiam* rediret: quum secus hactenus fuerit existimatum, GVTENBERGIVM a FAVSTO, postquam didicisset artem, *Argentoratum* concessisse, vt eam ibi clam excoleret. Post amissam officinam *Moguntia* excessisse GVTENBERGIVM etiam SCHOEPFLINVS a) concedit, verisimilius vero existimat, discessisse *Harlemum*. „ Ita (inquit) decennalis vitae *Gutenbergianae* lacuna „ad annum vsque 1465. quo in *Moguntinis* „ documentis rursus adparet, completur. Ita „ratio patet, cur FAVSTVS ab anno 1457. fal-

a) Vindic. Typogr. C. IX. §. 3.

„laces ſuas formulas, GVTENBERGIO nimirum „ abſente, propalare ſit auſus. Noſtra tabularia „ poſt annum 1445. quo *Argentina* diſceſſit, de „ de eo nihil proferunt. Sed & *Moguntina* vſ- „ que ad annum 1465. quantum nouimus, ſi- „ lent. *Harlemenſia* nobis ſuccurrere deberent.„ Refert porro, ſcriptores *Brittannos*, typographiæ in *Angliam* translatæ originem exponentes, GVTENBERGIO, eam exercenti *Harlemi*, dolo furtoque ablatam contendere, remque *Roberto* TVRROWIO, & *Guilielmo* CAXTONO popularibus ſuis attribuere, qui poſt ſimulatam per aliquot annos cum GVTENBERGIO amicitiam, artem denique per ſodalem eius *Antonium* de CORSELLIS ſurripuerint, ſurreptam an. 1464. *Angliæ* intulerint.

Operae pretium eſt, catalogum librorum *Argentinae* primum impreſſorum hic attexere ex SCHOEPFLINI Vindiciis. *Geſta Chriſti XI. foliorum quartae formae libellus columnis binis impreſſus. Soliloquium Hugonis.* Vnde ſpecimen typis aeneis ex ſuo exemplari dedit. *De Miſſa liber qui XXVIII. foliorum eſt.* Quem in bibliotheca acad. *Argentorati* vidi. *De Iudaeorum & Chriſtianorum communione liber fol. minoris.* Quem in bibliotheca Commendae S. IOANNIS videre eſt. *Henrici de Haſſia Expoſitio*

poſitio ſuper dominicam orationem XV. foliis per columellas impreſſa. Conſuetudines feudorum fol. Vbi primae voces typis miniatis excuſae his verbis: *Incipiunt conſuetudines feudorum &c. Pſalterium latinum form. duodec.* Hi ſine nota typographi, temporis, vel loci ſunt. Subdit vnum ex ſua, vbi eum conſpeximus, biliotheca, ac etiam ſpecimen ſcripturae refert, qui annum ſaltem exprimit. *Liber de miſeria humanae condicionis Lotarii diaconi Sanctorum Sergi & Bachi Cardinalis, qui poſtea Innocentius tercius appellatus eſt. Anno domini* 1449. Dialogos S. GREGORII his accenſere falſa temporis nota vetat: *Praeſens hoc opus factum eſt per Iohann. Gutenbergium apud Argentinam anno Mileſimo CCCCLVIII.* Bibliorum MENTELII 1466. iam non ſemel meminimus. Anno poſtea 1468. prodierunt EGGSTEINII biblia, quae habentur in bibliotheca Commendae S. IOAN. *Hieroſol. Argentorati.* ASTEXANI Summae de caſibus miniator annum 1469. adlevit. GRATIANI decretum cum typographi, EGGSTEINII nempe, nomine, loco impreſſionis, & anno, exſtat in bibliotheca Commendae laudata, vti etiam *Clementinae* eiusdem anni, ac CICERONIS officia an. 1472. typis *Eggſteinianis*; quibus iisdem, eodem anno, typis quoque ſculptis prodierunt IVSTINIANI Inſtitutiones cum Conſtitutio-

nibus feud. fol. Sequenti deinde anno litteris fusis quatuor maximae chartae voluminibus primum impressum est *Speculum historiale* VINCENTII *Bellovac.* Quam tamen alia editio litteris sculptis sine die & consule praecessit, ut in bibliotheca *Schoepfliniana* videre est, ac etiam in nostra *D. Blasii.* Adhuc postea anno 1474. BERTHORII *Reductorium morale* per *C. W.* id est, interprete SCHOEPFLINO, *Cephaleum Wolphium* 1475. RODORICI *Zamorensis Speculum*, per *Martinum* FLACH. NIDERI *Praeceptorium divinae legis* 1476. per *Ieorium* HVSNER. *Processus iudiciarius Belial* per *Henricum* KNOBLOCHZERVM, litteris quidem aeneis, sed sculptis, vt discernere licet ex inaequalitate earum in bibliotheca Commendae S. IOAN. *Argentorati*, vbi vnacum prioribus servatur. Vniversimque statuit SCHOEPFLINIVS canonem: *Libri litteris sculptis, rudibus & scabris sine anni, loci & artificis indicio impressi, ex Argentinensium prelo maximam partem prodierunt.*

Haec copiosius ex ore, scriptove amicissimi SCHOEPFLINI hic edisserere haud abs re visum est, novissimum quum sit, quod de re litteraria urbis *Argentoratensis* proferri possit in argumento non adeo a nostris temporibus remoto, obscuro tamen adeo, tantisque partium

studiis

ſtudiis diſtracto: cui novum luſtrum doctiſſimus SCHOEPFLINVS dedit, quocum multus nobis ea de re ſermo, atque de proſequendo meo itinere conſultatio, quod, ut per ſuperiorem tantum *Alſatiam* facerem, auctor fuit. Diſceſſum igitur *Argentorato* paravimus per eam urbis portam, ubi olim abbatia *Ord. S. Bened.* S. ARBOGASTI, epiſcopi *Argentinenſis* erecta erat, & qui celebrior adhuc fuit, *S. Stephani* parthenon extra veteris ciuitatis moenia ſub CHILDERICO II. exſtructus ab ADALBERTO *Alſatiae* duce, ETHICONIS filio, qui monaſterio filiam ſuam ATTALAM praefecit, cuius adhuc pallium, quod ampliſſimum eſt, oſtendunt Canoniſſae ſaeculares, ad initium huius ſeculi ad Catholica ſacra a *Lutheranis* reuerſae, atque in vetuſtiſſimis aulaeis geſta ATTALAE & S. ODILIAE. Huius gratia, quae S. ATTALAE amita fuit, ſub eodem CHILDERICO II. ETHICO pater *Hohenburgenſem* parthenonem dotavit: vbi praeter imaginem, lapidi anaglyptico opere inciſam, qua ſedens filiae ODILIAE librum porrigit, adhuc eiusdem ſarcophagus, muro cappellae angelicae inſertus, cernitur.

Ebersmunſter.

Corpus vero ETHICONIS oſtenderunt nobis ſodales *Ebersheimenſes* in eccleſia ad meri-

dionale latus egregie ornatum, ſed, quod ſolemniter ab eccleſia in Sanctorum numerum relatus non ſit, publico cultui haud expoſitum. *Ebersheimenſes* eum ceu ſuum fundatorem colunt; licet ſint, qui monaſterium iſtud fundatum, nominatumque velint tempore S. ARBOGASTI Ep. *Argentoratenſis*, ex occaſione miraculi, quo Sanctus ille filium DAGOBERTI regis, ab apro percuſſum, reſtituerit. *Novigentum* etiam vocant chartae antiquae *Ebersheimenſes*, quae antiqua *Romana* eſt denominatio. Vbi etiam ferunt, primo eccleſiae ſaeculo S. MATERNVM, primum apoſtolum ex Chriſti diſcipulis, templum paganicae ſuperſtitioni hucuſque dicatum conſecraſſe Chriſto, & presbyteris diaconisque inſtruxiſſe. *Nec prorſus de nihilo eſt ea fama. Vidimus enim ipſi veſtigia antiquitatis illic in nemorum collibus, quos vulgus a paganis adhuc cognominat*, ſunt verba RHENANI (a), qui iſtic terrarum vixit, ſic dictus a patria *Rhenaugia*, ſeu *Rhenauio*, quod *Argentorato Ebershemium* iter agentibus ad laevam eſt. Agunt prolixius ea de re chronica monaſterii *Ebersheimenſis*, ſed ſequioris aevi.

Nihil etiam in monaſterio admodum antiquum reperimus, ac pauca Mss. liturgica, ex quibus excerpta fecimus. Inter alia ſunt quaedam *Ioh.* de DEO ſcriptoris ſaeculi XIII. in cod. ſaec.

(a) Rer. Germ. Lib. III.

saec. XV. post nonnulla GERSONIS opuscula. Ibi: *Incipit libellus poenitentialis a magistro de Deo Hispano editus doctore decretorum.* Inscr. *Venerabili patri ac dno M. divina providentia urbis Bononiensis episcopo & venerabilibus viris &c.* In fine: *Explicit liber septimus ad honorem primae Trinitatis & individuae Vnitatis. In nomine Patris & filii & Spiritus Sancti Amen. Explicit libellus primalis a magistro Iohanne de Deo Hispano, utriusque iuris doctore editus, Deo gratias.* Item. *Excerpta seu auctoritates sive flores Ioh. de Deo doctoris utriusque iuris Hispani de peniten. & remission.* Inc. *Cura pastoralis*: Fin. *Aliquis hic passus fuit. Et sic est finis huius. Deo gratias. Expliciunt auctoritates confessionales Iohannis de Deo doctoris decretorum Hispani.* Habetur etiam *Synodale cum apparatu a Petro magistro de Samplone compilatum.* Inc. *Quoniam in Sacramentorum collationibus &c.* Sequitur dialogus inter BERNARDVM & Cardinalem. *Dum nobis concedatur &c.* Item. *Bulla renuntiationis Papatus per dnm Felicem.* Sequitur *Forma absolutionis*, & plura alia. *Ioh.* a STEIGA: *Alphabetum auctoritatum sui nominis iste liber vocabulum est sortitus, eoquod Sanctorum atque philosophorum auctoritates in ipso secundum litteras Alphabeti ordinatas collectae ponuntur.* Ex S. GREGORIO, AMBROSIO,

CHRY-

CHRYSOSTOMO, ISIDORO, CYPRIANO, AVGVSTINO, HIÉRONYMO, ANSELMO, CASSIODORO, SENECA, BOETHIO. Inc. *Abbas dicitur pater ſpiritualis. Alſata famoſus &c.*

Seleſtadium.

A monaſterio *Ebersheimenſi* prope abeſt urbs munita *Seleſtadium*, ſeu *Schletſtatt*, inter palatia olim regum *Francorum*. Imprimis CAROLI *Craſſi* plura praecepta *Seleſtadii* ſignata reperiuntur. Limes hic *Nortgoviae* & *Sundgoviae* maiorum *Alſatiae* pagorum figitur, queis nempe in ſeptentrionalem & auſtralem disterminatur. Fuerunt, qui hanc *Helvetum* in *Itinerario* ANTONINI, in Tabula *Theodoſiana Hellellum*, PTOLOMAEO *Helkebum* dictam exiſtimarent, inter *Argentoratum* & *Argentovariam* ſitam ad *Ellum*, commodiſſimum *Alſatiae* fluvium, unde hodieque *Ell* vocatur villula, ſuperſtes ex ATTIAE & *Alemannorum* graſſationibus, tribus a *Seleſtadio* diſtans leucis. Ibi copia *Romanorum* numiſmatum, vaſa fictilia, ollae, lateres ex antiquitate *Romana* reperiuntur. *Palladis* cum peplo imaginem, & inſcriptionem hic loci repertam SCHOEPFLINVS in *Alſatia illuſtrata* producit.

ducit, exiſtimatque, plures adhuc ex ruinis lapides litteratos ſuperſtites fore, niſi, quum *Benfelda* vicina tricennali bello fortiter muniretur, a *Suecis* magna eorum copia ex *Helveti* ruderibus protracta, ad munitiones illas fuiſſet adhibita: quales ſuperſunt lapides, quibus Numinum apud *Romanos* cultorum imagines repraeſentantur in muro monaſterii propinqui, quod olim *Guilielmitarum ordinis* fuit, nunc *S. Franciſci.* Plura adhuc vidiſſe ſe teſtatur RHENANVS *Gentilis* (a) ſimulacra *Mercurii*, *Dianae*, & aliorum Deorum in muris templi in *Hello*, veteri *Helveto*, qui oſtendere etiam ſeſe teſtudines ſubterraneas ruſticis arantibus, aſſerit. Idem de ruinis veteris *Argentovariae*, quae poſt *Helvetum* ſeu *Hellelum* proxima *Romana* ſtatio in *Itinerario* ANTONINI & Tabula *Theodoſiana* occurrit, inſcriptiones, ſigna, vaſa, nummos effoſſos ſuo tempore teſtatur RHENANVS, quod & de noſtra aetate SCHOEPFLINVS ait.

Colmaria.

Quae ſane vrbis haud mediocris *Romanae* reliquias indicant in agro *Horburgenſi*, qui ſubur-

(a) Lib. III. rer. Germ.

ſuburbanus eſt *Colmariae*, quae olim *Columbaria* fuit dicta, ſeu etiam *Columbra* tempore CAROLI M. quo ceu villa regia occurrit: cuius etiam nomen *Genitium* ex NOTKERO memorat SCHOEPFLINVS, dictum a *Gynecaeo*. *Genecium* ISIDORO *textrinum graece dictum, quod ibi conventus foeminarum ad opus lanificii exercendum conveniat.* Hodie, licet varia, bello praeſertim tricennali, perpeſſa ſit fata, floret haec civitas, ſitu ſane amoena, quam *Cereris* & *Bacchi* filiam ex ſoli fertilitate dixeris. Ex Catholicis & *Lutheranis* incolis componitur etiam ſenatus; at conſilium ſupremum, parlamentum vocant, quod rex *Galliarum* hic conſtituit, poſtquam in eius ditionem cum *Alſatia* venit, totum ex membris catholicis conſtat, praecipuum vrbis ornamentum, nec parvum incrementum.

Murbach.

Apud *Gebenwilare* oppidum monachi *Murbacenſes* iam ſedem habent, eremo *Murbacenſi* relicta, inſtitutoque monaſtico cum Canonico commutato. Qua quidem in metamorphoſi id in *Murbacenſium*, nunc *Gewilarenſium* gratiam dici debet, difficulter eos tandem ad hoc permotos eſſe, *Lutrenſibus* ſodalibus rem

vrgen-

vrgentibus, quae eſt abbatia *Murbacenſi* vnita, libera olim etiam *Romani* imperii. Vnde abbas, qui ex quatuor primariis principibus Ordinis S. BENEDICTI eſt, duplici gaviſus eſt in comitiis ſuffragio. Qui nunc praeeſt, invitus tandem, reniſus diu pro viribus, ad mutanda ſacra inductus eſt vir ſingularis modeſtiae ac humanitatis, qua nos excepit incredibili, ipſusque deduxit mox in archivum, vbi ingentem copiam diplomatum a plus mille annis in originalibus inſpeximus, quorum collectionem *Argentorati* in vaſto volumine apud SCHOEPFLINVM iam videramus. Dum vero nos *Murbacium* adſpiraremus ſequenti die, comitem eſſe voluit ipſum D. Decanum, qui ſecundum poſt Principem tenet locum, ac *magnus* vocari ſolet, in *Lutrenſi* autem *Prior magnus*, qui illic poſt principem abbatem praeeſt congregationi. Monaſterium *Murbacenſe* in praeruptis montium faucibus ſitum eſt, vbi paullatim ab occidente exſurgit *Belus* mons, *Belch* germanice, quod VRSTISIO genericum eſt nomen, quo excelſa montium cacumina olim deſignata fuerint, eoque nomine alius adhuc in comitatus *Burgundici* finibus, verſus *Alſatiam* ſitus; alius item in *ſilva* noſtra *nigra* ſeu *Marciana*, aemulus altiſſimi e regione adhaerentis montis

Feldberg,

Feldberg, aemulus item *Beli Alſatici.* Sed ut hinc in *Murbacium* noſtrum revertamur, ſatis mirari non potui, conſilium tunc demum capi potuiſſe, poſtquam nova monaſterii ſtructura ampliſſima fere perfecta eſt, locum hunc deſerendi, unde tot illuſtres pietate, doctrina, ac dignitatibus eccleſiaſticis viri prodierunt ab ineunte ſaeculo octavo per S. Pirminivm in honorem S. Leodegarii M. condito monaſterio ſub Theoderico V. opera & impenſis Eberhardi comitis, vt ex authentico conſtat diplomate, eiusque ſepulchrum cum exciſa in lapide imagine ante annos quingentos adpoſita ſuperſtes eſt, dum nuper primum deſtructa veteri eccleſia chorus ſaltem haud profanatus in ſacellum aptatur, vbi ad laevam Eberhardi ſepulchrum relinquitur.

In bibliotheca inſignis eſt MSS. adparatus omnis generis veterum ſcriptorum, ac characterum. Ac litteris quidem vncialibus perſcriptus codex monaſterii natales exaequat, aut ſuperat, continetque tredecim Origenis homilias in *Exodum.* Cyclus paſchalis Victvrii, ſeu Victorii ad Hilarivm P. mixta cum minuſcula vnciali, pulcherrime ſcriptus habetur in eodem codice, cum Gedvlii carminibus charactere *Anglo-Saxonico*; quo etiam perſcriptae habentur epiſtolae Pavli. Elegantiſſimus porro

adeſt

adeſt codex euangeliorum charactere *Scotico*, *Murbacenſi* abbatiae condendae occaſionem dedit Colonia *Scotorum*, quae in hodierni monaſterii vicinia ad finem ſeculi VII. conſedit, locusque hinc adpellatus *Viuarium peregrinorum*. Quaedam S. AVGVSTINI opuſcula & S. GREGORII *Moralia* litteris *Merouingicis* ſunt ſcripta. Habetur etiam codex huc ſpectans cum hoc initio: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti incipit ecloga, quam ſcripſit Lathcen filius Baith de moralibus Iob, quos Gregorius fecit.* Inc. *Inter multos ſaepe quaeritur &c.* Item in cod. ſec. circ. XI commentarius in IOB cum praeuia epiſtola PHILIPPI presbyteri, & commentatoris ad NECTARIVM epiſcopum: *Incipit epiſtola Philippi presbyteri, & commentatoris ad epiſcopum Nectarium. Adhortante te, imo potius compellente, Nectari pater beatiſſime! aggredior opus mihi valde arduum atque difficile, quod de ſancti Iob libro aliqua explanare praeſumam,* Inc. *Expoſitionum in Iob. L. I. Sanctus Iob vir ſummae potentiae.* Epilogus ad eundem NECTARIVM ſic finit: *Dum incondita eius corrigenda retractas, & perfecta emendatione caſtigas.* In alio codice, quo continentur *Conſtitutiones apoſtolorum*, in fine epiſtola CLEMENTIS ad IACOBVM ita habet: *Finit epiſtola, vt putatur, S. Clementis.* Codex eſt ſec.

X. vel XI. vnde patet, iam tunc hanc epiſtolam dubiam haud immerito habitam fuiſſe. Collectio Canonum codd. 2. ſec. circiter X. Ex recentioribus codicibus inter alios ſunt acta concilii *Baſileenſis*. Tract. de *Scrutinio ſcripturarum Io.* Bvchler, rectoris ſcholarum in *Morbach* 1466. Ad rem liturgicam quae pertinent, fere etiam ſequioris ſunt aeui, ac fruſtra ordinem ſacrae ſcripturae, prout ante mille annos in officiis diuinis legi conſueuerunt, a Martenio, & aliis recenſitum quaeſiui, imprimis autem ſacrae ſcripturae codicem graecum, litteris vncialibus perſcriptum. Forte adhuc in angulo quoquam deliteſcant, vnde plures extraxi, ac ordinaui vno quodam repoſitorio, auctorque fui illuſtriſſimo Principi, vt ibi ſignatos clauſosque tantos theſauros cuſtodiat, quod is gratanter accepit.

Enſisheim.

De lapide ceraunio, vt quidem Mvnstervs *a*) & Vrstisivs *b*), & alii reputarunt, ſupra mentionem iniecimus, Chronicon Mſc. monaſterii *Murenſis* recenſentes, quem etiam *Sebaſtianus* Brandivs peculiari carmine decantauit. Sic vero Trithemivs *c*) in Chr. *Hirſaug.* deſcri-

a) Coſmog. Lib. III. c. 125.
b) Chron. Baſil. Lib. VI. c. 16.
c) Ad an. 1492.

deſcribit caſum: *Eodem anno ſeptima die Nouembris cecidit e nubibus aëris in pago, qui nuncupatur Suntgave, prope oppidulum, quod dicitur Enſisheim, haud procul a Baſilea ciuitate Germaniae, fulgetra, ſiue lapis mirae magnitudinis, pondo, ſicut audiuimus ab his, qui viderunt, librarum videlicet 255. hoc eſt centenariorum duorum ſimul ac ſemiſſis & quinque librarum. Qui quidem lapis ex violentia cadendi duas in partes fuit diuiſus, cuius pars maior ante fores eccleſiae memorati oppidi Enſisheim cum ferrea catena in teſtimonium veritatis, & memoriam vſque in praeſentem diem videtur ſuſpenſa.* MVNSTERVS ad relatum annum dicit, lapſum eſſe deſuper ex nubium coagulatione edito magno tonitru. *Paulus* LANGIVS in chron. *Cizizenſi* teſtatur, tempeſtate exorta, igniuoma inter tonitrua grandem valde lapidem e nubibus prope oppidum *Ensheim* ad agros proprios FRIDERICI imperatoris cecidiſſe cum ingenti fragore. Teſtimonium vero omni exceptione maius petitur ex edicto MAXIMILIANI *Romanorum* regis de *Cruciata* ſeu Societate *S. Georgii* an. 1503. contra *Turcas* inſtituta, vt legitur apud *Io. Phil.* DATT *a)* his verbis: „Imprimis „DEVS omnipotens nos tanquam ſupremum „caput Chriſtianitatis ante aliquod annos cum

A a 2 „vno

a) Vol. rer. Germ. lib. II. c. 1. p. 214.

„vno diro & graui lapide indifferenter duorum „centenariorum . . . qui cum magno attonitu e „coelo ante nos, cum in exercitu noſtro ad re„ſiſtendum temerariis *Gallorum* conatibus fui„mus, in patenti prato cecidit. Quem nos et„iam in eccleſia oppidi noſtri *Enſisheim*, apud „quod cecidit, vbi anteriorum dominiorum no„ſtrorum circumiacentium regimen noſtrum ob„ſeruari, & teneri conſueuit, appendi iuſſi„mus.„ Ibi eum conſpicuum habuimus, cum inſcriptione: *De hoc lapide multi multa, omnes aliquid, nemo ſatis.* *Dan.* SCHOEPFLINVS T. II. p. 68. nouiſſime in *Alſatia illuſtrata* poſt operoſum examen ita ſcribit: „Naturam lapidis „quod attinet, ſubſtantia eius eſt inſipida, in„odora, nigricans, ex ſquammis coagmentata, „venulis albidis ſtriata, & particulis ſplenden„tibus eiusdem coloris conſperſa, minerae mar„tialis ſpecies. Durities tanta vt Chalybe per„cuſſus euomat ignem. Maſſa ignita, & in a„qua extincta in puluerem redigitur facile. „Quodſi eidem oleum vitrioli affundatur, nul„lum nec efferueſcentiae, nec ſolutionis ſi„gnum, foediſſimum vero ſulphuris reddit odo„rem. Tantam molem in aëre non gigni, „nec haerere potuiſſe nos ratio docet. Violen„to fulminis igni generatio eius nequit ad„ſcribi, quod argillam continet, quae omni ca„lori reſiſtit. Adde, quod nullum fuſionis

ſi-

„ ſignum in omni maſſa occurrat. Subſtantiam „ foſſilem, in modum omnium glebarum me- „ tallicarum ſub terra generatam, in lapide noſtro „ reperiunt chymici. Hic certe vel in loco ge- „ nitus, vbi repertus, vel ex montibus haud a- „ deo longinquis, vbi minerae gignebantur, tem- „ peſtate, & torrentibus aquis abruptus, longo „ saeculorum tractu in plano prouolutus, atque „ *Enſisbemium* verſus fuit promotus. „ Me fateor, vt cetera hiſtoricorum teſtimonia taceam, perplexum tenent aperta MAXIMILIANI verba in monumento publico: *Qui cum magno attonitu e coelo ante nos, cum in exercitu noſtro . . . . fuimus in patenti prato cecidit.* Ita certe ſitus eſt oppidi *Enſisheim.*

Arlesheim.

Bruntrutum, ſedem nunc epiſcopi *Baſileenſis*, cogitabamus, dum nuntiata nobis abſentia Celſiſſimi S. R. I. Principis propoſitum mutandi conſilium ingeſſit. Pro noſtro etiam inſtituto parum inde ſperare poteramus, cum epiſcopus extorris a cathedrali ſua eccleſia ibi degat ab eo tempore, quo catholica religio *Baſilea* exulat, atque epiſcopus vnacum cathedrali capitulo, curiaque epiſcopali exire compulſus eſt, relicto omni ſacrae antiquitatis apparatu an. 1529. ſub PHILIPPO a *Gundelsheim* epiſcopo. Quo tem-

pore etiam curia & capitulum *Conſtantienſe Vberlingae* exulabat, litteriſque exules *Baſileenſes* monuit, vt caeſaris ac regis *Vngariae* & *Bohemiae* opem implorent. Quod felicius ceſſit *Conſtantienſibus*, quam *Baſileenſibus*, quibus poſtliminio redire haud licuit, nec tutum fuit, etſi ſenatus *Baſileenſis* litteris inuitaret capitulum, vt rediret. Igitur curia epiſcopalis *Altkyrchium Sundgouiae* oppidum translata, cathedrale autem capitulum *Friburgum Brisgoiae* in alienam quidem *Conſtantienſem* dioeceſim ſeceſſit, vbi in maiori vrbis illius templo iterum ſacris defungi coepit die 1. *Septembris* S. VERENAE ſacra; quibus tranquille vacabat vſque ad an. 1632. quando *Suecis Brisgoiam* occupantibus res Capituli in miſerrimum abiit ſtatum, epiſcopoque HEINRICO ex *Oxſteiniorum* familia clerum omnem, ſuſtentatione intercepta, dimittere conſultum fuit; vbi omnis ſimul pſalmodia, aliaque ſacra ad annum vſque 1651. intermiſſa. Quo anno iterum in eadem eccleſia diuinum officium celebratum vſque ad annum 1678. dum inito Canonicorum cathedralium conſilio, *Bruntrutum* conuocato Capitulo a *Io.* CONRADO *de Roggenbach*, tunc epiſcopo laudatiſſimo, decreta eſt ſedes deinceps cathedralis eccleſiae ac capituli *Arleshemium*, vicus *Baſileae* propinquus, ad ditionem epiſcopi ſpectans, quorſum ſe epiſco-

ſcopus eodem adhuc contulit anno. Omnibus, quae ad eccleſiae exſtructionem, ac Canonicorum habitationem pertinebant, ordinatis, alacrique manu operi admota 1680. eccleſiae ſurrexit aedificium, quae an. 1681. ſolemni pompa, ſi qua vnquam, dedicata eſt. Nunc vero ſplendidiſſime reſtauratur, ornatiſſimaque veluti noua exurgit marmore ex *Italia* allato, auro, opere anaglyptico, picturis &c. praeſtantiſſimis artificibus vndique accitis.

Singulari illic humanitate a Reu.mo *Ch. F. Carolo* ab EBERSTEIN eiusdem eccleſiae Canonico exceptus, atque deinceps etiam, prout in ſe receperat, adiutus in meis rebus *Bruntruti*. Praeſenti mox mihi inter alia *Acta eccleſiae Baſileenſis*, id eſt *Conſtitutiones ſynodales*, quae in Reu.mi ac Celſ.mi epiſcopi *Baſileenſis* archiuo manuſcriptae aſſeruantur, vel typis editae ſunt, vno abs ſe collectas volumine ac conſcriptas, ad vſum meum indulgentiſſime tradidit: Vbi poſt capitula AHYTONIS a DACHERIO edita, habentur *Statuta & Conſtitutiones Baſileenſis* epiſcopi, *quas tum Praelatis, & Capitulo ſuo anno dni MCCXCVII. poſt Martini in ſynodo ſua prima edidit atque fecit.* Item annorum MCCXCIX. & MCCCV. Deinde MCCCC. *Conſtitutiones* HVMBERTI epiſcopi: MCCCCXXIII. IOANNIS

episcopi in prima synodo, & MCCCCXXXIV. in secunda synodo vigente concilio generali *Basileensi*. Atque haec quidem MSS. sunt. Sequuntur in ea collectione impressa *Statuta synodalia* sub CHRISTOPHORO episc. MDIII. item MDXXXI. in synodo *Thelspergensi*, variae item insignes litterae pastorales, imprimis Ios. WILHELMI *Rinck* de *Baldenstein*, qui tunc praefuit episcopus, pietate ac zelo praecipuus: atque illustri apostolicae vitae exemplo, non ouibus tantum concreditis, sed coëpiscopis etiam *Germanis* aemulandum se praebuit. Vtinam etiam alienae, quae olim erant ex hoc ouili, reuocentur oues in caulam piissimi pastoris, ipsaque se dedat imprimis, quae fuit princeps eius locus *Basilea*.

Basilea.

Vrbs haec est inter *Heluetiorum* florentissimas, in quam post ruinam *Augustae Rauracorum* sedes episcopalis fuit translata. Prius in antiquitatibus *Romanis* occurrit *Arialbinum*, quam primum SCHOEPFLINVS in *Basileensi* suburbano *Binningen* quaerendam ostendit, computatis VI. mill. pass. quae in tabula *Theodosiana* eius distantia ab *Augusta Rauracorum* ponitur. Ciuitas autem *Basiliensium* in notitia prouinciarum, & ciuitatum *Galliae* veteris, a SIRMONDO edita,

edita, occurrit, adque ſec. V. refertur, ac AMMIANO *a)* etiam ante ea tempora eſt memorata. Sunt tamen qui teſtimonio FLEGONTIS, *Liberti* HADRIANI Imp. natales vrbis vltra ea tempora vſque ad AVGVSTVM efferant, quae ineunte ſec. V. a *Vandalis* idem cum aliis, ad ripam *Rheni* ſitis vrbibus, experta ſit fatum. SALVIANVS *b)* circa ea tempora inter ciuitates *Romanas Baſilienſium* cum *Moguntiatenſium* dirutas teſtatur. *Non enim*, inquit, *hoc agitur iam in Moguntiatienſium atque Baſilienſium ciuitate, ſed quia exciſa & deleta eſt*, vt quidem legendum cenſuit *Hadr.* VALESIVS, cum quidam codices haberent *Maſſilienſium. Stephanus* vero BALVZIVS in notis teſtatur, veterum codicum auctoritatem docere, hic de ſola *Moguntia* agi. Ea eſt cauſſa, cur ſcriptores antiquitatum *Baſileenſium* illo SALVIANI loco ſuperſedeant.

Ex ruinis poſtea ſub *Francico* imperio, ſuperatis *Alemannis*, ſurrexit, circa an. 917. ab ingruentibus *Vngaris* diruta. Ab HENRICO II. an. 1019. ſub ADALBERONE epiſcopo cathedralis eccleſia in frequentia epiſcoporum conſecrata eſt, nouis bonis, & redditibus, nec non inſignibus donariis ab imperatore ditata. Fre-

a) Lib. XXX. c. 2.
b) Lib. VI. de prouid.

quentibus terrae motibus poſtea ſaepe concuſſa vrbs: an. 1356. praeſertim, die S. LVCAE ſacro, vbi in aede quoque ſacra Sanctuarium concidit; reſtaurauit vero IOANNES epiſcopus, & an. 1363. 25. *Iunii* conſecrauit. Succeſſu temporum minor, quae vocatur *Baſilea*, adiuncta eſt vrbi, vicus antea aere a *Baſileenſibus* epiſcopis redemtus. Iungitur ponte maior ac minor *Baſilea* ſuper interfluentem *Rhenum*, qui ſub HENRICO epiſc. an. 1225. eſt inſtructus. Quae origo haud dubie eſt turris ac portae ad *Rheni* littus, quam nonnulli ex *Romana* vrbe ſuperſtitem exiſtimarunt. Alii veriſimilius huc referunt ſubterraneos fornices, ac teſtudines, quae etiamnum ad munditiem vrbis corradendis vndique & abluendis ſordibus ſeruiunt, inter alia decora vrbis memoratae *Aeneae* SYLVIO, qui poſtea PIVS II. pontifex academiam inſtituit, quae ſuperiore anno ſeculare feſtum ſolemniter egit.

Vrbis deſcriptio inter *Aenae* SYLVII epiſtolas habetur ad IVLIANVM Cardinalem *S. Angeli*, qui legatus EVGENII IV. in concilio generali *Baſileenſi* fuit, quod an. 1431. eſt coeptum. Indeque repetunt non pauci ſingularem vrbis *Baſileenſis* conſuetudinem, vt horologia vrbica vnam ſemper horam alia anteuertant. Qui ex Praelatis hic mortui ſunt complures per ſeptendecim

decim annos, plerique in ecclesia, quae ante mutata sacra *Carthusiensium* fuit, sunt sepulti. Inter haec tempora electus est contra EVGENIVM IV. (qui *Florentiae* aemulum *Basileensi*, sibi aduerso, concilium conuocauit, Orientis etiam confluentibus illuc episcopis, ipsoque imperatore) FELIX Papa anno MCCCCXL. ex *Sabaudiae* ducibus, qui tamen postea sponte pontificatui renuntiauit. FELICIS imaginem esse dicunt in celebri, quem vocant *den Todten-Tanz*, saltum mortuorum, pictura, qua omnis conditionis homines cum mortis sceleto saltando abrepti inducuntur. Nimirum Papam ibi FELIX iste repraesentat, imperatorem SIGISMVNDVS, regem ALBERTVS II. *Romanorum* rex, qui praesentes concilio aderant. In grassantis durante concilio pestis memoriam factas ferunt tabulas has coloribus oleo tinctis, dum artem istam labente seculo XIV. *Batauus* pictor *Io. van* EYCK excogitauerat. Persistit adhuc aliquoties renouata, in publico foro exposita pictura. Sed neutiquam comparanda venit iam picturis celeberrimi HOLBEINII, quae passim in hac vrbe cernuntur, in curia, aula *Durlacensi*, armario bibliothecae academicae coniuncto, vbi cernitur ipsius etiam HOLBEINII effigies, sua manu depicta. Eius viuam imaginem ERASMVS *Roterodamus* (cuius in principe ecclesia illustre

epita-

epitaphium, in bibliotheca vero autographum teſtamentum vidimus) contemporaneus, & contubernalis, in moria ſua reliquit numero ſtulteſcentium artificum. Oſtenditur ibi prima eius operis editio ex officina FROBENII, cui ad oram imagines manu HOLBEINII affictae ſunt, prout poſtea figuris aeneis exſculptae prodierunt in edit. *Baſileae* adornata an. 1676. Inter alias autem picturas praecellit Chriſti imago in ſepulcro depoſiti, ad viuum, ſi ita de mortuo corpore dicere fas eſt, expreſſa. Praeter nummothecam ſeruantur ibi etiam nonnullae Deorum, Dearumque imagines, aliaque ex ruderibus veteris *Auguſtae Rauracorum* monumenta, praeter ea, quae apud FAESCHIOS, florentem *Baſileae* familiam, habentur.

Bibliotheca publica, quae in nouis libris non adeo magnam habet copiam, nullis fixis ſumtibus ad eius augmenta ſuppetentibus, inſtructa eſt inſigni MSS. adparatu, graecorum etiam complurium inter alios antiquiſſimorum S. Scripturae codicum. Hos inter praeſtat cod. IV. Euang. ſcriptus charactere quadro, & rotundo, prout cuiuslibet characteris fert natura, quem MILLIVS celebri ALEXANDRINO aetate aequiparandum exiſtimauit. Scriptus eſt codex in vſum eccleſiaſticum, habet enim in margine adſcri-

ſcriptas ἀναγνώσεις. In aliis nonnullis graecis, & latinis, deſideratur comma 1. *Ioan. V. 7.* Τρεῖς ἐισιν οἱ μαρτυροῦντες κ.τ.λ. *Tres ſunt &c.* Pſalterii graeci cum interpretatione latina character conuenit cum ſimili pſalterio apud MONTFAVCONIVM in *Palaeogr. graeca pag.* 237. S. ATHANASII opera in charta bombicina praecipue ornant hanc bibliothecam in codice, quo olim COMELIVS eſt vſus, vt inſcriptio edit. an. 1600. prodit: *Graece nunc primum (deſcripto vetuſtiſſimo & integerrimo Baſilienſis academiae archetypo, & cum aliis MSS. collato) in lucem data.* Eundem codicem prae aliis laudant Benedictini *San-Maurenſes* in noua edit. GREGORII etiam *Nazianzeni* opera manuſcripta cum ineditis commentariis AELIAE *Cretenſis.* De aliis longum eſſet hic diſſerere, qui mihi ad excerpta liturgica imprimis facienda praeſto fuerunt, bibliothecario BECKIO theologiae, & GERNLERO hiſtoriarum profeſſore publico eos ad manus praebentibus. Multam etiam humanitatem, ac in iuuandis ſtudiis meis operam praeſtitit iurisprudentiae profeſſor ISELINVS, celebris *Io. Chriſtophori* nepos. Bibliotheca haec etiam inſtructa eſt raris primae typographiae editionibus, quas inter ſunt PII II. epiſtolae impreſſae *Mediolani* per magiſtrum *Antonium* de ZAROTIS *Parmenſem* MCCCCLXXIIII. *Maii* XXV.

Augu-

Augusta Rauracorum.

Ingens nos desiderium tenuit vrbis olim sub *Romana* republica celebratissimae *Augustae Rauracorum* videndi rudera, quae etiamnum *Basileam* inter & *Rhenfeldam* ad *Rheni* littus *Gallicum* conspicua sunt. *Rauraci* ad vtrumque latus montis *Iurassi* incolae, an inde nomen acceperint, an ab his vrbs, incertum est. Ad hoc littus frequens *Romanis* in *Germaniam* seu *Alemanniam*, his vicissim in *Galliam*, postea *trans-Rhenanam Alemanniam*, fuit transitus. ATTILAM etiam circa *Hercynium* saltum *Rhenum* transiisse, cum aliis *Sidonius* APOLLINARIS testatur.

Deducta huc est colonia *Romana* sub AVGVSTO. *Augusta Rauracorum* in *Itinere* ANTONINI, & *Tabula Theodosiana* nominatur. Coloniam deduxisse *Lugdunum* & *Rauricam* in antiquo lapide *L. Munatius* PLANCVS memoratur. *Rheni* munimentum fuit haec colonia, moeniis fortiter instructum. Vrbis amplitudinem etiam rudera testantur variorum aedificiorum in collibus, subiectisque terris, ac campis late patentibus. Circuitus tamen determinari nequit, quod exigua tantum parte moenia supersint, ea tamen adhuc integritate, quae opus

nostra

noſtra demum aetate extructum videri queat. Multiplices comparent muri ad cingendum theatrum, cuius ibidem haud obſcura veſtigia perſiſtunt in colle. Haud longe inde aquaeductus veſtigia in ſubterraneis meatibus experiri licet verſus *Liechtſtallium*, & *Laufen* vſque *Betkam*, trium horarum ſpatio, vt iam VRSTISIVS notauit. Prope collem autem fornices ſunt ac camerae, ad diſtribuendam quaquauerſus aquam. SCHOEPFELINVS etiam ibi templi reliquias detexit.

De numinibus penatibus iam mentionem fecimus, quorum imagines in bibliothecae *Baſileenſis*, ac *Fäſchiano* armario cuſtodiuntur, dum proximis ſaeculis ad noſtram vſque aetatem ſubinde repertae ſunt ſtatuae, *Mercurii* praeſertim, *Apollinis*, ac *Palladis*. Nuperrime inſtrumentum effoſſum hic eſt, ac machina cudendis monetis apta, antiquo *Romanorum* vſu *flando*, *feriundo*; ingentemque litem inter rei nummariae peritos dirimet, ſi genuinum comprobetur inſtrumentum, ac ſincerum. Nummi paſſim hodieque effodiuntur in agro illo *Raurico*, omnis generis metalli & formae, gemmae, vaſa &c. Vias *Romanas Itinerarium* ANTONINI, & *Tabula Theodoſiana* in vtroque *Rheni* latere deſignant, atque *Ammianus* MARCELLINVS, qui ſub THEODOSIO ſcripſit, vrbis hu-

ius

ius adhuc vaſtae meminit, cum *Veſontione* comparatae; donec illi *Alemanni* ruinam intentarunt.

Diſcimus ex Ammiano *a*) ſub Constantio ac Ivliano numeroſas hic copias fuiſſe, Vadomiro fratre Gvdomandi in *Alemanniae* partibus haerente, quae ſilvam *Marcianam*, *Abnobam*que montem comprehendunt cum hodierna *Brisgoia*. Vterque nihilominus hic *Rhenum* patentem ſibi fecit, vt poſtea viciſſim Attila, & *Alemanni*, qui hoc cum aliis ad *Rhenum* ſitis *Romanorum* munimentum deſtruxerunt. In paullo ante citata notitia prouinciarum *Galliae* ſec. V. *Rauracenſis* caſtri tantum nomine venit, quod ipſum etiam dirutum, eſſe deſiit, totaque gloria ac ſplendor auitus in vicinam *Baſileam* abiit, hodieque ſolum nomen ſupereſt in villa *Augſt* dicta. Deinceps tamen adhuc in diplomatibus occurrit pagus *Auguſtouiae*; & comitatum *Auguſta* ab Henrico III. an. MXLI. eccleſiae *Baſileenſi* donatum legimus apud P. Herrgott *b*) in pago *Ougeſtouue* & *Sisgouue*. *Ougeſtouue* haud dubie ipſe eſt pagus, ab *Auguſta* hoc nomen adeptus. Huic orientem verſus, vnde pronus *Rheni* fluuius decurrit, adiacet *Frickouia*, a *Felina*, quae *Auguſtam*

a) Lib. XIV. c. 10.
b) Tom. II. Geneal. Habsb.

gustam perlabitur, & infra *Rhenoueldam Rheno* se inuoluit, vsque ad *Arolam*, vbi haec *Rheno* miscetur apud *Confluentes*, quousque se mons *Iura* protendit. Quae regio pars dicitur veteris *Rauriciae* vsque ad portam *Petraeam*, seu *Petram pertusam*, in medio fere montis inter *Biennam* & *Bruntrutum*, quae rupes stupendo opere ea ex caussa a *Romanis* perfossa est, vt ab *Heluetio Auentinensi* agro ad *Rauracensem*, quos medius mons *Iura* dirimit, via pateret. Auctorem *Romani* posteritati commendarunt insculpta rupi inscriptione. Viam autem tum *Iter* ANTONINI, cum *tabula Theodosiana Augusta Rauracorum*, *Solodoro*, *Petinesca* ad *Auenticum Heluetiorum* designat.

Vrbes quatuor siluestres.

Ad agrum *Rauricum* secundum tractum *Rheni Gallicum* pertinent Ciuitates, *siluestres* dictae. Ex his prope *Augustam Rauracorum* est *Rhenfelda*, quam TSCHVDIVS in Msc. delineatione veteris *Heluetiae Robur*, castellum *Romanum* esse putauit. Inde autem pagus seu comitatus *Frickouiae*, *Rheinfeldensis* ceu a loco principe est dictus. Sequitur *Seckinga*, quam plerique geographorum *Sanctium*, seu *Sanctionem* AMMIANO memoratam esse putant. Lo-

cus vero vel inde memorabilis eſt, quod hic S. FRIDOLINVS, tempore, vt creditur, CLODOVEI, prima reliquerit chriſtianae religionis ſemina, ac vitae etiam monaſticae, extructo parthenone, quem nunc nobiles Canonicae ſub principe antiſtita tenent. Sunt hic ſancti viri cineres; antiquitatis monumenta *Vulcanus* abſumſit. Inde porro aduerſo *Rheni* flumine *Laufenburgum* oppidum eſt ac caſtrum, a quo dynaſtiae Comitum *Laufenburgenſium* nomen celebre eſt. Deinceps *Waldshut* ceu *Siluae cuſtodia cis-Rhenum*, procumbentibus haud procul inde ad *Confluentiam* villam *Iuraſſi* montis radicibus.

Pagus Brisgoiae.

Praeter alias vias ad *Auguſtam Rauracorum*, quae eadem nobis veneranda *Romanae* antiquitatis monumenta, *Iter* inquam ANTONINI, & *Tabula Theodoſiana* deſignant, ea eſt, quam nos, at in aduerſo *Alemannico Rheni* littore prope ſecuti ſumus; ac duplex fuit: altera paullulum a *Rheno* deflexa verſus *Vruncos*, altera recta ad *Rheni* ripam *Arialbino* ad *Baſileam*, *Stabula*, e regione *Neoburgi* oppidi, ad *Bantenheim*, vbi iam RHENANVS *Romanae* antiquitatis monumenta reperta teſtatur. In hanc nos *Rheni* partem abſtraxit *Briſiacus* ipſe mons,

iam

ſam in noſtra *cis-Rhenana* plaga ſitus, mutato alueo. Quum enim ſub *Romana* republica montem *Briſiacum*, vt in *Itinere* ANTONINI vocatur, ad partem orientalem *Rhenus* allueret, atque adeo *Galliae* ſeu *Sequanis* adiiceret, poſtea diuiſo flumine medium tenuit, *in modum inſulae cingens*, vt LVITBRANDVS ſec. X. ſcriptor loquitur, deinceps vero totum ſe in aduerſam partem traiecit; nunc vero periculum eſt, vt veteres redundet in meatus. Pagus *Briſachgoue* ab hoc loco dictus, *Brisgoia* noſtra *cis-Rhenana* eſt, magnam partem *Marggrauiatus Badenſis* continens, quam pertranſiuimus.

Sizenkilch.

Videmus loca nonnulla ei aſſignari apud BESSELLIVM *lib. IV. h. V.* in *Chron. Gottw.* quae prope *Cantern* ſunt ſita cum ipſa hac villa, haud procul a *Sizenkilch*, quod fuit coenobium monialium, vbi plures illuſtres matronae juxta S. BENEDICTI inſtitutum vitam traduxerunt. Altare, quod in ſuperiore choro adhuc cernitur, AGNES, ALBERTI *Romanorum* regis filia, ANDREAE *Hungariae* regis vidua fieri curauit. In eccleſia lapideum mauſoleum marchionum *Hachbergenſium* ſupereſt: ibique conditi quieſcunt OTTO, HVGO, HENRICVS mar-

chiones de *Baden* ſeu *Hachberg*, MARGARETHA nata de *Bion*, RVDOLPHI marchionis mater, VRA marchioniſſa nata de *Fürſtenberg*, nec non tres nobiles de *Rötelen*.

Bürglen.

Inde in montem conſcenſus patet, vbi virorum monaſterium fuit, cuius chronicon ſeculo XII. ſcripſit CHVNO, ſeu CONRADVS de *S. Blaſio*, quod a ſodali meo P. *Ruſteno* HEER nuper in lucem editum eſt, eiusdemque puto eſſe chronicon, quod adhuc Mſc. in monaſterio *Murenſi* aſſeruatur. Facit *Bürglenſe* illud chronicon ad *Brisgouiae* illuſtrandam hiſtoriam, in qua verſamur : atque hinc ad ipſum illum locum magis appropinquauimus, vnde nomen ſuum accepit *Briſacum*, haud ita pridem munitiſſima adhuc vrbs ; nunc ſubrutis ab imo munimentis miſerabilem adſpectum praebet.

Friburgum.

Idem ſubiit fatum *Friburgum Brisgoiae* vrbs praecipua, quae primam originem ſuam a metallicis falſo habere creditur, qui ad vicinas aerifodinas plures iſtic domos exſtruxerint, vnde locum aedificandae vrbis acceperit BERTHOL-

DVS

dvs III. *Zaringiae* dux, quae tum ſitu ſuo, cum forma, auguſta eſt. Princeps eccleſia, nulli ſecunda in *Germania* vnacum turri opus eſt Conradi *Zaringenſis* ducis, medio ſec. XII. extructum. Turris paullo inferior *Argentinenſi*, eam tamen elegantia ſuperat, ac ornatu, qui haud exiguus etiam eccleſiae eſt, maxime ex picturis *Holbeinianis*. Poſt hanc eccleſia PP. *Praedicatorum* inſignis eſt. Abſidam dicunt ab Alberto M. fieri curatam, cuius etiam cathedram, in qua plures annos *Friburgi* docuit, hic oſtendunt.

Inſtituta eſt poſtea hic poſt medium ſeculi XV. academia vniuerſarum ſcientiarum ſub Alberto duce *Auſtriae*, coniugis Mechtildis, ex *Palatinis* comitibus *Rheni*, ſuaſu, quam eamdem auctorem academiae *Tubingenſis* ſuperius commemorauimus, qui ſunt duo *Alemanniae* ocelli. *Friburgenſem* hanc illuſtres imprimis rexerunt complures, etiam ex *Germaniae* primoribus doctiſſimis comitibus, cum aliis nobilibus viris, ac ſcientiarum profeſſoribus Erasmo *Roterodamo*, Henrico *Glareano*, Iodoco *Lorichio*, monacho in propinqua vrbi ad radicem montis (cuius tergo caſtellum triceps inuictum ſtetit) *Carthuſia*, vbi pleraque eius opera ſua manu ſcripta adhuc ſeruantur, cum aliis compluribus MSS. non adeo quidem antiquis, praeter ele-

 gantiſ-

gantiſſimum euangeliorum codicem ſec. circiter X. Inter alia ad hiſtoriam pertinent *Chronica ſummorum pontificorum, ac imperatorum de geſtis eorundem per fratrem Martinum de Ordine Praedicatorum dñi papae Poenitentiarium, & capellanum compilata*, ad an. uſque MCCLXVII. vltra aetatem MARTINI *Poloni* ſeu *Scoti*, cui falſo tribuitur hoc chronicon. BEDAE Chron. per fratrem IAC. de *Spira. Finitus eſt iſte liber an.* 1452. Obiit IAC. 1493. *Chronicon Bohemiae* quod incipit: „Capitulum „de nomine vnde *Slowani* ſiue *Bohemi* venerunt, & vnde dicantur. Cum filii hominum „in agro *Genar* poſt diluuium non recolentes, nec mente pertractantes ſponſionem factam „a DEO ad *Noe* &c.„ Procedit vſque ad an. 1326. Finit: „His taliter peractis ad votum, & „ducatu ſuo *Lucemburgenſi* in tranquillitate diſpoſito in regnum *Bohemiae* iterum reuertitur.

In alio codice habentur epiſtolae MAHVMETIS, qui *Cpolim* expugnauit, cum CLAVDIANI equitis *Hieroſolymitani* ad CONSTANTINVM in epiſtolas has magni *Turci* praefatione. *Epiſtolas a me nuper in lucem editas ad quem potius mitterem &c. Argumentum Maumetes Turcorum imperator, cui poſtea ex magnitudine rerum geſtarum magnus Turcus cognomentum fuit, cum*

Aſia

Aſia potiretur, auctus paterni regni viribus in Europam copias ingentes per Eleſpontum claſſe traiecit, quibus mox Bizantium nobiliſſimam Conſtantini vrbem vi captam expugnauit &c.

Sequuntur epiſtolae variae ad ZANCASSONVM regem *Perſarum*, & viciſſim ZANCASSONI ad *Turcum* &c. in latinum ſermonem nobili ſtilo conuerſae. Scripta autem manu ipſius LORICHII autographa haec adhuc ſeruantur. *Theſaurus nouus vtriuſque theologiae. Compendium theologiae rationalis. Expoſitio I. partis ſummae theologicae S. Thomae.* Item *III. partis eiusdem ſummae. Tractatus de virtutibus, & actibus ad perfectionem chriſtianam pertinentibus. De neceſſitate, & vſu mediorum illuminatiuorum & vnitiuorum cum DEO. De vitiis extirpandis, & virtutibus acquirendis. Et de gradibus perfectionis. De vita ſpiritali in 3. libros diſtinct. auctore Henrico Wolffio huius domus profeſſo a P. Lorichio Cartuſiano, & episcopali librorum cenſore reuiſus, illuſtratus, & propria manu deſcriptus. Interpretatio interlinearis in totum pſalterium. Exhortationes quaedam ad communicantes Sacramenta.*

Zäringen.

Paucis ab vrbe ſtadiis diſtat exiguus hodie vicus *Zäringen* ad radices montis, in cu-

ius vertice rudera in vna turri ſubſiſtunt arcis gentilitiae ducum *Zaringiae*. Eius nomen primum occurrit anno MCXXX. in cod. probat. apud P. HERRGOTT *T. I. P. II. Geneal. dipl. a)* conditoremque facit GVILIMANNVS *b)* in *Habſpurgicis* BERTHOLDVM, quem monumentum *Herrgottianum c)* an. 1048. comitem in pago *Briſchowe* agnoſcit. Patrem ei in ſchemate genealogico aſſignat PIRTHILONEM, quod a nomenclatura BERTHOLDI, pro illorum temporum ratione, non abit. Quare haud abs re SCHOEPFLINVS *d)* in vnum eundemque redire ſuſpicatur comitatus PIRTHILONIS & BERTHOLDI, qui in antiquis documentis in hac *Brisgoiae* parte nominantur. Atque eo vtroque nomine prima quidem inflexione comites, ſecunda duces, qui ex *Zaringenſi* proſapia ortum ducunt, plurimum denominantur, qui praeter *Brisgoiae* pagum multis praeterea poſſeſſionibus aucti, ducum *Sueuiae Hohenſtauffiorum* aemuli fuere: quae vtraque nobiliſſima familia fatalem exitum nacta eſt, haec in CONRADINO, ferali ferro in *Sicilia* ſublato, illa in BERTHOLDI V. filiis, veneno extinctis, vt quidem haud veriſimiliter tradunt. Saltem quocunque fato cum ſtirpe *Zaringenſi* etiam arx paullatim concidit,

a) n. XII. *b)* P. 149. *c)* n. CLXXIX.
d) Tom. I. *Alſ. ill.* p. 674. & 675.

cidit, nomine tantum in paruo vico ſubſiſtente, qui paucis ante annis ad monaſterium *S. Petri* peruenit.

Monaſterium S. Petri.

Accidit id quidem ſingulari fortuna ac notabili caſu, vt ad inſigne monaſterium *D. Petri* in nigra ſeu *Marciana* ſilua tandem rediret locus gentilitius ducum *Zaringiae*, quo in monaſterio illi ſepulturae locum habuerunt, inde a primo eius fundatore BERTHOLDO II. quam ſibi ac ſucceſſoribus ante altare S. Crucis deſtinauit, quamque plerique cum vxoribus ac liberis vſque ad BERTHOLDVM V. acceperunt. Sollicite locum hunc explorari fecit BERTHOLDVS, abditum & adprime congruum coenobiali vitae, ac religioſo ſeceſſui; agris inſuper, paſcuis, ſiluis, ac aquis abundantem, medium in montano ſitum tractu, pedetentim fere per circuitum paullulum ex planitie ſurgentibus collibus.

In nouum monaſterium BERTHOLDVS fratres *Hirſaugienſes* ex Ord. *S. Bened.* de vico *Wilheim*, vbi a patre fundatoris olim conſtitutum fuerat coenobium, acciuit, quo peruenere Kal. *Iulii* an. MXCIII. Eccleſia conſecrata eſt a GEBHARDO, *Conſtantienſi* epiſcopo, ex

eadem ducum *Zaringiae* familia III. Kal. *Augusti*, in festo *S. Petri ad Vincula*, magna principum, abbatum, ac venerabilis cleri frequentia; nimirum ducis BERTHOLDI, WILHELMI *Burgundiae*, & GOTFRIDI *de Calw* comitum, suffragantibus septem abbatibus, scilicet huius loci, *Hirsaugiensi*, *Schaffhusensi*, *Petershusensi*, *Etenheimensi*, de *SS. Blasio & Georgio*, cum sacerdotibus suffraganeis, praepositis & decanis *Constantiensis*, *Basileensis* & *Argentinensis* ecclesiae, innumerabili vtriusque sexus concurrente multitudine.

Monasterium saepe incendio consumtum, post novissimam conflagrationem, a militum manu, ad hostem exturbandum missa, igne subiecto factam, vnacum insigni ecclesia ac turribus nunc demum perfectum est. Instructa imprimis est bibliotheca ornatissima simul ac tuta, quantam valet humana opera cautionem adhibere, a voracibus flammis, fatalibus maxime incomparabilibus suppellectilis litterariae thesauris, quibus comparandis totis viribus inuigilat Reu.mus abbas PHILIPPVS IACOBVS, vt hunc suum Parnassum musis aptet, ac conciliet. Facile quisque sibi in animum inducet, non ita succedere, magnos licet, conatus post veteres ruinas in resarcienda veterum monumentorum, manuscri-

nuſcriptorum praeprimis, iactura; ſingularis tamen eſt codex membranaceus maximae formae, vbi primum habetur *Vita* REMVNDI (*Lulli* ſc.) cum imaginibus pictis, adiuncta ſimul figurarum ſingularum explicatione, autographa, vt haud obſcura produnt indicia, manu. Incipit: „Intentio quare feci fieri picturam ſubſequen„tem fuit dupplex. Prima intentio fuit, ut „ſciretur origo a quo & quomodo orta ars iſta, „& aliae REMVNDI artes & libri.„ In duabus poſterioribus picturis ſiſtitur Canonicus compendiator, cui REMVNDVS codices varios porrigit ac committit, ſic effatus: „Dum tamen textum „non lædas, ex omnibus eligas, quod eſt uti„lius & magis intelligibile &c. „ In altera praeſentat REMVNDVS compendiatorem reginae, *Franciae* nimirum & *Nauarrae*, cum tribus libris. Primus indigitatur *Breuiculum præmiſſum*, medius *Electorium*, infimus, *Primum electorium collectum & ordinatum ad intentionem Remundi ex libris centum quinquaginta quinque Remundi.* Poſtea: *Incipit breuiculum ex artibus Remundi electum ad praeceptum reginæ Franciae & Nauarrae ſublimatum. Pars diſpoſitiua intellectus hominis ad artem. Totum breuiculum extenſe conſideratum. Succeſſiua pars vel examen, vel confirmatio inuentae veritatis.* Et haec quidem in prima tabula. Sequitur,

Pars

Pars dispositiva antecedens. Postea *De prima parte, De secunda parte* vsque ad octauam partem artis. Demum *Succursus artis.* Haec studiose noto in eorum gratiam, qui forte aliquando editionem operum RAYMVNDI *Lulli*, tantis impensis nuper *Moguntiae* coeptam, perficere in animum inducent; aut qui supplementa actorum *Bollandianorum* dabunt.

Praeter nonnulla MSS. liturgica, ex quibus excerpta dabimus in *Liturgia* nostra *Alemannica*, imprimis notatu dignus est adparatus, nunc primum maxima cura a vigilantissimo praesule comparatus, Bibliorum latinorum ac germanicorum ex primordiis typographiae sec. XV. Ea inter putat solertissimus bibliothecarius P. *Conradus* BORER, Biblia duobus tomis contenta ipsissima esse, de quibus in bibliotheca *Vffenbachiana* p. 1. & 2. ac VOGTIVS in *Catalogo histor. crit. librorum rariorum* post SCHARZIVM recenset Biblia latina 2. voluminibus maiorum foliorum comprehensa, typis ligneis, iisque mobilibus impressa. Characteristicum indicium facit locum ISAIAE XXXVII. *Ponam ego circulum in auibus eius*; vbi nimirum habetur *in auribus eius.* Paginae singulae continent lineas 45. Signum papyri simillimum est characteri,

initio

initio veterum diplomatum vbique obuio. Pars ſecunda a parabolis SALOMONIS incipit.

Aliud exemplar Bibliorum ſine die & conſule, quod itidem duobus conſtat voluminibus, characteres habet graciliores, magisque inter ſe conformes. *Gen. VII.* error eſt typographicus: *Ex omnibus animantibus mundis* colles *ſeptena & ſeptena.* Item *Incipiunt* Parabolo *Salomonis.* Moxque cap. I. 3. *Ad* intelligendam *verba prudentiae & ſuſcipiendam eruditionem doctrinae.* Lineas habet 49. per ſingulas columnas. Signum papyri eſt caput bubulum cum cruce eminenti in ſtellae modum bis ſecta per totum opus. Aliud exemplum lat. Bibl. 2. Voll. anno 1473. Volumen ſecundum ornauit typographus tractatu de ſacra ſcriptura, qui MENARDVM quemdam monachum auctorem habet. Signa papyri duo habentur, caput bubulum, & aliud paullo ante in primis bibliis notatum. Item biblia 2. Voll. 1477. impreſſa per *Bernardum* RICHEL, ciuem *Baſileenſem.* Signum papyri eſt caput bubulum cum ſingulari figura in capite. Biblia *Vlmenſia* vno volumine 1480. per *Iohannem* ZEINER, *Vlmenſis* oppidi incolam, de quibus nec VOGTIVS nec SCHOEPFLINVS. Biblia latina 1486. In fine habetur *Regiſtrum epiſtolarum & euangeliorum.* Signum papyri eſt

eſt caput bubulum cum cordis quodammodo figura in capite lineae perpendicularis. Biblia *Germ.* 1477. Ad calcem leguntur inter alia haec verba: *Hat gedrukht und vollbracht Antoni Sorg am freytag vor St. Ioanſen dag des teüffers.* Biblia *Germanica* 2. Voll. 1478. *Vff St. Lucien dag.* Quae manu ſcripta adduntur. Bibliorum horumce meminit *Theophilus* SINCERVS, qui eſt, teſte WEISLINGERO, *Iacobus* SCHWINDEL, *Norimbergenſis*, in *Bibliotheca hiſtorico-critica librorum rariorum* p. 18. Sine die & conſule liber *Etymologiarum* ISIDORI *Hiſpalenſis.* Character ſimillimus eſt Bibliis latinis, quae ſecundo loco antea notauimus. Volumen Epiſtolarum S. HIERONYMI ſpiſſum habet in fine:

Iam decet vt noſtris concordent vltima primis.
Sit decus illi qui dedit iſtud principiare.
Et qui finire dedit ipſum, ſit decus illi.
Eſt decus eccleſiae. Pugilis tot ſcripta tenere.
Si quibus intendas. Eſt decus eccleſiae.

Igitur Sophronii Euſebii Ieronymi orthodoxi eccleſiae Chriſti propugnatoris chariſſimi liber Ieronimianus, aut ſi mauis. quod & ipſe velim liber epiſtolaris explicit. Vt dignitas nominis Ieronimiani egregio viro Iohanni Andreae perma-

maneat. qui hoc ipſum zelo deuotionis erga virum ſanctum affectus tempore priſco vulgauit in orbem. eſt autem praeſens opus arte impreſſoria feliciter conſummatum per Petrum Schoiffer de Gernsheim in ciuitate nobili Moguntina. Cuius nobilitati vir beatus Hieronimus ſcribens ad Agerrutiam de monogamia teſtimonium perhibet ſempiternum, multis millibus incolarum eiusdem in eccleſia pro fide catholica ſanguine proprio laureatis.

Huic laudatori reddit Moguntia vices
Tot ſua ſcripta parans vſibus eccleſiae.
Anno Dñi MCCCCLXX. die 7. menſis Septembris
quae fuit vigilia natiuitatis Mariae
Da gloriam Deo.

Subduntur inſignia *Petri* SCHOEFFERI, veluti etiam in alio eiusdem SCHOEFFERI opera impreſſo codice decretalium GREGORII IX.

Anno incarnationis Dnice M. CCCC. LXXIII.
IX. Kalend. Decemb. in nobili vrbe
Moguncia.
Petrus Schoiffer de Gernſzheim ſuis conſumando ſcutis conſignauit Decretales Gregorii IX. a) & carmina quaedam.

Hisce

a) „Cur Deus vltimis temporibus artis impreſſorie nouum ſeculo munus inuexerit.

Hisce aliisque decoribus, ac mundo Nympham ſuam bibliothecam comptam adeo, dotare

Pape quid hec noſtris petit ars noua & inclita ſeclis
Priſcis cur patribus lux ea non micuit.
Quos pater omnipotens creat. hos vocat. hos ſimul omnes
Vult ſalvos veri noticia fieri.
Hinc dudum exhibita eſt cupimus quam vita ſecunda
Cuncti. ſed multi poſſe venire negant.
Hac iterum ydolatras arte & tinctos & apellas
Accerſire parat quam prius adueniat.

Artis impreſſoriae commendatio.

Hic verum exemplar mendax non tranſit in inſtar.
Mille valent vno ſtante caracterio.
Aſt atramentum probat hoc non eſſe caducum
Cerotumue rapax aut cineralis aqua
Quamlibet influida carta non liquitur vnda
Tetra. neque atrior hac fallit arte liquor.
Litera continua & par libros gramma venuſtat
Ex vno in cunctis eſſe memor poteris.

Primorum artis magiſtrorum typus & Petri preconium.

Scema tabernacli Moiſes Salomon quoque templi
Haud preter ingenuos perficiunt Dedalos.
Sic decus eccleſie maius. maior Salomone
Iam renouans. renouat Beſelehel & Hyram.
Hos dedit eximios ſculpendi in arte magiſtros.
Cui placet en mactos arte ſagire viros.
Quos genuit ambos vrbs moguntina Iohannes
Librorum inſignes prothocaragmaticos.
Cum quibus optatum petrus venit ad poliandrum
Curſu poſterior. introeundo prior
Quippe quibus preſtat ſculpendi lege ſagitus
A ſolo dante lumen & ingenium.
Natio queque ſuum poterit reperire caragma
Secum. nempe ſtilo prominet omnigeno.

tare ornareque non cessat litterarum amantissimus, quibus omnibus enumerandis angustiae hae paginarum haud quaquam sufficiunt, nec quo amore ac humanitate secum *Friburgo* ad monasterium suum deductum, exceperit, ac studia

Credere difficile est doctores quam pretiosa
Pendat mercede scripta recorrigere.
Orthosintheticum cuius sintagma per orbem
Fulget, franciscum presto magistrum habet.
Me quoque coniunxit illi non vile tragema
Publica sed comoda & terrigenum columen.
O vtinam exscobere falsis moliantur ideam
Qui sintagma regunt & prothocaragma legunt.
Aureola indubie premiaret eos logothece
Quippe libris cathedras mille suberudiunt.
Estimo nec scriptas decretales neque pressas
Conferri nostris in tribus eximiis.
In foliis spacium cunctis est marginis equum
Codicis hoc primum fulget ab arte decus.
Querere te textui distantem crebro fatigat
Glossam. hic folium vertere non opus est.
Te cito certificant monstrantia grammata glossam
Correctusque liber perficiet docilem. „

Qui *ambo Iohannes* nominantur, intellige *Ioannem* GVTENBERGER & *Ioannem* FVST. Merito autem SCHOEPFLINVS in *Vind. typogr.* sugillat SCHELHORNIVM, qui T. IV. *Amoen. litter.* p. 301. *Polyandri* nomine nescio quem hominem designari putat: cum allegoria ad *Petrum* & *Iohannem* adludat, vt sicut PETRUS ad Christi sepulchrum, quod *Polyandri* nomine

dia mea iuuerit, aegreque tandem aliquando dimiſerit, quos iam patria aura reduces ad *Marcianam* ſiluam adſpirarat.

Oberriedt.

Itaque hinc ad monaſterium congregationis noſtrae *S. Blaſii Oberriedtenſe* deſcendimus. Annales huius monaſterii deſcripſit ineunte ſeculo decimo quarto *Conradus* STVRN. Vnde diſcimus, primo inhabitatum fuiſſe a ſanctimonialibus e *Valle Guntheri* (qui etiamnum eſt illuſtris nobilium virginum parthenon in *Guntersthal*) illic ſe abdentibus, vbi primum ſitum fuit monaſterium horrida in eremo inter rupium, ac montium praecipitia, cui poſtea, quod tenerae virgines ferendi rigoris, tempeſtatum, variarumque calamitatum impares eſſent, S. WILHELMI nomen inditum eſt, ab ordinis auctore, cuius inſtitutum profeſſi deſertum hunc a monialibus locum anno 1249. occuparunt, poſtquam ordo iſte anno 1157. a S. GVILIELMO, magno eremita *Tuſco*, *Stabuli Rhodis* incola, prodigioſae ſanctitatis viro inſtitutus potius, quam a cognomine duce *Aquitaniae*, & per B. ALBERTVM eius diſcipulum propagatus, in noſtris

ſignificatur, poſtremus quidem aduenit, primus tamen intrauit, ita *Petrus* SCHOIFFER poſterior quidem ad opus acceſſit, artis penetralia tamen primus intrauit.

ſtris etiam *Germaniae* partibus inoleuit. Viri enim quidam religioſi laudati ordinis ex conuentu *Portae Mariae*, propagandae ſuae religioni intenti, de loco a monialibus derelicto certiores facti, aduenerunt, locum hunc cum affectu, vt rem narrat P. *Conr.* STVRN, viſitantes, & ad propria, cum gaudio referentes quae viderant, redierunt. Facile autem iisdem, quibus olim conditionibus a *Thengenſi* familia, hi a nobilibus de *Schnewlin*, quibus terra iure feudi ab abbatibus *S. Galli* conceſſa erat, eadem bona in *Oberriedt*, & *Verlibach* obtinuerunt, ac ſtatim praedicti coenobii, & Ordinis Prior, habito conſilio fratrum ſuorum, miſit illuc Priorem cum tribus fratribus, qui nouae coloniae, vt ordini familiare erat ſua monaſteria ex nomine B. V. MARIAE vocare, *Corona Mariae* nomen indiderunt. Hi, cum nec ipſi eſſent ferendo loci aſperitatem, in ſuburbium *Friburgi Brisgoiae* an. 1262. ſe contulerunt. Non ita tamen multo poſt antiqui repetendi nemoris deſiderium inceſſit imprimis Fr. IOANNEM de *Urberg*, qui an. 1266. obtenta ſuperiorum licentia, adſumto vnico ſocio BVRCHARDO fratre laico, caeteris in ſuburbio manentibus, eremum, cui iam nomen a S. GVILIELMO inditum erat, repetiit, nouam rurſus auſpicaturus coloniam, expetitis a magiſtris Ordinis in ſubſidium fratribus. Quod

poſtea monaſterium identidem in locum paullo liberiorem *Oberriedt* eſt translatum, vbi etiamnum ſubſiſtit, anno 1725. cum aliis duobus in *Sion*, & prope *Mengen*, egeſtate preſſis, Ordini ac congregationi noſtrae *S. Blaſii* addictum.

Feldberg.

Situm eſt ad radicem montis ſiluae *Marcianae* altiſſimi, qui *Feldberg*, ſeu *mons campeſtris* nominatur. Quamuis alii *Vehberg*, id eſt, *montem pecorum* dici malint a paſcuis pecorum, quae in eo copioſa admodum, & pinguia reperiuntur, ſaginandis pecoribus mire foecunda. Gignit nempe montana tellus, praeſertim vbi ſe circa verticem in plures, easque amplas planities explicat, permixtas graminibus herbas, ac varii generis radices ſaluberrimas, aeque medendis, ac impinguandis pecoribus aptas, hominibus imo etiam ſalutares, vt olim iam a diſſitis terris earum gratia paſſim montem hunc obierint botanici.

Vt vero difficilis eſt ad ſupremum apicem acceſſus, ita iucundus ſereno praeſertim coelo proſpectus quaquauerſum, non ſolum per omnem ſaltum *Hercynium*, late patentem *Marcianam* ſilvam, ac *Abnobae* montem, verum etiam *Iuraſſi*, & *Vogeſi* iuga, alpesque *Heluetias*, ac

planas,

planas, quae his interiacent, regiones, vaſtiſſimosque campos, in quibus prata ridentia, vineta luxuriantia, agri exuberantes, ſinuoſa flumina, ſiluae, vrbes, villae, & quid non? aſpectui patet ex monte ſuapte inculto, ac inhabitabili.

Vulgaris etiam hic eſt traditio, quam de *Belo* refert SCHOEPFLINVS, ſpectatoribus ſumma aeſtate in faſtigio eius dierum ſibi ſuccedentium crepuſcula & dilucula ita concurrere, vt nocti locus paruo tempore detur. Fallacem hanc opinionem propria cum aliis pluribus didici experientia, vt tamen experiundi nulla amplius inceſſat libido. Summa quippe aeſtate, quando calor maximus eſſe ſolet, iſtic vero *Eteſiarum* flatu temperatur, quamprimum nox ingruit, quod hic per ſemihorium ſaltem ſerius fit, ita inualuere venti, vt totas *Aeolus* ſuas vires experiri voluiſſe viſus ſit. Nec iam a *Vulcano* contra frigus tuti tectique eramus, ex quacunque eo nos ſuccenſo igne fouere parte conaremur, hinc ſcintillis obruentibus, illinc vento caloris vim in aduerſum abripiente, vt nulla niſi in celeri fuga fuerit tutela per aſperrimum montis tergum praeruptum, & ſaxoſum, arborum annoſarum radicibus impeditum.

Sunt ibi *Albae* fontes riui, quem usque ad monaſterium noſtrum *S. Blaſii* ſecuti ſumus, vnde olim primi incolae *Fratres ad Albam* ſunt vocati, locusque *Alba cella*, medias inter ſiluas. Ab alpibus ipſi riuo adhaeret vocabulum, vti ſupra de *Alba dominorum* & *dominarum* diximus in ſimili *Albegouiae*, ſeu *Alpegouiae* pago, cum aliis pluribus cognominibus, ab alpibus eiusmodi nomen indeptis.

Excurſio in Bauariam ex Reuthe in Sueuia.

Iam laeti ouabamus de perfecto itinere noſtro *Alemannico*, cupidiſſimi inſidere theſauris noſtris, ac digerere, quos inſignes haud vnquam poenitendo labore congeſſimus, nec quidquam fractis per itinerum moleſtias viribus, vt iam tota animi contentione operi liturgico me accingerem: dum ecce nouum, ac inſperatum iter ingrediendum fuit, quod recuſare religioni mihi fuit, nec quoque inauſpicato ſuſcepi.

Mentionem inieci in deſcriptione itineris, quod ſuperiore anno per meridionalem & orientalem *Alemanniam* feci, Beatae ELISABETHAE *Reuthenſis*, quam *bonam*, dum adhuc in viuis erat, vulgo ob eximiam vitae ſanctitatem vocabant, ac etiamnum ita vocari ſolet: quemque

dirum

dirum bellum tricennale ſiſtebat proceſſum elapſo ſeculo ad ſolemnem apotheoſin, feliciter iterum inſtauratur. Peruicit tandem *Romae* apud Sacram Rituum Congregationem cauſſae Procurator contra fidei Promotorem, quem dicunt, quique id negotii in eiusmodi cauſſis habet, vt in nectendis difficultatibus, quae obiici poſſunt, ingenium exerceat; apud vulgus autem *diaboli procurator* nominatur. Nihil is reſidui fecit, vt, quod adhuc vel leuiſſimum obſtaculum eſſe poſſet, opponeret, proponeretque coram Sacra Rituum Congregatione, oblatis libellis obiectionum, quae, ac etiam reſponſiones Procuratoris, *Romae* ac partim etiam in *Germania* typis editae proſtant, ac tandem poſt longam diſcuſſionem die nono *Decembris a. p.* 1760. habita fuit *Romae* S. Rituum Congregatio, poſtquam ad libellum ſupplicem eodem anno oblatum *Super dubio, an ſit ſignanda commiſſio reaſſumptionis cauſſae in ſtatu & termino*, ab eadem Congregatione reſponſum fuit *affirmatiue, iterum proponatur.* Vnde quidem eluceſcit, quam lento gradu poſt diutinam demum ventilationem, ac rigidum examen, in eiusmodi cauſſis procedatur *Romae*, ſolum ad id, vt proceſſus inſtitui concedatur.

Atque in hac quidem *bonae* ELISABETHAE caussa, de cuius sanctitate, miraculisque in vita, & post mortem vsque ad praesentem diem, a tribus iam seculis & dimidio fere, tanta fuit per *Germaniam* fama ac persuasio, continuusque seruae DEI cultus, & postquam etiam iam anno 1625. omnia sunt diligentissime trutinata, electis a Sede Apostolica arbitris, supersederi posse videretur iterata caussae actione, nec tantus necessarius aut expediens rigor, nisi ad hoc assumendus esset, vt alieni ab ecclesia *Romana* catholica videant solis radiis descriptam ecclesiae sanctitatem, nullis non temporibus in suis membris quam plurimis etiam donis extraordinariis illustrem, quae DEVM adesse ecclesiae suae manifesto produnt, suntque apertissima verae ecclesiae nota aduersus quasuis parasynagogas, sparsas praesertim per *Germaniam* nostram; apud fideles autem hoc proficuum est, vt firmi stent ac inconcussi in vera fide, veraque ecclesia. Quod venerabilis *Conradus* KVGELIN, confessarius Beatae ELISABETHAE nostrae *bonae* propositum habuit in conscribenda eius vita, sic auspicatus: „Vt sancta & christiana „fides in multorum peruersorum, mulierum ac „virorum tam ecclesiastici quam secularis sta„tus hominum cordibus firmiter haereat, & „omnis dubitatio rerum credendarum ex iis

„faci-

„ facilius euellatur, atque extirpetur, potissimum in rebus eiusmodi, ad quas ratio naturali lumine vel sensuum notitia pertingere nequeunt, quare ad instantiam multorum venerabilium vtriusque sexus hominum ego „ *Conradus* KVGELIN, humilis praepositus monasterii in *Waldsee*, Canonicus regularis Ordinis S. *Augustini* inter omnes minimus, *Constantiensis* dioecesis, statui hac scriptura ad honorem DEI, reginae coeli MARIAE, & totius aulae coelestis diuulgare vitam, virtutes, abstinentiam, atque etiam miracula & signa, quae DEVS per piam & deuotam aliquam inclusam Sanctimonialem, cui nomen ELISABETH, in quodam inclusorio sito in *Rüttin* „ *Haistergaw*, prope oppidum *Waldsee* eiusdem dioecesis, operatus est. „ Haec ille tunc, quando necdum ecclesia nostra *Germanica* in tot partes ac schismata discissa miserum in modum fuerat, vti nunc est proh dolor!

Mihi vero nihil adeo manifeste hodie contra aduersarios nostros ab ecclesia extorres ecclesiam veram ostendere videtur, quam tot *canonizationis* Sanctorum *processus*, tanto cum rigore tractari soliti. Refert P. DAVBENTON S. I. in vita S. *Io. Fr.* REGIS, Praelatum quendam *Romanum* nobili *Anglo*, quocum longo tempore amicitiam habuerat, acta quaedam ad le-

 gendum

gendum dediſſe, in quibus miracula nonnulla rationibus ſuis ſuffulta continebantur. Quae, cum *Anglus* ille attente auideque legiſſet, ſcripta praeſuli reddens palam profeſſus eſt, eſſe hanc egregiam ac ſecuram vera comprobandi miracula viam ac modum. Quodſi, aiebat, omnia ea veſtra miracula, quae nobis obtenditis, tam authentica probataque forent, ſine tergiuerſatione a nobis ſuſcipienda eſſent, neque tam ſaepe leuis credulitas vobis exprobanda. Tum Praelatus, ſcias vero ait, nullum ex his omnibus miraculis, quae rata habes, ſacrae rituum Congregationi probata fuiſſe, vtpote, quae ſatis aſſerta haud exiſtimabantur.

Atque rigor iſte in toto illo proceſſu tum *Romae*, cum in illis locis, vbi inquiſitiones inſtituendae ſunt, ſeruatur, prout hic exemplum prae oculis eſt in *conſtruendo proceſſu auctoritate apoſtolica ſuper ſanctitate vitae, virtutibus, & miraculis, potiſſimum vero ſuper caſu excepto a decretis* VRBANI *VIII. P. ſiue ſuper cultu ab immemorabili tempore exhibito B.* ELISABETHAE. Cauerat nimirum laudatus pontifex bulla 1625. 13. *Maii* data, ne impoſterum cultus aut veneratio praeſtetur ſeruorum DEI vlli, antequam ab Apoſtolica ſede beatificationis, aut canoniſationis honore inſignitus fuerit; niſi aut per

com-

communem ecclesiae consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissima temporis scientia, & tolerantia Sedis apostolicae, vel Ordinarii celebretur. Eiusdem Pontificis alia postea emanauit bulla an. 1634. 5. *Iulii*, qua tempus immemoriale ab hoc ipso anno figitur centum praecedentium annorum, ac praeterea duplex processus informandus requiritur: vnus super forma sanctitatis, virtutum & miraculorum serui DEI, quem vocant *introductionis*, scilicet an caussa venerabilis serui, vel famulae DEI, coram Apostolica sede sit introducenda, & ventilanda. Alter super *casu excepto*, seu cultu immemorabili seruo vel famulae DEI ante bullam VRBANI VIII. exhibito: etenim si de alterutro non constet, nulla *signatur* a summo pontifice *commissio*, & caussa deponitur tanquam vitio laborans, non amplius, aut saltem non facile, reassumenda. Cessit vero iam ex parte feliciter *Romae* in nostra hac caussa B. ELISABETHAE; Sacraque Rituum Congregatio litteras expediuit *Remissorias*, quibus nimirum episcopo licentia datur processum instituendi, testes citandi, audiendique per *compulsorias*, quibus potestas datur omnes ac singulos, quorum interest, ad iudicium conuocandi, ad scripta ac instrumenta, quae ad rem

faciunt,

faciunt, edenda: nimirum pro construenda inquisitione in pago *Reuthe*, vbi sacrae B. ELISABETHAE exuuiae sunt depositae, super fama sanctitatis vitae, virtutibus, ac miraculis, potissimum vero super cultu a tempore, quod hominum memoriam superat, praefatae B. ELISABETHAE exhibito, eiusque ad praesentem diem perseuerantia. Quem in finem *Roma* missa sunt *interrogatoria* a Promotore fidei *Romano*. Quae omnia a Procuratore caussae exhibita clausa ac signata, non aperienda, nisi coram *Promotore fiscali* curiae episcopalis, & notario: inde vero perficienda omnia, quae in memoratis litteris praescribuntur: primum circa examen testium, secundum circa *compulsationem iurium* ac monumentorum MSS. vel etiam typis editorum, cum examine ac iudicio peritorum super antiquitate MSS. tertium circa visitationem & descriptionem sepulchri, ac sacelli seu ecclesiae, in qua sepulchrum erectum est, & altaris, aliorum quoque altarium, ac templorum B. ELISABETHAE, nec non imaginum, atque statuarum, tabellarum votiuarum &c. vnacum examine ac iudicio peritorum, de horum omnium vetustate, quae superet necesse est centum annos iuxta VRBANI VIII. decreta, vim suam habentia ab anno 1634. ita vt imago, statua vel MSS. confecta

esse

esse debeant anno saltem 1534. in eaque imagine, statua &c. adsit titulus *Beata*, vel *Sancta*, vel *Radii* : ac praeterea demonstrandum fuit, cultum ac venerationem ab an. 1634. ad nostra vsque perseuerasse tempora.

Initium sumpsit processus iste seu inquisitio die 28. mensis *Iulii* anni 1762. iudice, promotoribus, testibus ac notariis iuramento prius obstrictis: quod quidem testibus, qui in examen vocantur, iterandum est singulis sessionibus. Sessiones eiusmodi ad examen testium iuratorum in ecclesia habentur, occlusis ianuis, obsignatis etiam post quamlibet sessionem actis, ne quid quacunque demum arte fraudis ac imposturae accidere queat. Ad finem examinis vltimi testis, apertis foribus, iterumque admissis testibus, qui adhibentur ad *rogitum*, Procurator caussae adfuit, ac voce & scripto per supplicem libellum exposuit, se absoluto iam examine testium, tam a se inductorum, quam vocatorum, ex officio nimirum Subpromotoris, iam probare velle sanctitatem vitae, virtutes & miracula B. ELISABETHAE, & potissime cultum a tempore, cuius memoria non extat, eidem exhibitum, per scripturas quoque, historicos, auctores, instrumenta, aliaque iura tam publica, quam priuata, typis edita ac manuscripta, in actis producenda & compulsanda; ideoque humiliter

militer ſupplicare, & enixe petere, mandari fieri dictam productionem & compulſationem, & pro eis faciendis decerni citationes contra fidei ſubpromotores, nec non monitoria contra detinentes praefatas ſcripturas.

Diligentia imprimis in hac re, quam *iurium in proceſſum translationem* ſeu *compulſationem* vocant, opus fuit, quod in ea ſitum ſit praecipuum huiusce cauſſae fundamentum: quum agatur de beata perſona, quae diem ſupremum obiit haud multo poſt initium ſec. XV. de cuius idcirco ſanctitate, atque cultu centum annorum ante VRBANI decreta oculati teſtes haberi non poſſunt. Primum citati, qui ſcripturas ac documenta detinebant, frequentes ex variis locis aduocati ſunt. Eo ordine recepta, per condictos, iuratosque antiquarios curate ſunt examinata, an authentica forent, quamue ad aetatem referri poſſent. Tum omnia ex autographis deſcripta, cum originali collata, per iuratos iterum notarios actis inſerta, inſtrumentorum publicorum vim acceperunt. Poſt haec auditis etiam iuratis pictoribus, ſtatuariis, architectis de antiquis pictis, ſculptisque imaginibus, ac tabellis votiuis, examinatoque ſedulo ſepulchro, omnibus rite diſcuſſis, ſententia a Reu.mo Iudice ſolemniter prolata eſt: conſtitiſſe ac conſtare publicum cultum a tempore immemo-

memoriali, & a pluribus quam centum annis ante promulgationem decretorum ſ. m. VRBANI VIII. quod hic potiſſimum agebatur, cum alias cauſſa haec quoad virtutes heroicas & miracula anno 1624. iam eſſet ſatis ventilata. Itaque poſt ſententiam pronuntiatam, celebrato pontificali ſolemni Miſſae officio a Reu.mo Praepoſito Can. Reg. in *Waldſee*, atque pro gratiarum actione decantato hymno *Te Deum laudamus*, abſolutum eſt hoc negotium, notario concreditis actis, vt deſcripta *Romam* deferenda paret, vlteriori examini Sacrae Rituum Congregationis, decretoriaeque ſententiae *Romanae* Sedis offerenda.

Monaſterium Vrſinenſe.

NActi opportunitatem hanc temporis ac locorum, excurrere in *Bauariam* deſtinauimus, ea loca praecipue, quae *Lico* fluuio *Alemanniae* limiti propius adhaerent. Primum per *Memmingen*, adeundi doctiſſimum SCHELHORNIVM cauſſa, ad *Ottoburenſe* monaſterium iter iterum direximus, conferenda MSS. quaedam de veteri muſica eccleſiaſtica, quae ſuperiore anno notaueramus pro collectione veterum auctorum muſicorum ineditorum. Inde ad monaſterium *Vrſinenſe* perreximus Ordinis noſtri, quod priore itinere praeteriuimus, quod relatum percepe-

rimus,

rimus, incendiis ac aliis funeſtis fatis vetera monumenta periiſſe. Nunc vero adlectis humanitate Reu.mi litterarorumque ſtudioſiſſimi abbatis congerere quaedam in aduerſaria licuit pro veteri *Liturgia Alemannica*, ac *Muſica hiſtoria.* Doluimus vero non ita pridem ante noſtrum aduentum obiiſſe, tam in theoretica quam practica muſica inſignem ſocium academiae muſicae *Lipſienſis* P. *Meinradum* SPIES, amicum ſingularem, qui veteri muſicae contra recentiorum licentiam reuerentiam ſeruauit, conſeruauitque multa inſignia praeſtantium ſuperiore aetate muſicorum opera, quae ſuo loco recenſenda notauimus.

Nec id eſt praetereundum pro meo in res antiquas ſtudio, volupe fuiſſe affari virum grandaeuum integrae adhuc ſanitatis ac ſenſuum, parentem ipſius abbatis, quem merito colit, atque paucis ante meum aduentum diebus recurrentem eius natalem centum annorum diem ſolemni pompa in eccleſia celebrauit cum ſuo conuentu abbas filius, iam etiam venerabilis ſenex. Exceptus eſt ſenex ad ſolemnes veſperas profeſti S. MICHAELIS, atque altero die mane a toto conuentu deductus in eccleſiam, a filio abbate, Miſſam ritu pontificali celebrante, communionem euchariſticam accepit, quam grato

laetoque

laetoque ſpectaculo, quisque coniiciat, nosque perſenſimus, cum nobis narraretur, atque octauam eius feſtiuitatis diem concelebraremus.

Ab Reu.mo abbate incredibili ſumus munificentia habiti pro ſuo in ſtudia litteraria amore, quae omni conatu excolere ſtudet, atque fouere bonas artes apud ſuos, quorum multos habet benigna ingenii vena, atque inſigni dexteritate peritiaque, praeſertim in rebus mathematicis, ex quibus tres ſunt profeſſores publici a multis annis, alter in academia *Salisburgenſi*, alter in *Cremisfanenſi*, tertius in *Friſingenſi* ſchola. Pluribus mecum egit venerabilis vir, qua ratione etiam ſacratiorum litterarum, linguarum praeſertim orientalium, ac antiquitatis eccleſiaſticae principiis apud nos in *S. Blaſio* ingenia apta imbui poſſent. Pro facultatibus etiam is inſtruit librariam ſupellectilem bonis ac exquiſitis libris, quod ad eruditionis campum emetiendum palmare eſt: in quem magiſterio quidem aliorum recte manuductio fit, ad conſummationem autem longo indefeſſoque labore decurritur. De his aliisque rebus ad prouehenda litterarum ſtudia pertinentibus diem noctemque ſermocinati ſumus. Neque finem feciſſemus, niſi maturandum mihi fuiſſet, vel ob ipſam aë-

ris

ris intemperiem, ac brumale frigus ſolito citius ingruens, vt quod propoſitum fuerat, iter conficerem.

Kauffbura.

A*uguſtam Vindelicorum* tendens paucis horis *Kauffburae* diuertebam, vt de fama, quae vndique percrebuit, ſanctitatis ac miraculorum Ven. Crescentiae, ſanctimonialis tertii Ord. S. Francisci, afferti aliquid comperirem. Nec me fefellit opinio: neque tot doctorum proborumque hominum teſtimonia etiam acatholicorum, in vrbe illa ipſa, confeſſioni *Auguſtanae* addicta, ſuſpecta eſſe poſſunt, aut minus probata. Ex quibus etiam fuerunt, qui beneficia patrocinio beatae illius virginis accepta, teſtata voluerunt adpenſis anathematibus. Cuiusmodi innumera a diſſitis etiam regionibus quotidie fere offeruntur, ſummorum etiam principum donaria. Irrideant omnia libertini in religione homines, qui ſibi ſoli prudentes ac ſapere videntur ſuffeni; merito nos nobis plaudimus, in ſinu Catholicae eccleſiae iugiter inueniri homines, qui illuſtria dent ſanctitatis ſpecimina, atque gratioſi apud Devm manifeſtis indiciis, ac ſignis editis comprobentur, quae Spiritum Sanctum eccleſiae adeſſe apertiſſime declarant.

Ma-

Magnum ego profecto solatium reportaui ex hac vrbe *Augustam Vindelicorum* pergens asperrima tempestate ex casu niuis intempestiuo quarto quidem mensis *Octobris* die. Is per noctem continuans totam obtexit regionem alta niue. Facto postera die coelo sereno tantum inualuit frigus, vt glacies durata & alte concreta plaustra etiam sustineret. Res nobis eo magis mira accidit, quod postea domum reuersis talem coeli intemperiem se haud expertos esse siluae nostrae nigrae incolae, vbi maior anni pars hiems esse solet, sunt contestati.

Augusta Vindelicorum.

Malo id mihi omini fuit *Augustae*, durius enim glacie pectus pulsans emollire haud potui, ac obtinere, vt aditus mihi ad bibliothecam ecclesiae cathedralis pateret, cuius potissimum gratia longum ac graue iter *Augustam* susceperam iam secundo, quod bibliothecam illam refertam esse multis antiquis MSS. liturgicis, praesertim ex *Bernardi* PEZII *Itinerario*, quod habetur dissertatione Isagogica in *Tom. I. Anecd.* cognoueram, vbi *p. XXXV.* & *XXXVI.* nominatim plures recensentur codices potissimum liturgici, quos mihi haud

praesto futuros ad excerpta facienda in argumento religionis nostrae catholicae praecipuo, in animum nunquam induxissem, nisi expertus frustra omnia tentassem obtestationibus meis, ac exhibitis etiam Emin. Cardinalis de RODT commendatitiis. Dum vero alio tempore ex *Italia*, *Austria*ue redux iterum *Augustam* obirem, non quidem in ipsam bibliothecam fui admissus, MSS. tamen non solum aceruatim fuerunt ad manus, praebita indulgentia Reu.[mi] Decani de VMBGELTER, verum etiam, quae petieram, integra pro vsu meo descripta accepi, opera D. *Ant.* KHAGER, bibliothecarii nunc *Eystetensis*, cui hortatu meo ordinandae bibliothecae cura est commissa. De qua is nuperrimis ad me litteris sic scribit: *Inueni codices vltra ducentos, quos vel regiae bibliothecae huic Augustanae inuideant. Nunc exspectat me scrinium Eystetense non minimum inter Germana, potissimum tamen constans ex actis sec. XIV. & XV.* Accessissem tunc etiam ecclesiam eam cathedralem, nec non *Frisingensem*, nisi me fatum *Augustanum* absterruisset.

Wessofontanum Monast.

Septimo *Octobris* vrbem *Augustam* egressi, amplissimum, cui a *Lico* fluuio celebre nomen est, campum, adhuc fere niue obductum, peragra-

ragrauimus, eodemque die in monasterium *Wessofontanum* aduenimus. Nomen habet a WESSONE ac fontibus eius indicio detectis, qui adhuc copiose propinquis tribus locis e terra scaturiunt occultis meatibus. Fuit WESSO TASSILONIS II. *Bauariae* ducis filius, quem loci fundatorem P. *Coelestinus* LEVTNER, monachus *Wessofontanus*, in historia sui monasterii contra AVENTINVM facit, qui id a LANDFRIDO fundatum contendit. Hoc ex monumentis domesticis, auita traditione ac consensu auctorum ante AVENTINVM euincere vult, nec infantiam TASSILONIS, nec maiorem monasterii sui senectutem attendit: hisque fundamentis *Wessofontani* elapso anno 1753. millesimi anni a prima fundatione solemnitatem celebrarunt. De MSS. nihil opus est hic post PEZIVM, veluti etiam de aliis *Bauariae* monasteriis, referre. Antiquissimum est *Capitulare euangeliorum* sec. IX. a fronte lapidibus, auro, argento, ebore anaglyptico ornatum, in quo alia quidem manu diptycha sunt adscripta, ac sequens instrumentum traditionis pro serua seu ancilla: *Omnes Christi fideles nouerint, quod quidam nobilis vir nomine Volchmar tradidit ancillam suam nomine Sophiam ad Wescinesbrunnen ad altare sancti Petri apostoli cum iure summorum, qui ibidem serui sunt eiusdem apostoli. Pro dilectione ipsius*

ſius Sophiae, vt & ipſe gratiam DEI ſanctique Petri apoſtoli acquireret. Hi ſunt teſtes nobiles per aures tracti Hartmann, Adalprecht, Pereuuart, Routpreht, Durinch, Megingot, Weriant, Menuliber. Iſti ſunt teſtes ſerui ſancti Petri apoſtoli. Ecgolf, Hartmann, Waltfrit, Liutpolt, Engilmann, Adalman, Purchart. Anno dominicae incarnat. mill. L.VII. Indict. X. fer. IIII. Luna XX. XI. K. Nou. In dedicat. altaris eiusdem. Anno Heinrici regis IIII. traditio facta eſt.

Alia MSS. adhuc ſuperſunt ſeculo XII. a LVDOVICO praeſertim monacho, maximam vero partem a DIEMODE incluſa ſanctimoniali eleganti ſſime exarata, quorum catalogum LVDOVICVS in libro euangeliorum contexuit, a PEZIO & LEVTNERO editum. Ex quibus dudum complures ſunt deſiderati, tum alii, tum quos maxime expetieramus, liturgici nobis ad *Liturgiam Alemannicam* perutiles; monaſterio licet trans *Licum* ſito in *Boiaria*, ad epiſcopatum tamen *Auguſtanum* pertinente: notaturque in ipſo catalogo LVDOVICI monachi liber *Officialis cum baptiſterio, qui datus eſt epiſcopo Auguſtenſi.* Antea: *Liber Miſſalis cum Graduali & Sequentiis, qui datus eſt epiſcopo Treuerenſi.* Vnde patet, quo in pretio fuerit manus huius

bea-

beatae virginis; cuius ſepulchrum media in ecclesiae naui hodieque cernitur, atque etiam WELFONVM monaſterii reſtauratorum mauſolaeum, ſupra quod erecta ſtat antiquiſſima Crucifixi imago cum corona aurea, perizonio, clauis duobus in pedibus ſcamno inſiſtentibus. Eſt obſeruatum a theologis, *Albigenſes* in imaginum contemptum Crucifixum vno clauo utroque pede ſuffixo pingere ſolitos eſſe. Quod ſi verum ſit, mirum videatur, vſum iſtum tam inoleuiſſe proximis apud nos ſeculis.

Pollinga.

In vicina monaſterio *Weſſofotano* canonia regulari *S. Auguſtini Pollingana* picta Crucifixi imago haud abſimilis colitur, niſi quod diadema in capite *Orientis* more efficta videatur; ac longe antiquior cenſetur, quae terris effoſſa ſubito caſu fundationi monaſterii locum dederit, factae itidem a TASSILONE. Imaginem illam ex *Oriente* ſub imperatoribus iconomachis in *Boiariam*, vbi frequentes tunc *Graeci* furore illo expulſi aduenerint, allatam tradi, retulit mihi Reu.mus Praepoſitus, a quo anno praeterito prodiit *Succincta Informatio de Canonia Pollingana ex authenticis domeſticisque monumentis ac documentis eruta.* Doctiſſimus hic

Praeſul, quem viuam etiam bibliothecam merito dixeris, de rebus eruditis prompte colloquitur, bibliothecam ſuam optimis libris ex *Italia* etiam & *Gallia*, quibus in regionibus eidem cum celebribus viris commercium litterarium intercedit, inſtaurare non ceſſat, vt vix vlli monaſteriorum *Germaniae* bibliothecae, ſelectum quod ſpectat librorum, cedat. MSS. licet iam PEZIVS notauerit, pleraque recentioris aeui papyracea eſſe, mihi tamen *Euſebius* AMORT, editis tot libris celebris, ac venerabilis nunc decanus codicem inſignem Canonum ſec. IX. oſtendit. In quo id ſingulare eſt, quod ante canones concilii *Sardicenſis* quoddam concilium *Nicaenum* 29. epiſcoporum habeatur a generali *Nicaeno* diſtinctum, in quo inter alios canon ille, iam olim a PP. *Africanis* vexatus, de adpellatione ad ſummum Pontificem habetur. Notabilis etiam eſt *Io. Baptiſtae* FIVLERI *Hiſtorica deſcriptio Concilii Tridentini* autographa manu. Alia complura inedita abs ſe collecta ſolertiſſimus AMORTIVS mihi oſtendit, cui DEVS vitam proroget ac vires, vt haec aliaque orbi litterario poſſit inferre opera.

Benedictobura.

Aegre tandem a doctiſſimo alloquio AMORTII auulſi, ad monaſterium *Benedicto-Buranum* con-

contendimus, nihil mali nobis praeſagientes ex caſu, quem MABILLONIVS acerbe in *Itinere* ſuo *Alemannico* narrat. Importuno enim, ſi quod vnquam fuit, tempore *Gallici Turcici*que belli hoc iter dum adiit, pronum fuit aliquid accidere, quod non tam moribus *Germanicae* nationis vniuerſim, quam ſtudiis & temporum iniquitatibus adſcribi potuerat. Sane nos a R.mo abbate, Congregationis *Bened. Bauaricae* ſub tutela SS. Angelorum praeſide, humaniſſime excepti, promptiſſime ad manus habuimus, quae inſpicere auebamus tam in archiuio, quam bibliotheca, quae prudentiſſimo conſilio, ſeorſim a reliquis aedificiis, ſunt vno tecto ſibi iuncta. Deducti eo fueramus a profeſſoribus, qui illuc paullatim confluxerant ad commune totius congregationis inſtituendum ſtudium, prout per temporum vices ac pro locorum commoditate ab vno monaſterio ad alterum transferri ſolet.

Manuſcripta magna copia bene ordinata reperimus, facem accendente diligentiſſimo PEZIO, cuius manum ac operas haud raro deprehendimus, qui cum forulos omnes luſtraret, rariora quaeque vel notauit, vel edidit, etiam antiquos MSS. catalogos, tum breuiorem librorum, quos KISYLA, ex regali *Francorum* ſtirpe,

monialis *Cochalensis* huic primum monasterio obtulit, vnde postea in *Benedicto-Buranam* bibliothecam transierunt, tum copiosiorem, circa annum MCCL. scriptum; ipseque PEZIVS alios adhuc notabiliores adnotauit, ex eoque P. ZIEGELBAVR, & LEGIPONTIVS in *Historia litteraria Ord. S. Bened.* Vnde atque ex ipsa perlustratione patuit, inter ditissimas in hoc genere codicum hanc bibliothecam iure censeri, vti inter antiquiora ac opulentiora habetur monasteria, quae his etiam thesauris, nisi fatalibus casibus consumti essent, abundare solent.

Gloriantur hi fundatoribus, quos alii detrectant, LANDFRIDO, WALDRAMO, & ELILANDO, vnacum germano suo GVNDRAMO & sorore GAILSVINDE, qui viri clarissimi tam virtutum, quam diuitiarum dignitate inclyti, *primates regni*, *regis consobrini* in antiquis monumentis dicuntur; CAROLOMANNI putat auctor chronici *Benedictoburani P. Carolus* MEICHELBECK, auctor etiam historiae *Frisingensis*, ac aliorum operum; quamuis editor P. *Alphonsus* HAIDENFELD fateatur, nullam nobis satis certam ex antiquitate relictam huius rei notitiam; vti nec de determinato fundationis anno, quam anno DCCXL. iam factam fuisse MABILLONIO haud est visum; dum contra eo ipso

anno

anno integrum aedificium abſolutum fuiſſe, omnes chroniſtas conuenire teſtatur laudatus editor, exiſtimatque LANDFRIDVM hunc citius, & forte iam anno DCCXXXIII. quo, ſuadente D. BONIFACIO, monaſterii ſtructura coepta videatur, aulae nuntium miſiſſe: qui, vnaque alii, ſuperius recenſiti, fundatores monaſtica veſte a D. BONIFACIO in ipſa eccleſiae, a ſe conſtructae, dedicatione donati fuiſſe perhibentur; quod adfigendum foret tempori, quo S. BONIFACIVS *Boiariam* ſubiit circa an. DCCXL.

Tegernſee.

Haud abſimilis fuit *Tegernſeenſis* monaſterii, totius *Bauariae* facile principis, quo nos *Benedictobura* contulimus, origo, ALBERTO & OTKARIO fundatoribus: quae in antiquiſſima hiſtoria fundationis monaſterii *Tegernſeenſis*, auctore, vt viſum eſt PEZIO, FROVMVNDO coenobita *Tegernſ.* ſec. X. ad annum DCCXLVI. refertur. „ Euolutis (ita hiſtoriam illam auſpica„ tur auctor) antecedentibus temporibus, quo„ uſque inſtaret annus Dominicae Incarnationis „ ſeptingenteſimus quadrageſimus ſextus, cum „ S. BONIFACIVS, *Moguntiae* ſedis archiepiſco„ pus auctoritate ZACHARIAE, *Romani* Pontificis, „ & conſenſu PIPINI principis, terminos epiſco„ patuum diſtribueret, & venerabiles viros BVR-

„ CHAR-

„CHARDVM *Herbipolenſi*, WILLIBALDVM *Eyſten-*
„*tenſi*, GAIBALDVM *Ratisponenſi*, IOANNEM *Salz-*
„*burgenſi*, ERINBERTVM, fratrem ſancti CORBI-
„NIANI ſucceſſoremque eiusdem, *Friſingenſi* ec-
„cleſiae praeficeret, & monaſteria monachorum
„ac ſanctimonialium plurima in *Germania* ſuo
„conſilio & auxilio fundata fuiſſent, erant in
„partibus *Noricorum* duo fratres ALBERTVS &
„OTKARIVS ex patre *Burgundi*, ex matre *Ba-*
„*uari* . . . hi erant praedicto regi PIPPINO,
„CAROLI magni patri conſanguinitatis affinitate
„proximi ac prae caeteris fide & conſilio pro-
„piores . . . cumque huius mundi opibus v-
„bertim adfluerent videntes in praediis ſuis iux-
„ta lacum *Tegrinſe* locum ad diuini ſeruitii cul-
„tum idoneum, in quo baſilicam in honorem
„domini Saluatoris conſtruxerunt: deinde ſil-
„uam, quae locum & lacum plurimum valla-
„bat, cum omni diligentia eradicantes, mona-
„ſterium cum aedificiis ſufficientibus vſibus mo-
„nachorum continuo iuxta praedictam baſili-
„cam fundare coeperunt.„

Refert deinceps ALBERTI & OTKARI *Romam* ſuſceptum iter, adlatum inde corpus S. QVIRINI M. depoſitumque in nouam eccleſiam *Tegernſeenſem*, dum dedicaretur; monachatum item ALBERTI & OTKARI, quorum ille primus abbas fuit. Vtriuſque ſepulchrum,

ſed

ſed recentioris operis, in eccleſiae naui conſpicuum eſt, vti etiam B. ELLINGERI abbatis ſec. XI. cuius non ſolum apud *Tegernſeenſes* ſancta eſt memoria, ſed etiam in vicinis monaſteriis, praeſertim *Benedictoburano*, quod reformauerat. Vidi in bibliotheca *Tegernſeenſi* codicem euangeliorum, litteris vncialibus totum elegantiſſime perſcriptum ab ELLINGERO abbate, qui fuit electus 1017. vt in fronte libri adnotatum eſt manu ſec. XIV. Collectio canonum ſec. XII. a canonibus apoſtolorum ſic orditur: „Incipiunt eccleſia„ſticae regulae ſanctorum apoſtolorum prolatae „per CLEMENTEM pontificem, quae ex graecis „exemplaribus in ordine primo ponuntur, qui„bus quamplurimi quidem conſenſum non prae„buere facile, & tamen poſtea quaedam con„ſtituta pontificum ex iſtis canonibus adſum„ta eſſe videntur.„ Pro collectione mea veterum auctorum de muſica eccleſiaſtica multa hic, vt ſemper ſperaram, reperi, ipſiusque *Ioannis* KECKII, de quo multa PEZIVS, ac complura adhuc ſuperſunt opera inedita, praeſertim concilium *Baſileenſe* concernentia. Quod vero aliquid de muſica ſcripſerit, nec ipſis *Tegernſeenſibus* fuit cognitum, donec curioſius ſcrinia euoluens id detexi: quod Reu.mum abbatem grandaeuum (cuius iubilaeum ſacerdotii paucis ante meum aduentum hebdomadibus fuit ſum-

ma

ma pompa celebratum) multum oblectauit, meisque ſtudiis conciliauit; cum principio, PEZIVM iam omnia exhauſiſſe, ſaepe repetens, ad inſtantiores petiones meas vetera perſcrutandi monumenta mihi paulliſper alienus eſſet viſus.

Salisburgum.

Ingens me deſiderium tenuit adeundae vrbis *Salisburgenſis*, veteris *Iuuauii*, mutato nomine ab adluente fluuio *Salza*. Eſt hic percelebris academia *Benedictinorum* Patrum, in qua ab haud longo tempore liberales artes & ſcientiae florem acceperunt. Multus mihi mox poſt aduentum meum cum Rectore vniuerſitatis P. ZALLWEIN fuit ſermo de ſtudio iuris eccleſiaſtici, ſerio & diligenter a noſtris tractando, dum illud iſto tempore omni ex parte laceſſitur, atque illi, qui ius dicunt, tam auide principia amplectuntur eorum, qui poſtrema hac aetate ſtatum eccleſiaſticum peſſumdederunt. De genuinis iuris eccleſiaſtici fontibus egregia ſcripta in lucem publicam edidit P. Rector, prius iuris canonici profeſſor in academia *Salisburgenſi;* dolendumque, virum eruditum & ſtrenuum variis curis a proſequendo inſtituto reuocari.

Alte-

Altero die MS. antiquiſſima bibliothecae monaſterii *S. Petri* luſtrauimus, de quibus plura MABILLONIVS & PEZIVS, ille in *Itinere Germanico*, hic in *Iſagoge ad theſ. nou, anecd.* Ab humaniſſimo abbate, olim profeſſore philoſophiae academico, ad inſtructiſſimum ordinatiſſimumque archiuium etiam ſumus deducti. Inde archiuium archiepiſcopale acceſſimus: cui adiecta eſt bibliotheca, in qua inter varios codices liturgicos auro picturisque ornatiſſimos ſec. potiſſimum XIV. & XV. *Euangeliarium* ſec. X. reperi. Inſignis cumprimis eſt *Codex traditionum* ſec. etiam X. circiter.

Inde ad archiuium & bibliothecam MSS. capituli metropolitani dum conceſſimus, mirum eſt, qua humanitate ab ill.mo Decano comite de ZEIL ſimus excepti, qui & tunc temporis, & poſtea cum *Vindobonae* agerem, atque etiam litteris ad monaſterium reduci miſſis, nihil non egit, vt mei ad dirigenda ordinandaque monumenta vetera copiam impetraret. Quod quidem facile ſuſcepiſſem, ſi per me resque meas, non ita multo poſt in alium ſtatum mutatas, licuiſſet. Leui ſaltem tum brachio theſaurum praeſtantiſſimum antiquiſſimorum monumentorum peruoluimus. Rariſſimus inter MSS. codd. eſt *Scotice* ſcriptus cum inſcriptione

ne ✠ *Cutbercht ſcripſit iſta IIII. euangelia praecat nos omnia oramus pro anima ſua.* Praemittitur canon, ac capitula in MATTHAEVM, MARCVM, LVCAM, IOANNEM &c. Incipit praefatio euangelii. Singulis euangeliis praefixa eſt pictura non inelegans. Forte codice hoc vſus ſit S. RVPERTVS, eumque ſcripſerit S. CVTBERTVS archiepiſcopus *Cantuarienſis*, cuius epiſtolae inter S. BONIFACII M. extant. Alter ſeculi VIII. codex ſermonum inſcribitur: *In nomine Patri & Filio & Spiritui ſancto incipiunt commentarium de ſingulas lectiones orthodoxorum atque Catholicorum.* Sequitur *Lectio prima de aduentum domini die octabo ante natale domini.* Sanctam, deſiderabilem atque glorioſam &c. *Sermo S. Auguſtini de natale Domini &c. &c. Dydimi de Theophania. S. Auguſtini de Quadrageſima &c. S. Fulgentii de Symbolo ab eo, quod ait, Proximum autem erat Paſcha Iudaeorum.* Abhinc ſequuntur homiliae in Euang. *Sermo S. Auguſtini de die Paſchae &c. &c. Item homelia XXXIIII. dōm Gregorii. Sermo S. Auguſtini de natiuitate S. Io. Baptiſtae. Sermo S. Auguſtini de natali beatiſſimorum Petri & Pauli. Item eiusdem Sermo de eorundem paſſione. Item eiusdem ſermo de eodem. Sermo S. Auguſtini de natali martyrum. Item eiusdem ſermo de natali MM. Item ſermo de martyribus.*

tyribus. Homelia in natali omnium virginum. Omel. lect. eiusdem in natale omnium apostolorum, vel in conuentu episcoporum. Codex sec. IX. vel X. BALDONE curante scriptus, ARCVLPHI episc. de locis sanctis *Hierusalem.*

Hunc humilis librum fecit perscribere Baldo

Reddat in aeternum mitis cui proemia Christus.

„Orditur praefatio libri ARCVLPHI episcopi maxime de locis sanctis *Hierusalem.* ARCVLPHVS „episcopus gente *Gallus* diuersorum longe remotorum peritus locorum verax index, & satis idoneus in *Hierosolymitana* ciuitate per „menses VIIII. hospitatus & loca sancta cotidianis visitationibus peragrans mihi ADOMNANO haec vniuersa, quae infra craxanda sunt „experimenta diligentius percuntanti & primo „in tabulis describenti fideli & indubitabili narratione dictauit, quae nunc in membranis „breui textu scribuntur.„

Eiusdem aetatis codex inter alia epistolam S. HIERONYMI ad SVNIAM & FRETELLAM continet cum titulo: *Incipit psalterium, quae de septuaginta interpretum editione corrupta sint.* Alius coaeuus habet S. HIERONYMI epistolas quasdam, & librum *Hebraicarum* quaestionum. In alio suppari habentur epistolae & tractatus ali-

aliqui S. HIERONYMI. Epiſtolae S. GREGORII 55. quarum vltima *Epiſtola miſſa in Bauariam de diuerſis cauſis contenens capitula XIII.* Nempe GREGORII II. Codex, ſcriptus charactere *Francico*, continet varias formulas epiſtolarum, inter alias ad TASSILONEM ducem, & VIRGILIONEM (VIRGILIVM) epiſc. Alius eiusdem characteris S. CYRILLI *Alex.* epiſt. ad monachos. Item ad NESTORIVM. COELESTINI ad CYRILLVM. NESTORII ad COELESTINVM. Acta ſynodi *Epheſinae.* Codices plures ſeculi X. quibus varia SS. PP. HIERONYMI, AVGVSTINI, GREGORII, BEDAE, ALCVINI continentur. S. GREGORII *libb. Moralium* vſque 34. Homiliae S. CHRYSOSTOMI in MATTHAEVM. OROSII Chron. RHABANI ſuper MATTHAEVM libb. IV. Nouellae IVSTINIANI. HIERONYMI comm. in *Ezechielem* &c. Eiusdem tractatus ſuper libro pſalmorum. In euangelia. Catena in quatuor euangelia. S. AVGVSTINI de ſymbolo contra *Iudaeos.* De fide & operibus. ALCVINI opera varia. ADOPTVLI de tonſura & veſtitu clericorum, & monachorum. LAVRENTII liber de duobus temporibus. Codex perantiquus, ſed mutilus, inter alia continet expeditionem in terram *Sclauorum*, in terram *Becheim* per *Burgundos, Baiuarios*, & *Alemannos.* Item in *Corſicam.* Refertur deinceps eclypſis *Lunae*, & tranſitus *Iouis*

per

per *Lunam*, *Mercurii* per *Solem* ad an. 806. Sec. X. circiter glossae *Latino - Theotiscae* habentur alio in codice in canones apostolorum, & conciliorum: in epistolas summorum pontificum: in libros dialogorum & alios S. GREGORII: in lectionarium: in vitas Patrum: super focum. In fine legitur:

Adollioz glossam tibi Heripato donat istam.

Glossa super prologum historiae ecclesiasticae. Sec. porro X. collectio canonum SIRICII, LEONIS &c. vsque ad GREGORIVM iuniorem. Sec. XII. IVONIS *Carnotensis* collectio canonum. Apographum litterarum EVGENII P. qua archiepiscopum *Salisburgensem*, episcopos, & abbates eiusdem prouinciae vocat ad concilium *Trecis* celebrandum Dominica *Laetare*. Datae *Altisiodori* III. Id. *Octobr*. Sec. XII. regula parua S. AVGVSTINI, cui subiungitur epistola P. ad R. (quae nomina aliis diuinanda relinquimus) ecclesiae *Sprinberbacensis* praepositum, & eius fratres, de moderatione regulae circa officia, ieiunia, laborem manuum &c. Item mandatum eiusdem, vt fratres contumaces ex ordine emittantur. Regula S. AVGVSTSNI prolixior. Ad calcem cuiusdam codicis sec. XIII. exhibetur catalogus breuis librorum *Salisburgensis* ecclesiae. Eiusdem aetatis sunt MSS. IVONIS *Carno-*

tensis epistolae CCII. cum indice in fine, & versibus *Leoninis* ac distichis in laudem IVONIS. ODDONIS sermones de tempore & de Sanctis. In fine extat fragmentum sermonis IOANNIS de *Villa* abbatis. Fr. IOANNIS *Walensis* Ord. Min. collectiones de gubernatione reipublicae. In alio PETRI *Remensis* bibliotheca metrica seu *Aurora* ab AEGIDIO *Parisino* in ordinem redacta. Eiusdem aeui summa BERNARDI episcopi *Trauentini* super decretalibus ab eo compilatis. In alio BENEDICTI XII. constitutiones de monachis & ecclesiis cathedralibus. Scriptum vidimatum a notario an. 1338. In cod. sec. XV. epistola SOLDANI ad papam contra PHILIPPVM regem *Francorum* & alios regulos. Eiusdem epistola ad CAROLVM *Hungariae* regem. Codices huius bibliothecae vniuersim sunt 387. ex quibus membranacei 332.

Ratisbona, cum Austriae Monasteriis.

Longe adhuc amplior est thesaurus manuscriptorum codicum, etiam praestantissimorum inde ab octauo vsque, potissimum autem nono seculo, in bibliotheca monasterii S. EMERANI *Ratisbonae*. Codices vltra nongentos hic reperi, quorum catalogus prodiit an. 1748. Exactiorem vero cum suis etiam eruditis parat

ob-

obſeruationibus P. *Frobenius* FORSTER, qui a multis annis Prioris ſimul ac bibliothecarii munus obiit, amicitia mihi dudum coniunctiſſimus (valde autem timeo, ne nunc temporis in abbatis & S. R. I. Principis dignitatem ſuffectus tam cito & facile ſtare poſſit promiſſis.) Iuſtum vero his rebus ſuis ac cimeliis *San-Emeramenſes* ſtatuere nouiſſe pretium tum iam, cum paſſim apud noſtrates minus curarentur, declararunt, reiecta conditione a rege *Galliarum* LVDOVICO XIV. poſt MABILLONII iter *Germanicum* oblata, optioneque, quae vellent edita tunc in *Galliis* tam inſignia, ſplendida, vaſtiſſimaque opera pro ſingulis codicibus MSS. permutandi.

Exemplo *San-Emeranenſium* catalogos Mss. typis ediderunt *Lunaelacenſes* & *Mellicenſes* ſodales; atque hi quidem ſtudioſius, accuratiusque opera P. *Martini* GROPP; tantum quod numerum Anonymorum *Mellicenſium* mirum in modum auxerit: nimirum quorum paſſim operum auctorem in MSS. deſiderauit, ſuis fere adſcripſit, quod non vno exemplo deprehendi, dum illic aderam, redux ex *Italia Auſtriae* bibliothecas perſcrutatus. Neque vſpiam gentium tam egregia monumenta tum pro *Liturgia Alemannica*, quam etiam *Hiſtoria muſicae*

 eccle-

ecclesiasticae, scriptoresque de re musica inueni, quam in caesarea *Vindobensi* bibliotheca clementia Augustae Imperatricis, indulgentia illustris VAN-SVIETENII, atque singulari erga me humanitate beneuolentiaue doctissimi COLLARII, primi bibliothecae custodis, qui iam totus in eo est, vt coeptos a LAMBECIO commentarios in manu exaratos codices Augustae bibliothecae *Vindobonensis*, perfectos, retractatosque, quam amplissimos edat. Praetereo reliquas praeclaras *Austriae* bibliothecas monumentis antiquis refertas, praeprimis *Lambacensem*, *Gottwicensem*, *Neoburgensem*, quas lustrauimus, atque *Zwetlensem*, a qua adeunda nos animus abbatis, quem *Vindobonae* sumus experti, reuocauit.

Vnum hic in gratiam rei antiquariae studiosorum commemoro, acerbitatibus temporum tribuendum, quod celebratissimum Reu.mi BESSELII abbatis chronicon *Gottwicense* integrum haud prodierit, prout typis paratum eo in monasterio reperi: cuius operis integer adhuc tomus secundus rem diplomaticam *Germaniae* prosequitur, alteram chartarum speciem minus principalem, chartarum nimirum priuatarum, quae a MARCVLPHO in formulis nuncupantur *pagenses*, quarum extrinsecam faciem & stilum

intrin-

intrinſecum liber IV. conſiderat. Liber V. tractat de ducibus & comitibus *Germaniae* mediae aetatis per quinque maiores eiusdem prouincias. Quo ſenſu accipi poteſt locus LVITPRANDI *lib. II. hiſtor. cap.* 7. dum ſub CONRADO I. quinque potentiſſimos principes, ARNOLDVM in *Boiaria*, BVRCHARDVM in *Sueuia*, EVERHARDVM, comitem potentiſſimum in *Francia*, GISELBERTVM ducem *Lotharingiae*, & demum HENRICVM in *Saxonia* nominat. Reperiuntur complura quinquenarii huiusce veſtigia in aliis regni negotiis, electionibus præcipue imperatorum, *Lotharingiae* loco paſſim *Burgundia* nuncupata. De *Germaniae* diuiſione plura in liturgia *Alemannica*; nunc in *Bauariam* redimus, eiusque metropolim.

Monachium.

Vano timore eo nos contulimus, dum memoriae occurrit, MABILLONIVM, licet inſtructum commendatitiis illuſtriſſimi *Meldenſium* epiſcopi, atque ipſius praeſentis oratoris regii extraordinarii, ob abſentiam tamen Electoris ad bibliothecam electoralem non fuiſſe admiſſum. Vix non eodem momento forte fortuna ac ego, Reu.mus praepoſitus *Pollinganus* inſignis ſtudiorum meorum fautor aduenerat ad

diei vesperam, dum proximo mane ipsus me ad bibliothecarium electoralem Dominum OEFELIVM deduxit, virum diligentissimum in colligendis anecdotis *Bavaricis*, quorum duos iam tomos typis commisit, alterum ex parte, alterum omnino perfectum, cum copiosissimo accuratissimoque indice, propria sua industria confecto. Qua collectione vtilitati communi optimo consilio concedit reconditos thesauros bibliothecae praesertim electoralis. Mihi vero ad meum institutum tam graeca, quae in hac bibliotheca prostant, quam latina MSS. ad liberum obtulit vsum, quotidie etiam, cum *Monachii* degerem, facillimum ad bibliothecam tribuit, quando, & quamdiu lubebat, accessum. Dum primum ipsum conueni, inueni illic aliunde iam mihi notum D. LORIVM, professorem olim *Ingolstadiensem*, nunc a variis Electoris consiliis inter primos efflorescentis academiae litterariae *Bauaricae* promotores, cui a secretis hactenus fuit, sed cum muneri ob varias occupationes vacare non posset, id P. *Ildephonso* KENETI *Benedictino Scoto* ex monasterio *Ratisbonensi* est iniunctum, qui in nouo insigni palatio, quod *Fuggerianum* dicitur, custodiae commissa habet physica ac mathematica armaria, queis in scientiis peritissimus est: in eisdemque ac historia occupatur laudata academia *Bauarica*,

quae,

quae, quo ipſo tempore *Monachii* fui, ſuo in ſenatu, qui ſingulis hebdomadibus bis congregari ſolet, praemia ad praepoſitas quaeſtiones, alteram naturalem, alteram hiſtoricam decreuit duos nummos aureos, quorum quisque 50. aureos nummos valet, duosque argenteos. Oblatum mihi inter membra academica locum non potui detrectare, vti & poſtea regalem nummum.

Mons ſanctus Andechs.

Monachio nos ad montem ſanctum *Andechs*, qui illuſtriſſimae comitum fundatorum familiae nomen dat, aduenimus tandem, iam fere deſperabundi concubia nocte, quod deerrantes itinere, quo veheremur pariter cum vectore ignoraremus. Et ecce procul in editiore loco rutilantia conſpicati lumina, veluti coelitus praelucens aſtrum, ſuſpeximus, montemque dum attigimus laete ipſiſſimum *Andecenſem* inuenimus. Quo conſcenſo humaniſſime a ſodalibus accepti ac refocillati, altera die, quae erat dominica feſti anniuerſarii Reliquiarum pro more noſtri Ordinis, id eo maiore religione hic celebrandum duximus, quo ſunt auguſtiora in hoc loco ſacra huiusmodi lipſana. Non tamen integro hic ſubſtitimus die, ſed poſt peracta

Sacra obeuntes bibliothecam, libris optimis, argumenti praesertim historici instructam, dum MSS. indagaremus, ad sacrarium deducti, post inspectas tres capellas, in quibus habentur sacrae reliquiae, quarum vna duabus clauibus Electoris *Bauariae* & monasterii clausa eminus tantum patet, exhibitus nobis est *Liber Sacramentorum*, noni vel decimi seculi, religiosissime inter sacra cimelia seruatus in pretiosa capsa, indeque non paucis in nostra aduersaria relatis, discessimus, iterque ad *Licum* nostrum carpsimus.

Aquarum inundatione prohibiti, celebre monasterium *Diessense* Can. Reg. praeteriuimus, perque *Wessofontanum* ad *Steingadense Ord. S.* NORBERTI perreximus, quod an. 1147. *Bauariae* duces, GVELPHO *Sextus*, & cognominis filius eius, erexerunt ad *Licum*, montibus circumquaque fere cinctum. Ibi postquam pernoctauimus, humanissime habiti, summo mane ad sacrum faciendum deducti sumus in locum, horaria leuca distantem, vulgo *auf der Wiß*, seu *ad Pratum* dictum, qui non multis abhinc annis ingenti hominum frequentia celebratur, ad imaginem *flagellati Christi Domini* confluentium. Non sine inspiratore piarum mentium superno actum piis ac sagacibus videtur, tam

fre-

frequentes in defertum tam fubito conuolare populos. Vult DEVS, quantum coniicimus, etiam, quin praecipue, tandem aliquando myfteria paffionis dominicae vera folemniter coli.

Faucenfe Monafterium.

Nauicula traiecti *Licum* loco tuto, ob aquarum inundationem ex continuis pluuiis, in littus *Alemannicum* expofiti fumus. Ad quod profecti, poft duarum horarum iter ad monafterium *Faucenfe* peruenimus, in editiore oppidi loco, olim *Abufiacum*, feu *Abufacum*, *Abuzacum*, ad *Licum* fluuium inter montium anguftias fitum, vnde *Fauces*, ac *Faucenfe* monafterium nomen habet vulgo *Fueffen*, quod EKKEHARDVS *iunior* de cafibus *S. Galli*, monachos noftros imperite *Fauces* reddidiffe dicit. De fundatione huius monafterii vulgati ifti habentur verfus:

Coenobium Fueffen regali dote Pipinus
Fundauit Sancti permotus numine Magni
Vaftatum caefar reparauit Carolus idem,
Atque Auguftana Simpertus praefùl in vrbe:
Auftriacae pofthaec Leopoldus marchio terrae
Guelpho Sueuorum dux ampliter augmentarunt.

Quisquis PIPINVS ifte fit, monafterii ortus vulgo repetitur a facellulo, quod adhuc ad latus ecclefiae maioris oftenditur, a S. MAGNO in honorem

rem S. Saluatoris extructo, vbi cum discipulis suis diuinas laudes celebrasse traditur. Huc ego adueniens, cum adhuc quaedam diei horae superessent, a Reu.mo Abbate in bibliothecam admitti rogaui, quorsum ab eodemmet deductus, dum manuscripta perlustro, reperi, quod iam MABILLONIVS notauit, recentiores esse plerosque codices. Ex quibus postquam nonnulla excerpsi, in crastinum discessum paraui, quod aegre ab humanissimis sodalibus obtinui. Interim ingruens hyems ac tempestas dubia, reditum vt domum maturarem, omnino postulauit. Iter vero ad coenobiolum *Reuthense* direxi, quo diutius in negotio canonizationis B. ELISABETHAE fueram commoratus. In via paullum diuerti *Aulendorffii* comitum de KÖNIGSECK sede, vbi muro ecclesiae illatum reperi epitaphium:

EDONE CONIVGI SABINIANO IN PACE.

cum monogrammante Christi. EDONEM celebrant *Aulendorffenses* martyrem & virginem, cum epitaphium SABINIANO sit positum coniugi.

Weingarten.

Inde dum monasterium *Weingartense* mox iterum discessurus obeo, a Reu.mo Abbate facile sum detentus, narrante mihi, dum rogatu meo ac multa obtestatione indagandis formulis

mulis *Andegauenſibus*, quas ex codice *Weingartenſi* edidit MABILLONIVS noſter, incumberent, cum codice illo, in quo ante formulas iisdem litteris *Semi-Merouingicis* codex *Theodoſianus*, ſi recte memini, continetur, magnnm numerum MSS. ſubito caſu fuiſſe repertum, quos cum aliis ordinandi ardor atque coaptandi ad formandum bene catalogum, quem edere propoſitum habet Reu.mus Abbas, facile frigoris moleſtiam non modicam vicit.

Weiſſenau.

Inde diſcedentes, atque vt die dominico idoneum ſacris operandi locum haberemus, apud vicinam *Augiam candidam*, ſeu minorem, vulgo *Weiſſenau*, diuertentes, quemdam etiam adparatum MSS. inuenimus, quorum potiſſimam partem deſcriptam leges apud *P. Ludouicum Carolum* HVGO *S. Norberti* Canonicum *Æſtiualenſem* in *Lotharingia*, *T. II. Annal. Norbertin.* miraturque, innumerabiles pene & omnigenae ſcientiae libros, ſcriptos vt plurimum in pergameno, euaſiſſe e tot calamitatibus, quas tumultuantes ruſtici, & deuaſtatores *Sueci* in *Sueuia* ſuſcitarunt. *Augia candida* ſeu minor primo eremitarum BRVSCHIO dicitur ſedes, poſtea vero GEBIZONE *de Wiſenburg* opulentiſſimo milite, & LORCARDA ſorore eius, HENRI-

CI

ci militis ex *Asenhusen* coniuge, dotem suppeditantibus, in praeposituram, deinde in abbatiam Ord. *Praemostratensis* adoleuit an. 1145. Conrado rege III. Evgenio III. pontifice. Msc. quaedam hic reperimus aetatem hanc non parum superantia; pulcherrimum imprimis codicem legum *Alemannicarum* sec. IX. vel. X. cum collectione Ansegisi, in multis diuersa ab editione Balvzii & Georgischii. Seruatur ibidem anonymus in psalmos sec. XII. Inc. *Quoniam illo auxiliante sine quo omnis actio & intentio cassa est &c.* Fin. *Omnis spiritus id dicitur non caro, non sanguis, non corruptio, sed homo spiritualis: nam secundum carnem mors est.* Alia expositio in psalm. sec. XIII. Inc. *Cum omnes prophetas Spiritus sancti reuelatione constat esse locutos.* Fin. *Vitae aeternae vox est, omnis spiritus laudet dominum.* Eiusdem sec. anonymus in Marcvm. Inc. *Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam Is. X.* Fin. *Ista signa debent sequi praedicationem, primum compunctio auditorum, secundum conuersio peccatorum, tertium confirmatio iustorum.* Nonnullorum codicum, qui vsui esse poterant, copiam haud grauate fecit R.mus D. Praepositus. Eandem gratiam cum Excell.mus D. Abbas *Salemitanus*, ac passim alii etiam praesules ac biblothecarum custodes alibi fecerint, ouans prospero itineris successu domum redii.

ITER

ITER
ITALICVM
ANNIS
MDCCLXI. MDCCLXII.
INITVM.



AD

Summe Reuerendum ac *Illuſtriſſimum*

IOSEPHVM

COMITEM DE GARAMPI,

Canonicum ad S. PETRVM in Vaticano,

SANCTITATIS SVAE Secretiorum

Archiuiorum praefectum.

Iucundiſſima mihi ſemper erit recordatio doctiſſimae, amiciſſimaeque Tecum conuerſationis in *Germania*, cum & iterato meo me in muſaeo inuiſeres, liceretque Tecum mihi pagos quosdam *Hercyniae*, *Heluetiae*, ac *Brisgoiae* obire. Omnium vero maxime delectat

 inopi-

inopinatus in monasterio *Mellicensi* occursus. In *Gallias* abieras, cum ego *Italiam* peterem. Nihil non egeras, vt Te reduce *Romae* adhuc essem; ego vero cogitabam *Vindobonae* Te conuenire; quam ne in itinere Tuo praeterires principem *Germaniae* vrbem auctor eram. Iam eo ego in itinere *Salisburgo* excesseram, dum postero die illuc me inscio aduenires. Edoctus vero quem incederem cursum; presso me insecutus pede apud *Mellicium* subito ades, inque amplexus ruis. Societate itineris inita vrbem ingredimur, bibliothecam augustam indiuidui frequentamus continuos dies, donec Te *Italia* reuocaret. Habes iam, quod pollicitus tum fueram de itinere meo *Italico* perscribere. Neque vero post duumuiros nostrates MABILLONIVM & MONTEFALCONIVM in explicandis antiquis thesauris litterariis *Italiae* Te morabor. Suo etiam reseruabo loco ac tempori, quae

perampla

perampla ſane feci collectanea, ſpeciatim pro hiſtoria *Muſicae eccleſiaſticae*, graeca imprimis, palaeographia notarum muſicarum per duodecim ſecula deducta, deſcriptisque auctoribus ad ornandam collectionem ſcriptorum muſicorum ineditorum ad triginta vſque, quorum ſinguli, paucis exceptis Anonymis, aliunde in orbe litterario ſunt celebres viri. Solum mihi propoſitum eſt de illis fere loqui *Italiae* viris litteratis, quos ipſe conueni, ac familiares habui diuerſis in vrbibus. Id vero vni Tibi, illuſtriſſime Vir! inſcribendum fuit, qui ad pleroſque per *Italiam* Doctos litteras commendatitias mei cauſſa, quas ipſe deferrem, ſcripſeras. Vale. Dabam in *D. Blaſii* Id. *Febr.* A. R. S. MDCCLXV.

Oenipontum.

Ingreſſurus *Italiam Tirolim* obii, vbi *Anton.* Roschmannvs veterem *Veldidenam* poſt Lambecivm & Glvverivm in agro *Wiltinenſi* prope *Oenipontum*, non inuita nomenclatura, ſitam fuiſſe contendit, Lipsio, Scaligero, Grvtero in alia abeuntibus; imprimis Velsero pugnante pro ſua *Auguſta Vindelicorum*, quam non *Vindeliciae* ſolum, ſed *Rhaetiae* etiam vrbem principem facit, vtramque confundens prouinciam a prima origine *Auguſta*. Diſtinguit autem Roschmannvs ſingulari libro inſcripto *Veldidena vrbs antiquiſſima, Auguſti colonia, & totius Rhaetiae princeps, in tractu praecipue Wiltinenſi, & Oenipontano e tenebris eruta, & vindicata.*

Facile quidem Velsero *Auguſtam* Avgvsti coloniam, *Vindeliciae* principem relinquit, vt tamen *Veldidenam* ſuam illuſtriſſimam Avgvsti etiam coloniam, & totius *Rhaetiae* principem adſtruat, quae ſane in Antonini *Itinerario* apertiſſime ab *Auguſta Vindelicorum* diſtinguitur, *Auguſta Vindelicorum, Abutaco, Parthano*, *Veldidenam* numeratis paſſibus milliariis. Non ſemel etiam in *Itinerario* Antonini occurrit *Veldidena*. Superſunt cippi *Auguſtaei* ſine inſcri-

ptione,

ptione, quorum alter adhuc terrae inhaeret, alterum truncum in bibliotheca *Wiltinensi* Canonicorum *Praemonstratensium* S. NORBERTI videre est.

In area *Omerasensi*, vbi cimelia Augustae familiae *Austriacae* seruantur, lapides milliarii SEVERI & CARACALLAE visuntur, vnus apud *Wiltinenses* cum hac inscriptione sed mutila. IMP. CAES. LVCIO. SEPTIMIO SEVERO PIO PERTINACI AVG. ARABICO ADIABENICO PARTICO BRITANNICO P. MAX. T. P. III. IMP. VII. CS. II. P. P. PROCOS ET IMP. CAESARI. M. AVR. ANTONINO PIO INVICTO AVG. PARTICO MAXIMO BRITANNICO MA. TR. P. XVIII. IMP. III. P. P. PR. FELIC. PRINC. Id est *Patri Patriae Proconsuli Felici Principi.* Alter lapis est DECII, qui fuit Caesar an. Christi 249. IMP. CAES. CAIO MESSIO QVINTO TRAIANO DECIO PIO FELICI INVICTO AVG. P. M. TRIB. P. II. P. P. & MESS. DECIO & QVINTO NOBILISSIMIS CAESARIBVS AVGVSTI CAESARIS FILIIS MILLIA PASSVVM CXII. Ex milliaria columna DECII in musaeo *Veronensi* confirmatam accepi hanc lectionem. IMP. CAES. G. MESSIVS Q. TRAIAN. DECEP. (sic) P.

F. AVG. P. M. TRIB. POT. II. COS. II. P. P. Equidem non reſpondent millia paſſuum centum duodecim in noſtro illo lapide DECII, ſi *Veldidenam* ſpectes in *Itinerario* ANTONINI & *Tabula Theodoſiana*, vulgo *Peutingeriana*, ſed haec inter tempora DECII lapis eſt poſitus. Dolendum, lapidem SEVERI integrum non eſſe, propius ad ANTONINI aetatem accedentem. *Veldidenam* ab ATTILA, vt pleraeque *Germaniae* vrbes, dirutam eſſe, admodum veriſimile eſt, vt ex eius ruderibus paullatim *Oenipontum* ſurrexerit, veluti ex *Augusta Rauracorum*, par fatum ab ATTILA experta, *Baſilea* ſplendorem ad *Rhenum* accepit. Rudera murorum ſub terra, ſi paullulum effodiatur, in ampliſſimo campo paſſim ſeſe prodere, *Wiltinenſes* mihi renunciarunt, vrnas lacrimales, cineralesque, cineribus ac oſſiculis refertas cum fibulis, acubus &c. ex crematis cadaueribus meis oculis vidi, nummosque a CAESARE vſque VALENTEM.

Maulſa.

Inde conſcenſis *Rhaetiae* montibus in vico *Maulſenſi* marmor muro infixum offendi ad ipſam viam publicam, vbi ſpelaeum *Mithrae* fuiſſe tradunt, prout a IVSTINO M. TERTVLLIANO, & HIERONY-

RONYMO etiam *Mithrae* initiationes notantur, quae ſingillatim circum inſculptae lapidi *Maulſenſi* cernuntur. Innuitque haec ſacra ac cultum in his locis S. VIRGILIVS Epiſc. *Tridentinus* epiſtola ad IOANNEM vrbis *Cpolitanae* epiſcopum, CHRYSOSTOMVM ſcilicet, in qua martyrium SS. SISINII, MARTYRII & ALEXANDRI MM. deſcribit. Conſimilem lapidem vidi in muſaeo *Veronenſi* cum inſcriptione DEO INVICTO MITHRAE, quae in *Maulſenſi* deſideratur. Prope eundem lapidem alter muro inſertus eſt cum litteris inſculptis :

D. V. M.
AVRELIAE. RVFFINAE. MATRI.
AELIVS QVARTINVS.

Stertingae autem iſte :

V. F.
POSTVMIA. VICTORINA SIBI. ET TI.
CLAVDIO RAETICIANO.
GENERO. PIISSIMO.

Brixina.

Haec obiter a me viſa indico publica in via verſus *Brixinam*, vbi breui mora *Ioſeph.* RESCHIVM, auctorem annalium *Sabionenſium* conueni. Inter alia hic loci codex inſignis o-

ſtenditur traditionum *Brixinenſium* ſec. IX. in quo nominantur teſtes aliqui vocari ſoliti *per aurem tracti.*

Tridentum.

Inde *Tridentum* progreſſus, libenter inſpexiſſem lapidem, ad quem prouocat ROSCHMANNVS, indicem, ab AVGVSTO inſtauratam hanc eſſe regionem, viasque publicas, vt a STRABONE memoratur. *Tridentinum* illum lapidem a nonnemine in dubium vocatum, ROSCHMANNO teſte, vindicat *P. Benedictus* BONELLI, *Ord.* S. *Franciſci Reform.* tum pro aliis antiquitatibus *Tridentinis*, ſanctisque tutelaribus ac patronis eccleſiae *Tridentinae*, praecipue vero pro ſanctitate & martyrio ADELPERTI epiſcopi *Tridentini* ſec. XII. acriter decertans; cuius ſolemnem cultum iam eius ſucceſſor SALOMON ab ALEXANDRO III. impetrauerit, atque coaeua manu in celebri ſacramentario *Vdalriciano* fuerit adnotatus dies feſtus. Percupieram huius cum aliis compluribus inſignibus liturgicis codicibus, paſſim etiam ex *Alemannia* huc in bibliothecam cathedralem congeſtis, vſum facere pro liturgia *Alemannica;* quos R.mus ac Celſ.mus epiſcopus *Tridentinus* de meo aduentu monitus parari iuſſerat. Sed rebus tum

turbatis,

turbatis, dum ad meum reditum rem omnem differendam puto, interim moritur epiſcopus, ac codices omnes in caſtrum recluduntur.

Roboretum.

Turbas intelligo *Roboretanas*, quae nec quidem, me altero anno reduce, penitus erant ſedatae, ex morte *Hieronymi* TARTAROTTI commotae, qui cauſſae *Tridentinae* maxime aduerſatus, indignationem epiſcopi in ſe conuerterat, vt nec honores ferret, eius manibus a *Roboretanis* decretos. Sed enim

Sunt aliquid manes, letum non omnia finit
Lucidaque effictos effugit vmbra rogos.

vt canit PROPERTIVS, iuſtaque ea deberi, ſunt rati *Roboretani*, ciui de muſis patriis, ac bonis artibus bene merito, quae non minus ea in vrbe, quam ciuiles effloreſcunt, conſtituta etiam academia litteraria nonnullis abhinc annis, ſub auſpiciis Auguſtae Reginae *Vngariae*, vt palam eſt publicis ex litteris, quae vnaque leges academicae ſunt orbi litterario proditae in diariis litterariis *Florentinis*, *Mantuanis*, *Venetianis*, *Ratisbonenſibus*, *Hamburgicis*, *Luxenburgicis* vno eodemque an. 1754. quo fere tem-

pore me quoque in socium adoptarunt, qui iam plus 400. numerantur.

Verona.

Sunt plerisque in *Italiae* vrbibus societates litterariae, certis quibusdam nominibus insignitae; cuiusmodi est *Veronae*, quorsum recta *Roboreto* iter conuerteram, Philarmonicorum, composita ex choro doctissimorum huius vrbis virorum, cui nunc praesidet post ill. marchionem MAFFEIVM *Dominicus* VALLARSIVS, qui *opera* S. HIERONYMI *decem voluminibus* edidit, accessitque iam *primum volumen* RVFFINI *Aquileiensis presb.* vt alia taceam, quae partim in lucem prodierunt, partim in promptu sunt. Meditatur is *Historiam patriam sacram & profanam.*

Hoc clericis *Veronensibus* praeprimis laudi tribuendum, quod bonis litteris egregie incumbant, quos inter eminent presbyteri par nobile fratrum, *Hieronymus* & *Petrus* BALLARINI, suis indiuidui, ac indefatigati in studiis, quibus debemus editionem operum *S. Hilarii. S. Leonis. Vitam & sermones S. Zenonis episc. Veronensis. Vitam & constitutiones* GIBERTI *episc. Veron.* Nouam editionem operum S. RAYMVNDI.

S. AN-

S. Antonini cum notis ſeu praelectionibus. Cardinalis item *Noriſii.* Sub prelo nunc ſudant, eorum cura & ſtudio, *opera Ratherii Veron. epiſc.* Taceo, quae varia ediderunt, anonyma opuſcula contra Maffeium, *Probabiliſmum*, capitulum *Veronenſe*, quo in capite aduerſarium habent ill. March. *Io. Iac.* de Dionysiis, a quo varia opuſcula in lucem venerunt, quae ad nonnullos controuerſos epiſcopos, eccleſiaeque *Veronenſis* antiquitates ſpectant. Incepit ſcribere vniuerſim *de priſcis Veronae epiſcopis.* Affectum habet praeterea, *de viciſſitudine ac mutatione palaeographiae*, & *de Gothicae origine ac fato diatribam* in lucem emittendi. *Anecdota* etiam *acta SS. primorum MM. ſiue apogrypha, ſiue ſincera* ex codice fere millenario capituli *Veron.* Cui praeeſt pariter ac bibliothecae capituli, quae, ſi quae alia, inſtructiſſima eſt antiquiſſimis MSS. magno numero litteris vncialibus ſeu *Romanis* perſcriptis, quae inter *pſalterium Graeco-Latinum*, quod creditur initio IV. ſeculi ſcriptum.

Edidit *Ios.* Blanchinius *Veron.* ex antiquiſſimis codd. *Veron.* ſcriptis litt. vncial. *Pſalterium duplex cum canticis iuxta vulgatam, Graecam LXX. ſeniorum, & Latinam Italam verſionem.* De prima S. Hieronymus de epiſc.

ad

ad SVNIAM & FRETELLAM num. 2. De ſecunda S. AVGVSTINVS lib. II. de doct. Chriſt. cap. 15. quem locum *in ipſis autem interpretationibus Itala caeteris praeferatur* VALLARSIVS in mendo cubare exiſtimat, forte legendum ratus *ita illa*, loco *Itala*; nec putat fuiſſe aliquam verſionem veteris ſaltem teſtamenti eo nomine dictam. Quod nunc non diſcutimus, proſequentes codices antiquiſſimos *Veronenſes* litteris vncialibus perſcriptos, qui omnes mille annos aetate excedere creduntur: vti ſunt *libri Regum iuxta S. Hieronymi verſionem*, vel *VI. Epiſtolae S. Hieronymi XXX.* Item ſub *S. Ambroſii nomine ad Fritigil reginam. S. Gregorii Liber pſalmorum, cum commentar. S. Hilarii epiſc.* codex membranae tenuiſſimae, optimae notae. Ad finem litt. IV. legitur: *ſcribit antiquarius Eutalius.* In fine pſalm. CXXI. alia manu *Merouingicis* litteris: ✠ *In nomine Dni. noſtri Ihu Xpi Arigento rege fuit vera iuſtitia . . . Baſilius abbas de monuſterium S. Thomae apoſtoli, cuit vocapolo eſt pinedo. S. Hilarii de Trinitate.* Vbi *lib. II. n.* 27. *p.* 802. edit. *Mauriana adoptatur* (vti etiam in antiquiſſimo cod. archiui *Vaticani*, non obſtante litura aperta) in codice *Veron. adoratur* legitur. *S. Hieronymi aduerſus Iouinianum. S. Auguſtini de Ciuitate DEI. Recognitiones Clementis. Caſſio-*

ſiodori ſenatoris (vti poſt praefationem legitur) *Iam Dño praeſtante conuerſi, explicit praefatio, incipiunt complexiones in epiſtolis apoſtolorum. Suplicii Seueri de vita B. Martini &c.* cum hac nota chronica: *Explicit vita beati Pauli monachi Thebei. Perſcriptus codix hac Verona de vita beati Martini epiſcopi & confeſſoris, & beati Pauli SS. ſub die Kal. Aug. Agaptio V. C. C.* i. e. Viro clariſſimo conſule *ind. decima per Vrſicinum lect. eccleſiae Veronenſis. Collectiones* praeterea *duae canonum* litteris vncialibus, vnaque *aliae quinque*, & *ſeptem codices conciliorum* inter millenarios codices centum circiter, vno in ſcrinio contentos, numerantur. Ex quibus vnum adhuc notarim, *Miſſale Mozarabum Meruuingici* aeui cum hac nota chronica *Maurero Caneuarius .... loros de anfora vino de bonello in XX anno Luitprandi Regis.* Poſt initium ſcilicet ſec. VIII. hodieque *loros* menſura dicitur, qua infundibulo vinum in dolia mittitur; *Bonellus* locus vicinus *Veronae.* Ex *Romana* antiquitate ſupereſt amphitheatrum multo integrius *Romano* & aliis, cura ſingulari ſenatus *Veronenſis*, vt ſemper in antiquis vrbis legibus cautum habetur.

Patauium.

Non eadem cura *Patauii* conſeruandi amphitheatri fuit impenſa, quorſum nos *Verona* contu-

contulimus, parua mora *Vincentiae* facta. *Patauinam* non recenſet LAVNOIVS in libro de celebrioribus ſcholis a CAROLO M. potiſſimum erectis, cui ſunt, qui hanc adſcribunt. Certe a ſec. XIII. inter praecipuas ſemper eſt habita, nec hodieque deſunt in omni diſciplinarum genere profeſſores illuſtres huius academiae, ſcriptis ſuis in orbe litterario clari; quae ſingula longum eſſet recenſere.

S. Scripturae profeſſorem agit P. *Bonau.* LVCHI Ord. Min. Conuent. frater abbatis LVCHI *Brixienſis* Ord. S. BENEDICTI, qui non pauca typis edidit, quocum *Veronae* amicitiam inii. *P. Antonius* VALSECHI Ord. *Praed.* profeſſor theologiae primarius vnacum *P. Franciſco* LEONI, Ord. S. FRANC. min. Conuent. SS. Canonum *P. Alb.* RVSTICI, Ord. S. BENEDICTI. Philoſophiae P. *Iac.* STELLINI, D. *Laurentius* SOARDI, vterque LAVEGROLO, pater & filius, ille medicinae profeſſor, qua in facultate etiam eminet *Io. Baptiſta* MORGAGNI, anatomiae profeſſor. Linguarum Orientalium *P. Mich. Ang.* CARMELI. Hiſtoriae *Iac.* FACCIOLATI. Humaniorum litterarum *Io. Ant.* VOLPI. Quibuscum quantum mea ſtudia expetebant, egi *Patauii*, imprimis vero cum abb. *Io.* BRVNACCIO inſigni, ac indefeſſo antiquario, qui praeter

ter edita quaedam opuſcula ſingularia, grandem veterum *diplomatum* fecit *collectionem ad hiſtoriam diplomaticam Patauinam,* quam abſoluit nonnullis abhinc annis. Documenta ex archiuis auſpicatur ab anno 819. charta, in qua fines *Patauorum*, & *Venetorum*, id eſt regni *Italici* & ducatus *Veneti* deſignantur. Primam vero autographam chartam habet anni 855. Lvdovici nimirum *ſecundi*: profert vſque ad annum 1199. ter mille inſtrumenta, praeter ducenta circiter, omnia inedita, quae ſingula ad dioeceſin & comitatum *Patauinum* pertinent. Qui quidem *codex diplomaticus* in diario *Florentino* refertur 6000. inſtrumenta complecti, amplius adhuc in litteris Valvasensis *Veneti*, octo ſcilicet vſque nouem millia. Mea vero eſt relatio, quam ex ore ipſo Brvnaccii tuli, meisque oculis vidi, omnia concinne, & adcuratiſſime ſua manu eſſe exſcripta, ſigillaque delineata egregie, quorum ac nummorum medii aeui adparatum inſignem poſſidet, non ſolum *rei nummariae Patauinorum*, de qua ſcripſit, ſed & totius *Europae* hiſtoriae medii aeuii illuſtrandae aptum.

Venetiae.

V*enetias Patauio* adnauigauimus, vbi ampliſſimum nummophylacium nobilis familiae

Tib-

Tiepolorvm tenet, cuius catalogus duobus voluminibus prodiit. Statuarum, anaglyphorum, inſcriptionum muſaeum eſt penes illuſtrem familiam de S. Trovaso, quorum pars a variis antiquariis doctis lucubrationibus eſt illuſtrata, quos inter celebris P. Pacciavdi, *Teatinus*, bibliothecae ducis *Parmenſis* praefectus, quam bonis libris inſtruendi cauſſa mecum *Romae* degebat. Ex muſaeo marchionis *Antonii* de Canalregio multos nummos P. Froelich publicauit.

Antonius Lalneti, cuſtos bibliothecae *S. Marci* (celebris imprimis ex MSS. Cardinalis Bessarionis & Petrarchae) *antiquas ſtatuas*, quae in atrio eiusdem bibliothecae conſpicuae ſunt, commentariis illuſtrauit duobus tomis maiori forma, totidemque vnacum defuncto iam abbate Bvongiovanni catalogum MSS. eiusdem bibliothecae dedit. Sunt praeterea inſigniores bibliothecae nobilis familiae Bisani in paroecia *S. Stephani*: Cl. *Apoſt.* Zeno, hiſtoriographi & poetae caeſarei, cum viueret, quae cuſtoditur apud PP. *Dominicanos* obſeruantes: PP. *Benedictinorum* ad *S. Georgium* a) cuius

MSS.

a) CATALOGVS
Manuſcriptorum bibliothecae S. Georgii maioris monaſt. Ord. S. Bened. Venetiis.
Epiſtolae Venerab. *Ambroſii* monachi in translationem

MSS. ac rariores efflorescentis apud *Venetos* typographiae editiones, quum a MONTEFALCONIO notari non potuerint, per saturam exscribere operae pretium duxi: quod praesertim multa

quorundam sermonum beati *Ephrem* Diaconi. In eodem cod. *Serapionis* de contemptu mundi.
Magister sententiarum in psalmos.
Valerii Maximi dictorum & factorum memorabilium.
Suetonii de Vita Caesarum.
Historiarum insulae S. Georgii maioris libb. V. auctore *Fortunato Vlmo* eiusd. ins. monachi.
Mauri Orbinii mon. Bened. Congreg. Melitensis ad Coenobitas libb. V.
F. B. Teutonis Abb. S. Io. Gualb. Congr. Vallis vmbrosae fundatoris discipuli in S. P. Benedicti regulam expositio, & magistri *Hildemari* Abb. in eandem regulam commentar. excerpta.
Bernardi Cassinensis expositio regulae S. Bened.
B. *Bernardi Ayglerii* Galli Abb. Lerinensis mox monachi Cassinensis ac S. R. E. presbyt. Cardinalis speculum monachorum.
Pauli Diaconi Expositio in reg. S. Bened.
Hieron. monachi Vallis vmbrosae de vita solitaria ad eremitas.
Io. Cassiani Collationes.
Acta schisma Auenionense attinentia sub Gregorio XII. Subscribit potissimum *Dalmatius de Porta.*
Waldacii de Fortiuio Ord. FF. Eremit. S. Aug. tract. de resurrectione mortuorum.
Mariani Solini Senensis I. V. Doct. celeberrimi, opus insigne de Visitatione ecclesiastica ad Ioan. de Agatharia Grossetti episcopum.
Ordo de celebrando Concilio.
B. *Anselmi* Lucensis Collectio regularum & sententiarum SS. PP. & auctorabilium conciliorum.

multa ſint opera auctorum, qui primum in *Italia* bonas litteras inſtaurarunt.

Inter viros doctos primo loco nominandus eſt ipſe ſereniſſimus dux *Marcus* FOSCARINI, variis

Ioh. Belli nobilis Panormit. de SS. Euchariſtiae Sacramento.

Donati Ionoctii Eccl. hiſt. Epitome.

Pandulphi Piſoni Card. de Vitis Rom. Pont. (ſcripſit ſub Gregorio XIII.) Item *Alexand. Geraldini* Amerini eiusdem oratio coram Franciſo chriſtianiſſimo Francorum rege. Item Elegia de Latii & Romae laudibus, & antiquitatum praeſtantia. Item Vita S. Benedicti ex S. Gregorii M. lib. dialog. Saphicis verſibus. Elegantia ſcriptorum Italorum eius aeui perſpecta eſt eruditis.

Chronici Caſſinenſ. Epitome iuſſu Stephani II. conſcripta ab *Anaſtaſio* Seniore Sedis apoſt. bibliothecario. Eiusdem Hiſtoria eccleſiaſt. S. Hieronymi Epiſtolarum volumen.

Nicolai Card. de Aragonia Geſta ſummorum Pontif. (tempore Innocentii IV. an. 1350.) quae in chronicis non habentur. Ex diuerſis regiſtris & libris Camerae apoſtolicae.

Varia opuſcula *Onuphrii Panuinii* & *Octauii Caietani.*

Libellus de rebus fidei a S. *Thoma* Aquin. editus.

Varia *Petri* Diaconi opera concernentia potiſſimum monaſterii Caſſinenſis hiſtoriam.

Fr. Wilhelmi Prioris Lugdun. Ord. S. Ben. de Profeſs. monachorum.

B. *Helinandi*, Galli, monachi Coenobii Montis frigidi Ord. S. P. N. Ben. Congreg. Ciſtertienſis Liber de Commendatione S. Bernardi Abb. Clareuallenſis, eiusque dictis & floribus.

Deſiderii Abb. Caſſin. (qui poſtea fuit *Victor* III. Papa) libelli miraculorum.

Aſtronomici Canones, Mſc. Graecum.

variis legationibus etiam in noſtra *Germania* cognitus, in orbe autem litterario clarus *hiſtoria litteraria Veneta* grandi volumine edita. Viciſſim *Victor* SANDEVS *hiſtoriam ciuilem Venetam*

Mag. *Flori* monachi, Coenobitae S. Trudonis Leodienſis dioeceſis Ord. S. Bened. Expoſitio Miſſae.

Honorii Auguſtodunenſis Gemma animae ſex libris I. De Miſſa. II. De eccleſia. III. De Miniſtris. IV. De horis canonicis. V. De Solemnitatibus. VI. De Concordia Officiorum.

Dialogi S. *Gregorii* Italice pulcherrime ſcripti.

Martini Poloni Chronicon.

Sermonum B. *Zenonis* Epiſc. Veronenſis libb. II. cum Vita. In calce: *Hoc opus ſcripſit Bartholomaeus Fabius Mutinenſis vltimo die Auguſti M. CCC.*

Hiſtoriarum vice-comitum epitome *Iulio Roſcio Hirtino* auctore an. 1590.

Chronicon antiquum monaſterii olim celeberrimi S. Vincentii de Vulturno Ord. S. Ben. prouinc. Capuanae.

Chronicon Monaſt. S. Bartholomaei Ord. S. Bened. in Pennenſi comitatu a domno Alexandro eiusdem monaſterii monacho conſcriptum.

Sermones *S. Leonis* Papae pulcherrime ſcripti.

Vbertini Caſali Arbor vitae crucifixi IESV.

Bernardi de Roſergio Toloſani (ſub Eugenio IV.) de Sac. Rom. Eccl. Cardinalium Collegio Sacroſancto.

Fr. *Telesfori* Heremitae de Deuotione religionis & eccleſiae militantis.

Ioannis Barotti Patauini Carmina.

Dialogus *Petri Alphonſi*, qui ex Iudaeo ſacrum baptiſma ſuſcepit in ciuitate Oſcenſi in Hiſpania per manus Stephani eius vrbis epiſcopi anno dni M. CVI. feſto apoſtolorum Petri & Pauli, Alphonſo Hiſpaniae rege.

Catharinae Senenſis libr. diuinae Doctrinae reuelatae.

Iuuenalis Satyrae.

netam ſex tomis vulgauit; FLAMINIVS vero CORNARO octodecim voluminibus *hiſtoriam eccleſiarum ac monaſteriorum dioeceſis Venetae*, duobus voluminibus *Cretam ſacram*, ac alia plura. Hos inter

Franc. Petrarchae Canzioni Cod. elegantiſſimus.

De Dignitate & praeſtantia Baſilicae Vaticanae S. Petri apoſtolorum principis de vrbe. Inc. *Romae fundatam fuiſſe eccleſiam.*

Io. Caſſian Inſtitutiones.

Platonis Phedron de animae immortalitate.

Critonis Epiſtolae.

Xenophontis Apologia Socratis.

Didascalicon *Ugonis de S. Victore.*

Ioan. Candidi libri octo Hiſtoriarum Aquileienſ.

De Exemplis naturalibus liber.

Memoriale, ſub compendio, acquiſitionis ciuitatis ſanctae Jeruſalem totius terrae ſanctae per melitiſſimum principem dnum Godefridum de Bolem, aliosque reges Latinos ſuos ſucceſſores temporis, poſſeſſionis, ac lamentabilis eiusdem perditionis, poſtquam ſectatores pſeudo-prophetae Machometi ipſam ciuitatem ſiue terram primitus obtinuerunt.

De origine vrbium Italiae, & ipſius Italiae primo incolatu, per *Ricobaldum Ferrarienſem*, qui plura ex his habuit ex antiquiſſimis libris Rauennae repertis.

De acquiſitione inſulae Siciliae per Archadium facta rebellione Maniachii, cum aliis in eodem codice ad Calabriae praeſertim hiſtoriam pertinentibus.

Ariſtotelis Topicorum libri graece.

In libros biblicos vet. & noui teſt. commentarius poëticus.

Iſidori Clarenſis monachi de arte amandi libri.

Sermones *S. Auguſtini* graece translati &c.

Laurentii Iuſtiniani, primi patriarchae Venetiarum lib. de diſciplina & perfectione monaſticae conuerſationis.

inter doctos nobiles *Venetos* praecipue connumerandus est *Blasius* VGOLINI, cuius opera iam XXI. voll. prodierunt *thesauri antiquitatum Iudaicarum.* Grandaeuus presbyter *Nicolaus* COLLETI,

Laurentii Iustiniani De humilitate.
- De obedientia.
- Consultatio animae deuotae ad amorem Sponsi sui.
- De vita solitaria.
- Sermones.
- Fasciculus amoris in expositione dominici sermonis in Coena vltima.
- De Corpore Christi.
- De regimine Praelatorum.
- Lignum vitae. Sunt omnes auctori coaeuae scripturae.

Libri de Imitatione Christi sub nomine *Ioannis Gersen.* Item sine nomine annotato anno 1465.
Statuta Capituli generalis Cistertiensis Ordinis, anno M. CCCC. LXXXIII.
Ascetica variis ex SS. PP. collecta.
Pauli Diaconi Carmen de vita & miraculis S. P. N. Benedicti.
Clar. Viri *Poggii* Florentini de infelicitate Principum.
Bonauenturae libb. de formis Nouitiorum. De reformatione mentis. De profectu religionis.
Nicolai Begani sermones.
Constantini Caietani scripta quatuor voluminibus sua potissimum manu, multa adhuc inedita.
Bernardi Flori archiepiscopi Iadrensis Voll. quinque in Pauli Sarpi historiam Conc. Trident.
Sermones Dni Episcopi *Bernardi* Papiensis.
Antonii Lusci viri eloquentissimi explanatio in X. orationes Ciceronis.
B. *Walteri* in sacra pagina Magistri Parisiensis liber de reformatione animae.

LETI, aſſiduus nihilominus in ſtudio litterarum praeter *ampliſſimam editionem conciliorum* (quam non obſcurabit recentiſſima P. MANSI) praeterea *ampliorem, correctioremque editionem Italiae ſacrae Vghellii adornauit.*

Ex

Polentoni liber confeſſionis chriſtianae.
Leandri Peruſini in M. T. Ciceronis carmina.

Edit. Venetae poſt ortam typographiam, quae ſeruantur in Monaſt. mai. S. Georgii Venetiis.

Per *Nicolaum Ienſon* Gallum
Georgii Trapezuntii expoſitio Euſebii.

Hoc Ienſon Veneta Nicolaus in vrbe volumen
Prompſit cui felix Gallica terra parens.
Scire placet tempus Mauro Chriſtophorus vrbi
Dux erat, aequa animo muſa retecta ſuo eſt.
Quid magis artificem peteret dux Chriſtus & auctor
Tres facit aeternos ingenioſa manus.
M C C C C L X X.

Laurentii Vallae elegantiae an. 1471. Eiusdem anni *Quintiliani* opera per eundem.

Eodem vero anno *Valerii Max.* dictorum & factorum memorabilium M. CCCCLXXI.

Impreſſum formis iuſtoque nitore coruſcans
Hoc Vindelinus condidit artis opus.

Item *Lactanti* Inſtitutiones an. MCCCCLXXII. ab eodem Vindelino de Spira Venetiis.

M. Terentii Varronis, qui rem ruſticam expoliuit libri tres. Hos diligentiſſime atque venuſte impreſſit Nicolaus Ienſon Gallicus genere Venetiis MCCCCLXXII.

Auli Gelii noctium Atticarum commentarii impreſſi Venetiis per Nicolaum Ienſon Gallicum Truno Duce Venetiarum inclyto.

Ex clero regulari multis variisque editis operibus inclaruit *Io. Fr.* BERNARDI M. de *Rubeis* Ord. *Praed.* quae hiſtoriam eccleſiae *Aquileienſis* ac *Venetae* concernunt, ac liturgiam *Foroiulienſem.* Scriptores etiam quosdam *Graecos* illuſtrat. Sc. *Areopagiticos*, GEORGIVM ſiue GREGORIVM *Cyprium*, ac THEOPHYLACTVM. Editionem porro nouam operum D. THOMAE *Aquinatis* parauit. *De geſtis, ſcriptis ac doctrina* S. THOMAE *Aq. diſſertationes criticas & apologeticas, ac contra monachatum eiusdem doctoris angelici apud Caſſinenſes. Tractatus de peccato originali &c. De charitate virtute theologi-*

Antonini ſummula confeſſionis MCCCCLXXIII. Nicolao Duce Venetiarum regnante impreſſum fuit hoc opus feliciter.

Ioan. Bocatii de montibus, ſiluis &c. Venetiis Id. Ian. MCCCCLXXIII.

Nicolaum IENSON miror miſſis litteris minuſculis, pulcherrimo typo, ſe accommodaſſe *Gothicis*, quale eſt AVGVSTINI opus *De Ciuitate DEI* an. 1475. mox tamen ſequenti anno charactere minuſculo iterum impreſſit *Nonnii* MARCELLI de proprietate ſermonis. Reliquas praetereo editiones plerasque *Nicolai* IENSON an. 1475. 1476. 1477. Ex his vnum noto codicem in eadem bibliotheca *S. Georgii* ſeruatum, litteris minuſculis impreſſum cum hac epigraphe :

Hoc Conradus opus Suueynheim ordine miro
Arnoldusque ſimul Panarts vna aede colendi
Gente Teutonica Romae expediere ſodales
In domo Petri de Maximo M. CCCCLXVIII.

logica &c. Dissertationes variae eruditionis, queis argumenta siue pridem tractata, siue nunc primum proposita diligentius illustrantur, ac vindicantur. Nempe non omnia sua omnibus probata fuere, imprimis *Tractatus de peccato origin.*

Ex eodem Ord. *Praed.* in theologicis quaestionibus famam sibi comparauit P. PATVZZI. In notitia linguarum P. FINETTI. Ex Ord. *S. Benedicti Camaldulensium* abbas *Io. Bened.* MITTARELLI & *P. Anselmus* COSTADONI annalium *Camaldul.* iam septem in lucem protulerunt tomos; quibus plura interseruntur tum caeteras *Italico*-monasticas res, tum historiam ecclesiasticam, remque diplomaticam illustrantia. Post annales edendae *bibliothecae monasteriorum Camaldulensium* laudabilem impendunt operam. Ex eodem Ordine D. Abbas *Angelus* COLAGERA edidit collectionem seu *Racolta di opusculi scientifici & filologici* tomulis sexaginta in forma duodecima, quod actorum loco esse potest tot litterariarum academiarum *Italiae.* Inferuntur quaedam ill. *Augustini* GRADENIGO, qui tum primum ex monacho *S. Georgii* Ord. *S. Bened.* a senatu *Veneto* in episcopum *Clodiensem* electus, *Romae*que ab ipso summo Pontifice, praesente me, est consecratus. Non is

est

eſt vnus ex noſtratibus monachis Ord. *S. Benedict.* epiſcopus hodie in *Italia*, ſunt praeterea *Veronenſis*, *Eſernienſis* ac *Vintemelienſis.* Tres archiepiſcopi *Panormitanus*, *Siracuſanus* ac *Salernitanus.*

Ferraria, Bononia.

Venetiis conſcenſa naui, *Ferrariae* per tempus moram feci apud doctiſſimum *Ioan. Bapt.* Passeri, qui egregium *de lucernis veterum* edidit opus atque coeptum etiam ab E.mo Gorio *de diptychis* perfecit. Inde *Bononiam* perrexi, moxque P. *Io. Baptiſtam* Martini Ord. *S. Franc. Conuentual.* conueni. Quocum multa antea egeram per litteras de hiſtoria muſicae, partita inter nos amice opera, vt is vniuerſim hiſtoriae illius, ego ſingillatim eccleſiaſticae muſicae a prima eccleſiae aetate vſque ad praeſens tempus prouinciam acciperem. Stupui ad numerum decem & ſeptem millium auctorum theoreticae partim, & practicae muſicae, quos omnes vir ſedulus collegit. Nihilominus, quod praefiſcine nunc dixerim, ex meo ſelectu potiſſimum ex *Germaniae* bibliothecis facto, plures ipſi ad rem idoneos ſcriptores ſuppeditaui, quam meo palatui ex tanta illa ſua congerie arriſerint, dum noſtra om-

nia nos inter conferimus, ac mutuo communicamus.

De his etiam, ac praesertim liturgicis rebus, saepius, dum *Bononiae* degebam, agere licuit cum Reu.mo *Io. Chrysost.* TROMBELLI, Canonicorum Regularium Congregationis *Rhenanae* SS. Saluatoris abbate generali, suis scriptis orbi litterario notissimo, libris potissimum *de cultu SS.* cum *appendice de cruce*, quorum etiam *vindiciae aduersus Io. Rud.* KIESLINGII prof. publ. in academia *Lipsiensi exercitationes anti-Trombellianas* prodierunt *Bononiae*, sub nomine *Philalethes Aphobi* eiusdem congreg. Canonici 1751. Vulgauit idem TROMBELLIVS tres tomos *de vita B. V.* MARIAE: quartus sub prelo est, quem sequentur tomi duo *de cultu eiusdem B. V.*

Eiusdem quoque cura a Canonicis Regul. SS. Saluatoris *Bononiae* in lucem emissi sunt tres tomi *Anecdotorum*, quorum primus complectitur *Psalmos cum interpretatione Marci Marini Canon. Regul. addita explicatione Canticorum*, quibus *Romana* ecclesia vtitur, auct. *Io. Aloysio* MINGARELLI Can. Reg. Constat duobus voluminibus. Secundo tomo continentur opuscula quaedam SS. CYPRIANI, HILARII, aliorumque latinorum PP. Tertius complectitur

tur BEDAE, CLAVDII *Taurinenſis*, itemque quorumdam alia veterum Patrum opuſcula. A TROMBELLIO ad celebre, quod vocant, Inſtitutum ductus, diuerſis in cameris artis & naturae cimelia conſpexi, *Caietano* MONTI, profeſſore in hiſtoria naturali praeſtantiſſimo, interprete. De celeberrima academia *Bononienſi* (in qua primum ius canonicum, & ciuile doceri coepit) iuſſu BENEDICTI XIV. opus parat ſub tit. *de claris ſcholarum Bononienſium profeſſoribus ab antiquiori aeuo* ad annum vſque M.CCC. RR. abb. *Maurus* SARTI, a pluribus iam annis *Romae* abbas monaſterii *S. Gregorii* in monte *Caelio* Ord. *Camaldulenſium*, vbi familiariter admodum ſum vſus viro hoc officioſiſſimo doctiſſimoque, aliis iam ſcriptis claro: qualia ſunt, quae *de caſula diptycha: De epiſcopis Eugubinis, & eccleſia Eugubina* edidit; *aliaque ad vrbem Eugubinam & antiquam Picentum ciuitatem ſupra montana ſpectantia &c.*

Roma.

B*ononia* recta iter *Roman* inſtitui, aliquantum in ſacra aede *Lauretana* B. V. MARIAE religionis gratia detentus. Quemadmodum autem in vrbe complexus quidam eſt ſupellectilis litterariae *Italiae*, ita *Vaticana* bibliotheca *Romae* eminet, in quam tot aliae inſignes biblio-

thecae

thecae coiere ab aliquot ſeculis. Prodierunt iam tria ingentia volumina catalogi huius bibliothecae, primus *Hebraicos*, ſecundus *Chaldaicos*, tertius *Arabicos* recenſet codices, quales etiam complectitur quartus: qui parantur opera ASSEMANNIORVM, *Ioſ.* SIMONII Canonici eccleſiae *Vaticanae*, in orbe litterario celeberrimi, primi cuſtodis, & *Stephani* EVVODII archiepiſcopi *Apameenſis*, ſcriptoris bibl. *Vat.* qui etiam in lucem dedit catal. MSS. *Orientalium Mediceo-Laurentianae, Florentinae*, & *Palatinae*, quae ex *Germania* noſtra *Vaticanae* illata, ornandae etiam liturgiae *Alemannicae* inſignem mihi adparatum ſuppeditauit; pro hiſtoria autem muſicae eccleſiaſticae *Graecae* potiſſimum ipſa *Vaticana*, *Barberina*, *Chiſiana*, & *Baſilianorum*, quas abunde celebrarunt MABILLONIVS, & MONTEFALCONIVS.

Poſt ea tempora inſtructa eſt, ac publicae vtilitati conceſſa a *Laurentio* CORSINI, dein CLEMENTE XII. P. ampliſſima bibliotheca: cuius deſcriptionem habes in *diario litterario Florentino* an. 1755. p. 146. &c. factam a *Ioſepho* QVERCI bibliothecario. Aucta ea bibliotheca quotidie cumulatur cura Eminentiſſimorum CORSINIORVM Cardd. quantum licet etiam Mſc. Eorum catalogus deſcriptus habetur in tres partes, quarum prima codices ordine, quo diſpoſi-

ſpoſiti ſunt, ſiſtit, altera auctores, tertia res notabiliores ſerie alphabetica exhibet. Deſideratur quidem hac in bibliotheca theſaurus ille antiquiorum MSS. quem praeripuere priores aliae bibliothecae; nihilominus penus eſt locuples imprimis ad illuſtrandam hiſtoriam pontificum poſterioris aeui. Plurima enim ibi videre eſt volumina *diariorum, ac vitarum ſummorum pontificum: Commentariorum Pii II. libros XII. a Ioh. Gobellino de Lins vicario Bononienſi exſcriptos an.* 1464. *pontifice volente.* Fol. pergamen. *Animaduerſiones, ſiue diſſertationem in praefatum codicem auctore Io. Nicol. Bandeia fol. Diaria Sixti IV. auctore Bartholomaeo Platina. Alexandri VI. a Io. Burchardo ſcripta IV. voll.* In alio habetur vita eiusdem pontificis. *Diaria Iulii II. a Paride de Graſſis caeremoniarum magiſtro .V. voluminibus conſcripta. Eiusdem alia III. voluminibus. Leonis X. duobus voll. Item eiusdem Leonis X. ab eius electione vſque ad obitum a Paride de Graſſis conſcripta. Vol. Tomi III. in* 4. *rerum Pauli IV. Diarium Pii V. P. ab obitu nempe an.* 1565. *vſque ad an. ſecundum Pontificatus Gregorii P. XIII. a Cornelio Firmana Caeremoniarum magiſtro expoſitum. Eiusdem auctoris vita Pii V. & diar. Gregorii XIII. fol. item diarium caeremoniale Franciſci Mucantii I. V. D. & caeremoniarum*

ma-

magiſtri ab initio pontificatus Gregorii XIII. vſque ad eius obitum. vol. II. Annales pontificatus Gregorii XIII. vol. II. Sixti V. Ephemerides Guid. Qualtario auctore. Vita Sixti V. Diar. Fr. Germani caeremoniarum magiſtri ab anno 1589. *vſque* 1599. fol. *Pauli Alaleonis caeremoniarum magiſtri ab obitu Clementis VIII. pontificatus Leonis XI. & Pauli V. voll. II. Racolta de varie ſcripture ſull' affare dell' interdetto da Paulo V. publicato contra la republica di Venetia fol.* Eiusdem interdicti *hiſtoria auct. Ioſ. Malateſta. Theodori Amidenii ſummorum PP. & S. R. E. Cardinalium omnium ſuo aeuo defunctorum elogia* fol. *Vita Alexandri VII. auct. Card. Sfortia Pallauicino. Vita Innocentii XI. Memorabilia ſub Clemente XI. voll. X. Petri Card. de Corſinis tract. iuris & facti ſuper ſchiſma, & initium ſchiſmatis tempore Vrbani VI. in* fol. *De eccleſiae primatu & geſtis per Latinos & Graecos Patres in Ferrarienſi, Florentiam dein translata oecumenica ſynodo. Dialogus Andreae de ſancta cruce Romani apoſtolici conſiſtorii aduocati in Ludouicum Pontanum* fol. *Acta in ſchiſmate Petri de Luna. Oratio Ambroſii Camaldulenſis habita in concilio Baſileenſi. Lateranenſis V. Conc. ſub Iulio II. & Leone X. Seſſio IX. de reformatione Curiae. De concilio conſultatio Petri Albiniani Tretii. Conſilium de-*

lecto-

lectorum Cardinalium & praelatorum in Conc. Tridentino exhibitum de reformatione Fcclesiae. Relatio historica Concil. Trid. compend. fol. *Eiusdem Concilii historia auct. Antonio Miledoni. Traité de la reception & de l'autorité du Concile de Trente en France* fol. *Compendium omnium decretorum S. Congr. Conc. Trid. ab an.* 1596. *vsque* 1695. *voll. IX. cum aliis multis ad sacr. officium inquisitionis pertinentibus voluminibus. Decreta item Consistorialia voll. XV. Acta & scripta autographa in sacr. Congr. particulari a Benedicto XIV. deputata pro reformatione Breuiarii Romani an.* 1741. *voll. III. Volumina varia circa Regalia. Varia scripta ad bullam* Vinea Domini *&* Vnigenitus *spectantia voll. VII. Raccolta di lettere e scripture diuerse appartente alle cose di Francia sopra l'accetatione delle due constitutioni* Vineam Domini Sabaot & Vnigenitus *ab an.* 1709. *vsque* 1735. *voll. II. Racolta di memorie Informationi lettere e scripture diuerse appartenti alle cose di Francia specialmente sull' affare della constitutione* Vnigenitus *di Germania & di Roma. De pacificatione Westphalica voll. II. Collectio variorum operum historicorum & politicorum voll. XXVI. Complura volumina ad historiam Florentinam, Ferrariensem &c. pertinentia. Caroli Sigonii hist. Bonon. libri* fol. *Relatio de perdito*

regno

regno Neapolit. Tractatus & documenta varia ad regiam, regnique Neapolitani iurisdictionem ſpectantia ex autographis regeſtis transſcripta voll. XIV. Item alia duo volumina eodem ſpectantia. De imperio Romano libri tres Andreae Baſſetti Piceni. fol. *Sebaſt. Compagni deſcriptio terreni orbis ad Leonem X. P. Marci Poli de mirabilibus Orientalium regionum* in 8. Mſc. pergamen.

Haec paucis ex bibliotheca *Corſiniana* viſum eſt notare, cui nunc praefecti ſunt *Io.* Bottari, primus antea bibliothecae *Vaticanae* praefectus, & *Petrus Fr.* Fogginivs, ſecundus bibliothecae *Vaticanae* etiamnum praefectus, indiuidui ſtudiorum ſocii, vterque libris editis clarus; ac Bottarii imprimis commercio litterarum viris doctis celebrius eſt nomen, quam ſcriptis, ex quibus multa anonyma ſunt, praeſertim theologica, ac translationes in linguam *Italicam* variorum operum ſanctorum Patrum, ad ſalubrem etiam indocti vulgi vſum, etſi hac in re aliorum potius vti ſoleat opera. Multa idem ſcripſit *de antiquitatibus Hetruſcis*, ac tribus tomis maioris formae *muſaeum Capitolinum* edidit. In antiquitatibus *Etrúſcis* etiam deſudauit Fogginivs, ac inter alia ſcripſit *de primis Florentinorum apoſtolis. De Romano D.*

Petri

Petri itinere &c. Patrum ecclesiae de paucitate adultorum fidelium saluandorum, si cum reprobandis fidelibus conferantur, mira consensio. Edidit nonnulla *S. Epiphanii opuscula. SS. Augustini, Prosperi, Fulgentii opera selecta de gratia Dei, & libero arbitrio hominis, & de praedestinatione SS.* Continuationem eiusmodi operum promittit auctor, AVGVSTINIANO systemati *De natura, gratia & praedestinatione* cum BOTTARIO addictissimus. Praeter *S. Caroli* BORROMAEI opusculum *de choreis & spectaculis in diebus festis non exhibendis*, edidit FOGGINIVS *collectionem selectarum sententiarum eiusdem aduersus choreas & spectacula ex eius statutis, dictis, institutionibus, homiliis.* Quam eandem iterato materiam *de spectaculis ex S. Caroli, S. Francisci Salesii, ac S. Philippi Nerei animi sententia* tractauit.

Altera bibliotheca *Romae* recentius instituta est ab Em. Cardin. PASSIONEI collectis vndique libris, ac composita in *classe biblica* ex omnibus polyglottis ac rarioribus editionibus. Quoad Patristicam complectitur rariores veteres, & recentiores omnes Congr. S. MAVRI editiones. *Theologos & controuersistas* solidiores tum catholicos, cum etiam haereticos, veluti etiam circa *historiam ecclesiasticam,*

cam, *&* *exoticam*, *tam generalem*, *quam ſingularem regnorum omnium, ac municipalem cuiusque ciuitatis.* Quoad *controuerſias Gallicanas* reconditiora quaeque. Potiſſimum autem *in iure publico* excellit. Nec MSS. deſunt omnis generis etiam antiquioris aeui, quae ſingillatim percurrere non licuit, quod necdum in ordinem redacta eſſet, dum primum bibliotheca *Sapientiae PP. Auguſtinianorum* adiuncta fuit, emta magno aere a Reu.mo magiſtro generali *Franc. Xav.* VASQVEZ, Maecenate praecipuo. Huic iam ordinandae curam impendit *P. Auguſt.* GEORGIVS, Ord. *Erem. S. Auguſtini*, qui praeter alia, nunc primum vulgauit *Alphabetum Tibetanum*, praemiſſa diſquiſitione, qua *de gentis origine*, *moribus*, *ac ſuperſtitione* fuſe diſſeritur. Explicantur vero plura obſcuriſſima monumenta mythologiae *Tibetànae*, atque ſuperſtitionis aduerſus eorundem Deos *Butta* & *Xaca*: quorum priori *Tibetani* varios characteres *Meſſiae* tribuunt, natum etiam ex virgine fabulantes. Seculo tertio MANES errores ſuos *Tibetanis* adiunxit. Qua de re multa diſcutit auctor, contra BEAVSOBRIVM S. AVGVSTINVM vindicans. Adiicit etiam grammaticam linguae *Tibetanae*, atque tabulam praeceptorum magiae vniuerſique cultus religioſi eorundem. Qua poſteriori operis parte de origine

rigine characterum *Tibetanorum* tractat eorumdemque analogia cum litteris *Phoenicianis*, *Aegyptiacis*, *Chinensibus*. Prodit autem hoc opus ex typographia de *Propaganda fide*, prae aliis omnibus instructissima litteris diuersissimarum linguarum, *Graecis*, *Illiricis utraque scribendi ratione, Hieronymiana nempe & Cyrilliana, Ibericis seu Georgiano duplici alphab. Hebraicis nouis*, *& antiqnis seu Adamiticis*, *Chaldaicis antiquis Estrangelo dictis*, *Chaldaicis nouis seu Nestorianis*, *Samaritanis*, *Arabicis*, *Armenicis*, *Aethiopicis*, *Copticis*, *seu Aegyptiacis*, *Persicis*, *Brachmannis*, *& Indostanicis*. Prostant libri in hac typographia excusi in plerisque hisce linguis.

Speramus etiam inde *Liturgiam Graecam S. Iacobi cum adiecta interpretatione Arabica*, ex rotulo mille annorum, vnacum altero rotulo, *Ruthenicam liturgiam* continente, litteris *Ruthenicis* perscripto, quos inspiciendos dedit P. *Ios.* Blanchinivs p. m. presbyter Oratorii S. Philippi Nerii perinde religiosus ac doctus, librisque editis celebratus: cuiusmodi sunt *Euangeliarium quadruplex latinae versionis antiquae seu veteris Italicae voll. II. Vindiciae Canonicarum Scripturarum. Prolegomena, tractatus, notae & appendices in opera Ven. Ios. M. Thomasii*

masii Cardinalis. Integram editionem adornauit P. *Fr. Ant.* WEZZOSI *Theatinorum* antea Generalis, omnium operum *Ven.* THOMASII (cuius nunc caussa canonizationis apud S. Congreg. Rituum agitur) posteaquam BLANCHINIVS in primo substitisset volumine; qui praeterea in lucem emisit *Demonstrationem historiae ecclesiasticae quadripartitae, comprobatae monumentis pertinentibus ad fidem temporum & gestorum. De vitis Romanorum pontificum, seu praefationes, prolegomena, & notas in Anastasium bibliothecarium. Spiegatione historica del lib. I. delle magnificenze di Roma antica e moderna, que contene le porte e mure di Roma, disegnate & incise da Giuseppe Vasi.*

Auspicatus est nunc primum *Io.* ZEMPEL, typographus *Romanus*, tabulis aeneis incisum dare, quod in collegio *Romano* S. I. seruatur, praestantissimum *Musaeum Kircherianum*, vt a P. *Athanasio* KIRCHERO S. I. nomen habet, in quo ipse collegit rara naturae & artis, praesertim antiquitatis opera: auctum vero subinde nouis accessionibus fuit. Diuisum opus ordinatim in classes suas erit, ac cuiusque rei explicatio praemittetur.

Subla-

Sublacus. Casinum.

Roma *Neapolim* vsque excurrendum duxi religionis etiam gratia, ad inuisenda loca sancta *Sublacum*, sacramque specum, in qua primum eremiticam vitam duxit S. BENEDICTVS, indeque digressus in *montem Casinum*, scripta regula, singulare institutum monasticum instaurauit: quo de loco vnum hic post MABILLONIVM & MONTEFALCONIVM noto, lapidem quatuor abhinc annis inter rudera amphitheatri *Casinatis* repertum cum hac inscriptione: VMIDIA CAII FILIA AMPHITHEATRVM ET TEMPLVM CASINATIBVS SVA PECVNIA FECIT. Vnde loci celebritas ac nomen, non vni monti proprium, in quo praealto S. BENEDICTVS monasteria instruxit, patescit.

Neapolis.

Neapolim impetu quodam, ac ingenti desiderio rapiebar, coram intuendi *Herculani* reliquias dicam, an ex ruinis ruderibusque emergentem maiestatem, de qua tota re intellexeram apud nostrates addubitasse nonneminem. Sed nunquam respondere potest fama tanto huic rei euentui. Non dicam nunc de aliis antiquis vrbibus nostra aetate detectis *Pompeiorum*, *Strabiorum*, *Pyteolorum*, *Cu-*

marum , quae regno *Neapolitano* ſplendorem conciliant: non de vrbe veteri *Induſtria*, regni *Sardiniae* nouo ornamento, cuius deſcriptionem Cll. Rivatellae & Ricoliro debemus, aut de *Velleia Parmae* gloria, quam harum rerum gnari ampliſſimam *Herculano* tribuent, quum latentes ibi in apricum proferentur gazae, quod iam fieri regiis ſumtibus cernimus.

Vrbs haec poſt XVII. ferme ſeculorum ruinam caput erigit, *Veſeui* igneo profluente obruta, tam cumulata manatione & colluuie, praecipitanteque grandine ignitorum lapidum, ac coaceruato ardenti cinere, vt aggeſtum, montis inſtar, poſt ruinam reliquerit, in qua iacebat ſepulta, donec non ita multis abhinc annis regio iuſſu perfodi coepta eſt terra, imo dura illa concreta glarea metallica, quam euomit, ac propulit *Veſeuus*. Ad *Porticum*, villam regiam, duplex iam patet in *Herculanum* aditus ſub terram, ſeu congeſtam illam molem. Ingreſſo mihi ex ea parte, qua proxime ad theatrum deſcenditur, integrum hemicyclum percurrere licuit. Medius adparet elatior proconſulis locus. Sedilia integra in circuitu, ac cunei, quibus diuiſa erant in theatris ſpectatorum ſedilia per ſingulos gradus, per quos binae quaeque ſcalae radiorum inſtar in altum

eductae

eductae cuneos repraesentant. Parietes ab ipso ingressu per pilas lateritias opere tectorio politi, ac exornati spectantur rubro colore, perinde ac si recens inductus esset. Occurrunt lapides etiam coloribus picti, frusta coronidum, epistyliorum, columnarum.

Itur egesta glarea per vias magnis lapidibus stratas, vtroque ex latere, vt libere expediteque pedibus incederetur, directo margine quodam. Viae alicubi etiam fornicibus teguntur. Occurrunt rudera domuum ac aedificiorum etiam splendidiorum, quae pluribus sunt instructa porticibus, quorum arcus ac fornices columnae striatae suffulciunt, quibus ex aduerso minores aliae respondent; ac frontem parastatae diuidunt. Comparent etiam camerae ac conclauia, integri parietes, ex quibus artificiose detractae sunt iam magno numero picturae. Sacrarum etiam aedium reliquiae fornicibus tectarum, cum parietibus columnis distinctis, quas inter tabulae marmoreae, ac etiam simulacra picta sunt reperta. Ara in medio consurgit in base marmorea perampla.

Pauimenta vario opere musiuo seu tessellato ex discolore marmore, eleganti forma ac artificio, nunc atria & cameras replent aedificio-

run peramplorum, quibus ornamenta quaeque veteris *Herculani* illata ibi apto ordine distributa ostenduntur. Quorum mox in vestibulo vtrimque equestres statuae sunt erectae ex albo marmore. Vna necdum penitus redintegrata, tabulato inclusa non omnino patuit aspectui, vt altera, quae elegantia sua M. Avrelii in capitolio conspicuam superare harum rerum gnaris dicitur. Summam haec sui ingerit admirationem, ex frustis comminutis ab artifice scientissimo integerrime restituta, cum inscriptione, a statuario inconsulte in elegantiorem formam redacta, cum partes mutilas suppleret: quod suspicionem ingerere potuerat peritis antiquariis νοθείας, nisi luculenti fuissent testes formae prioris ac primigeniae litterarum. Inscriptio haec est:

M. NONIO. M. BALBI F.
PP. HERCVLANENSES.

Id quod certum nominis indicium praebet, confirmantque non modo marmorei, sed etiam picti *Hercules*, qui cultum & religionem eius, testantur.

Nonnullae statuae ex aere & marmore graeco *Vindobonam* missae sunt, hoc ineunte iam seculo, ad principem *Sabaudiae* Evgenivm, casu reper-

repertae, cum terra aedificii cauſſa effoderetur in *Portico*, vbi nunc praecipuo ornatui ſunt, elegantia ſua caetera poſt ſe relinquentes antiquitatis monumenta. Sunt complura Deorum Dearumque ſimulacra ac ſtatuae ex aere & marmore, aliae integrae, truncae aliae. Minores magno numero integrae inueniuntur. Dii Penates & Lares ex aere, ſuis locis ſuperiore aedium parte ſunt ordinati. Primo ſacrificalis adparatus eſt diſpoſitus, arae, tripodes, cippi, paterae, cultri victimarii, aſciae, tabellae votiuae & ſimilia. Deinde veniunt lucernae aeneae, fictiles ampullae, & vaſa lacrimatoria, quaedam etiam vitrea: inter lucernas plures *Veneri* ſacrae. Inſtrumenta muſica, chirurgica item. Laruae cum eorum formis, ad quas effictae. Deinceps vaſa aenea, marmorea, fictilia varia, ſequuntur ſtaterae pondera, ac menſurae aridorum & liquidorum, anſis ſeu manubriis inſtructa: nonnunquam ſignis & figuris anaglyphicis eleganter caelata. Vna ſtatera *Veſpaſiani* nomen habet, facta ad pondera ſtatuenda.

Varia inter capita aeneum vnum nomen EPICVRI praeſefert. Sunt etiam NVMAE POMPILII, ALEXANDRI M. ANTIOCHI, PLATONIS, SENECAE &c. Numiſmata etiam & gemmae non modico numero, pleraque CLAVDII, NERONIS,

ronis, Galbae & Vespasiani, nonnulla etiam Domitiani, etſi ante eius imperium vrbs ſubruta ſit. Inſcriptiones variae, tabulae, ac alia monumenta ſcripturarum, ſcalpro, viriculo, ſeu ſtilo, calamoque exarata. Haec inter lamina argentea graecis litteris inſcriptis. Inter tabulas aeneas liber etiam aheneus, qui in regia ſeruatur, ex quatuor laminis, quibus inciſa legitur honeſta miſſio militaris. Fibulis aheneis ſcite compoſitis clauditur liber. Editus eſt tabulis aeneis inciſus cum commentario.

Volumina librorum magno numero graeca & latina litteris quadratis, ſeu vncialibus a P. *Antonio* Biagio, *Piariſta*, ſcitiſſime euoluuntur. Votum eſt Doctorum omnium, vt *Titi* Livii, Ciceronis, Polybii, & quae ſunt alia deperdita veterum opera, reperiantur. Ad id ſpem facere poſſit loci ſitus, cuius in vicinia Caesar, Cicero & alii ruſticando muſas excoluerunt Immobiles ex aere litterae pro impreſſione, ſigilla, annuli, candelabra aenea ac lychni magno numero vna in camera ordinata cernuntur; in altera vero vaſa culinaria, ollae, teſtae, paropſides, tripodes, ſcyphi, lances eſcariae. Sequuntur ſerrae, peſſuli, claues, fibulae, claui, inaures, dextrocharia, amuleta, tali, caſſides, aurea & argentea ornamen-

ta,

ta, filamenta aurea ſine ſerico contexta, panni ſerici, lanei, linei, purpurae etiam fruſta, ſoleae, piſces, triticum, hordeum, integer panis, placentae, amigdalae, fici, oliuae, pineoli, vuae ſiccae, vinum, vt quidem adparet, condenſatum in ampulla vitrea, liquore ſubrufo ex parte repleta, pilulae, colores, quae in alia camera ſunt fere collecta; in alia item anaglypha cum picturis.

His vero altera aedium pars potiſſimum eſt exornata per complura conclauia diſpoſitis, prout ſunt ſingulari arte e porticibus & parietibus ſubtiliter diſſectae, in tabulis ligneis cum repagulis ferreis accurate compoſitae, ſicque parietibus adplicitae, pleraeque integerrimae, ex quibus non pauci ſunt parietes, rubro peruenuſto colore tincti, auiculis, feriſque adpictis, quibus coronae aut flores impliciti concinne admodum ſunt, etiam arbores, ac fructus; praecipuae ſunt fabulae graecae, aut latinae hiſtoriae, non eadem equidem in omnibus colorum pulchritudine, partium concinnitate, ac totius picturae artificio, quas inter praeſtant *Minotauri victor Theſeus*, *Oreſtes ac Pilades*, itemque *Paridis iudicium*, *Virginia* ad tribunal *Appii Claudii* decemuiri, *Chironis Centauri*, & *Achillis* fabula, citharae numeros diſcentis, quae caete-

caeteris omnibus praecellit. Pluribus tabulis praecipuae magnitudinis, *Herculis* labores repraefentantur. Quadam tabula exhibetur volumen veteris membranae depictum, codex item, atramentarium, cum calamis fcriptoriis ex cannis, vnde litterae pingues, quadratae, ac maiusculae antiquiffimorum codicum. Praefentantur etiam theatra, fcenae, aedes, templa, inter alia vicina *Puteolorum* vrbs.

Puteolis tres ingentes adhuc columnae erectae ftant, plures deiectae iacent templi. Infixus pauimento circulus eft, in quo ligatae victimae. Inde per gradus quosdam ad aram afcenditur. Tres illic lapides offendi cum infcriptione:

DVSARIS SACRVM.

Forte *Diis aris facrum*, pro *diuis*, nifi pro numine *Arabum* & *Dacharenorum* accipere malis. Superfunt veftigia balneorum, fellae complures ad eam omnino formam, qua *Romae*, & *Cafini* fellae ftercorariae oftenduntur, quae certe balneariae funt, de quibus id iam MABILLONIVS coniecerat aduerfus fabellam de fexu pontificum explorando. Vellem, ad has etiam fellas *Puteolanas* attendiffet, ex quibus res omnino liquet. Illinc mari, prope pontem CALIGVLAE, terraque excurrimus ad alia

locorum

locorum horumce memorabilia visenda, *Baias, Cumas, centum cameras*, forte carceres NERONIS, *campos Elysios* cum suis tumulis, *Auernum, Antrum Sybillae*, *sulphurariam*, *thermas*, *sudatoria*, *spelaeum canis*, idque coelo sereno. Procumbentibus nobis ad *spelaeum canis* (vt vocant, quod iniici soleant canes ad mortiferi vaporis experimentum faciendum) obseruatum fuit, caeruleum prope terram vaporem ascendere tanta altitudine, quousque experientia docet, infestum ac lethalem esse aërem. Caetera praetereo integris explicata libris, quod nunc quoque studiose & diligenter agitur circa antiquitates *Herculanas*. Iam anno 1752. *Octau. Ant.* BAIARDI prodromum antiquitatum *Herculanearum* dedit; sed cum exspectationem peritorum falleret, accuratiori studio id modo prosequitur academia virorum doctorum in eum instituta finem; quibus monumenta distribuuntur, explicata autem, vt alia eiusmodi eruditorum acta, digeruntur vna peritiori manu. Hactenus praecipuas partes egit celebris MAZZOCHIVS, qui explicationem tabularum *Herculanensium* & alia dedit, praeter praestantissima in sacram scripturam commentaria, in quibus ex orientalium linguarum penu quaestiones singulares pertractat &c. quem in decrepita iam aetate assiduum in studiis *Neapoli* inueni,

in

in flore autem aetatis clar. ANTONIVM *Genuensem*, ſcriptis philoſophicis orbi litterario cognitum, quae pleraque iam ſecundis curis auctiora eduntur: veluti modo ſub prelo ſunt *Elementa rerum metaphyſicarum*, *quarta edit. Neapolit. tomis quinque in octaua diſtributa, multo emendatiora & auctiora.* Additusque eſt nouus libellus *De origine mali.* In eorumdem elem. defenſionem edidit *Epiſtolas philoſ. ad amicum prouincialem.* Noua item editio multo limatior & auctior paratur egregii operis *Element. artis logico-criticae. Partitiones & inſtitutiones Logicae. Breuis inſtitutio diſciplinarum metaph.* Diſſert. *De vero fine ſcientiarum.* Prodiit lingua italica primus tomus *Meditationum philoſophicarum ſuper religione & morali.* Sequentur duo tomi alii eiusdem argumenti, & quaedam ad rem oeconomicam ſpectantia. Inedita adhuc ſunt *Vera idea ſcientiarum metaphyſicarum, ac methodus eas cum fructu tractandi. De ſcientiis moralibus ex fundo ipſius hominis ac natura. Elementa iuris naturae & gentium. Breuia elementa diſciplinarum phyſicarum in eorum vſum, qui non admodum ſunt in ſcientiis geometricis & arithmeticis verſati. Tentamen de prudenti reformatione ſcholarum Italiae, quo ſint reipublicae vtiliores. Elementa Theologiae chriſtianae*, quae nec perfecta, nec

limata

limata ſatis adhucdum ſunt, vt ipſe mihi eſt conteſtatus auctor, cui eorum cauſſa graues ſunt motae lites, atque ſpe cathedrae theologicae deiectus fuit, quam nunc tenet in academia *Neapolitana* profeſſor primarius *Thomas* TAGLIALATELLA, egregius ſane, ac ſolidae doctrinae theologus. Non omnia, quae optaram, inuenire *Neapoli* licuit in bibliothecis, praeſertim quod graecam litteraturam ac codices ſpectat, protendente ſe in hanc vſque *Italiae* partem *Graecia* (quae magna dicta eſt, ob varias, vt creditur, *Graecorum* colonias) ac continuatum fuit ad ſequiora vſque tempora *Graecorum* iſtis in partibus regnum. Etſi vero imprimis bibliotheca *S. Angeli ad Nidum*, & *S. Ioannis de Carbonario* PP. *Auguſtinianorum* orientalibus MSS. inſtructa ſit, non vno tamen caſu horum ſpoliis aliunde terrarum bibliothecae ſunt auctae.

Florentia.

N*eapoli Romam* redux, poſtquam duos adhuc fere menſes res meas litterarias curaui, inde caram repetiturus patriam, *Florentiam* verſus iter conuerti, rem meam illic inſtituturus potiſſimum cum Cl. *Ang. Maria* BANDINIO, regio celeberrimae bibliothecae *Mediceo-Laurentianae*, nec non inſtructiſſimae bibliothecae *Maruſcel-*

ruſcellianae, nobilis ciuis *Florentini* eius familiae, praefecto. Prodiit iam primus tomus, & alter ſub prelo eſt eius opera, *Catalogi Graecorum patrum*, qui extant in octo pluteis bibliothecae *Mediceae*; opus nouitate ac vtilitate ſua eruditis omnibus futurum gratiſſimum. In ſingulis enim excutiendis veterum Patrum codicibus, quae in iis habentur vel minima, vt epiſtolas, prologos, carmina, ſententias ſiue eiusdem, ſiue diuerſi eſſent ſcriptoris, picturas, & ornamenta integra fide deſcripſit, adpoſito cuiuscunque opuſculi auctore, titulo, initio ac fine; eorum vero operum, quae inedita viſa ſunt, ſpecimen dat, auctorumque omnium, quorum in iisdem teſtimonia afferuntur nomina ordine alphabetico, improbo prorſus labore digeſſit. Mox inſtituta cum editis comparatione, lectionis, aut diſpoſitionis varietatem, vel quae nondum typis vulgata comperit, adfert, quibus nouae SS. Patrum editiones exornari quam maxime poterunt. Neque omittit ſuppoſititia a genuinis ſecernere, alia inter dubia recenſere, alia ſuis auctoribus vindicare, corrupta emendare, faedata reſtituere, male digeſta in ordinem redigere. Quam vero in eccleſiaſticis ſcriptoribus eruendis diligentiam adhibuit, eamdem in aſtronomicis, mathematicis, poëticis, philologicis, hiſtoricis, medicis, chirurgicis, ac nomicis

micis pertractandis praestare promittit, quos DEO dante tribus aliis ingentibus voluminibus recensendos suscipiet.

Mox eodem pluteorum ordine seruato ad *Latinos*, denique ad *Italicos* scriptores properabit. Tabulas praeterea aeri incisas, plurima veterum characterum specimina exhibentes singulis pluteis, vt etiam insigniores codicum picturas, adferre non praetermittit. Ad haec quum in contexendo *Graecorum* Patrum catalogo plurima occurrerint insignia veteris aeui monumenta, adhuc ignota, quorum pleraque opportunis in locis interseruntur, rei tamen familiaris, laboris ac diligentiae in publicum commodum gratia, speciminis loco *Graecae* ecclesiae vetera monumenta dat tribus voluminibus in 8*vo*. Duo tomi iam prodierunt. Horum primo habetur IVSTINIANI *imperatoris epistola* satis longa *aduersus nonnullos, impium* nempe THEODORVM MOPSVESTENVM, *atque iniqua eius dogmata*, & *epistolam* Ibae *dictam*, *nec non* THEODORETI *libros contra catholicam fidem scriptos*. Item EVDOCIAE *augustae poëma de martyrio* S. CYPRIANI adhuc deperditum, sed cuius PHOTIVS *Cpolitanus* meminerat in sua *Bibliotheca* cod. 183. nunc vero ex antiquissima & ferme euanida erutum membrana.

Tomo II. continentur *Ioannis Chryſoſtomi Homilia in poenitentiam Niniuitarum. Anaſtaſii presbyteri Sinaitae Sermo tertius, in quo declarat, quare duos ſermones in illud dictum :* ad imaginem *conſcripſerit. Oſtendit quoque quam ob cauſam, atque vnde initium duxerit diſputatio de operationibus atque voluntatibus in Chriſto: deinde vero proponit, quinam recte vel ſecus haec in Chriſto docuerint.* Huius ANASTASII duo primi Sermones editi iam fuerant ad calcem *Philocaliae Origenis* graece & latine cura *Io.* TARINI *Pariſiis* 1618. 4*to.* Sequitur eodem in tomo *Formula abiurationis Atringenorum* ex codice membraneo XI. ſeculi excerpta. S. GREGORII *Nazianzeni epigrammata XXXVI.* quae in editione *Billiana* deſiderabantur, ab *Antonio Mar.* SALVINIO latinis verſibus reddita. *Vetus Octateuchi in capita diuiſio* ex antiquiſſimo, & inſigni codice deſcripta. *Recenſio cod.* VIII. plut. VIII. in quo *Ioannis Cantacuzeni imperatoris magnum opus adhuc ineditum continetur contra Palamam, Barlaam, & Acyndinum haereticos, vnacum omnibus ſynodis, quae hac ſuper re geſta ſunt.* Huius operis prooemium, cum totum ſit hiſtoricum, integrum profert. Item *in laudem S.* MAXIMI *carmen.*

Ter-

Tertio tomo, qui ſub prelo eſt, prodibunt IOANNIS *Diaconi Oreſtiadis* (vulgo *Hadrianopolis*) *poëma verſibus politicis contextum in laudem* IOANNIS *Palaeologi*, qui *Florentino* interfuit concilio: *Specimen inſignis codicis XIII.* plutei IX. ſeculi XI. in quo *Expoſitio* adhuc deperdita *S. Ioan. Chryſoſtomi in Iobum* continetur: Deſcriptio optimi codicis, in quo habetur *Nicetae Choniatae theſaurus orthodoxae fidei* in libros XXVII. digeſtus, ex quo ſingulorum librorum argumenta, prout iacent in ipſo codice, proferuntur: *Baſilii M. de ſyniſactis commentariolus*: *Nicephori Caliſti Xanthopuli ſermo in ſanctam & apoſtolis aequalem Mariam Magdalenam*: *Epiſtola ad Imperatorem Anaſtaſium ſcripta a Theodoſio Archimandrita, & aliis,* qui *morantur in eremo*: *Epiſtola Anaſtaſii imp. B. abbati Theodoſio Archimandritae*: *S. Andreae Cretenſis ſermo in natalem diem Deiparae, & ſemper virginis Mariae, & demonſtratio ex antiqua hiſtoria, diuerſisque auctoritatibus, quod ex ſemine Dauid deſcendit*: *Moſchionis ſententiae* ex antiquo codice ſeculi X. erutae: *Deſcriptio inſignis, & vetuſtiſſimi codicis* VIII. plut. IV. in quo GREGORII *Nazianzeni orationes* continentur *cum commentariis anecdotis Baſilii minimi, Georgii Marceſii, Maximi, Theophili, Apolinaris, & aliorum,*

 quos

quos nemo hactenus animaduertit: Demum *antiqua ſacrorum bibliorum in capita diuiſio.*

Ad haec tot ac tanta idem BANDINIVS ex Plut. IX. cod. 13. *Commentar. S. Ioan. Chriſoſtomi in Eſaiam, Ieremiam, & Ioannem* nobis promittit; *Ios.* QVERCIVS vero *Florentinus*, bibliothecae *Corſinianae Romae* praefectus, opera *Georgii Piſidae diaconi Eccl. Cpol.* ſub HERACLIO. Hexam. ed. *de vanitate vitae* inter poëtas *Graecos*: ined. *de bello Abares inter & ciues Cpolitanos.* Omnia verſibus iambicis. *De expeditione Heraclii contra Perſas. Eiusdem in SS. D. N. I. Ch. reſurrectionem. Heraclias*: ſcilicet *ſecunda expeditio Heraclii, in qua mortuus eſt. Eiusdem contra Acephalos.* Item *epigrammatum varia fragmenta ex Suida, Theophane*, qui ſua fecit, ſemel tantum facta mentione *Piſidae.* Praeterea *Florentiae* anno 1755. *Deliciae eruditorum*, ſeu veterum ἀνεκδότων opuſculorum collectanea ſunt edita *Io.* LAMIO colligente illuſtranteque, auctore *diarii Florentini* eruditorum: qui idem hiſtoriae *Florentinae* illuſtrandae operam dat, pariterque *Dominicus Maria* MANNI, aliis etiam eruditis operibus, imprimis collectione ſigillorum viginti tomis clarus: cuiusmodi nouis rebus e tenebris erutis noua lumina rei litterariae accenduntur, v-

tiliſſi-

tiliſſimo ſane labore, indefeſſa tabulariorum & bibliothecarum perſcrutatione, quarum tanta ac tam inſignis eſt in *Italia* copia.

Mutinae, Mediolanum &c.

Ex quibus ſolas adhuc a me in reditu luſtratas *Mutinenſem*, & *Mediolanenſem Ambroſianam* nomino, vnde potiſſimum celeberrimus MVRATORIVS tantam optimarum rerum ſegetem protulit, ſeſeque aemulandum ſuis ſucceſſoribus propoſuit *Ambroſianae* bibliothecae praefecto *Baltas.* OLTROCCHI *Mutinenſi*, & P. *Franc.* ZACHARIAE S. I. vbique ſuis ſcriptis cognito, deſcriptione etiam itinerum per plures *Italiae* ciuitates peractorum ab anno 1757. vſque ad praeſens, quo iter illud litterarium primum prodiit: vnde plura quoad ſtatum rei litterariae cognoſcere licet: plurima autem ex vaſtiſſimo opere ill. comitis *Io. Mariae* MAZZVCHELLI *Brixiani*, de ſcriptoribus ſcilicet *Italiae*, ſeu notitia hiſtorica & critica circa vitam & ſcripta litteratorum *Italiae*, quorum integra quatuor volumina in maiori forma ſolas litteras A. B. ordine alphabetico, quo decurrit, continent. Mihi ego haec breuiter de illis, quas adire meo in itinere vrbibus, atque viris doctis, quibus familiariter vti licuit,

deſcribenda ſumſi, potiſſimum ad inſtimulandos noſtrates, ſollicitandosque, vt pari ſolertia, ac ſelectu bonarum vtiliumque artium & diſciplinarum ſeſe addicant ſtudiis, excuſſo veterno, ac ſcholaſtico puluere, miſſisque ſequioris aeui tricis, ex quibus nullum profectum ſcientiarum ſperare vnquam licet. Earum vtique discuſſio nec eccleſiae nec reipublicae quidquam vtilitatis adfert, & tamen nullus ducendi ſerram contentionis finis eſt.



ITER

ITER GALLICVM

ANNO

MDCCLIX.



Consilium capienti mihi, aliquid additamenti loco, iungendi *Itineri Alemannico* de peregrinatione mea *Italica*, auctores fuerunt amici, vt quidpiam etiam de itinere *Gallico* adiicerem. Diu ego multumque fui cunctatus varia caussatus. Quippe cum iam sex abiissent anni, a quo tempore iter illud susceperam, essentque schedae illae & aduersaria distracta, quae tum feceram, priuatorum quidem meorum studiorum caussa potissimum, vt ea conferrem cum doctissimis sodalibus *Benedictinae* familiae, firmaremque, ac continerem iam iunctam partim amicitiam commercio litterarum, partim conciliarem praesens atque inirem societatem. Vt tamen amicorum cederem consiliis, praecipua *Gallici* itineris sub compendio hic transscribo.

Itaque *Rhenum* apud *Brisacum* traieci, inde ad alpes progressus *Vogesum* transscendi. Desiderio sodalium religionis ac scientiae studio inclarescentium primum excurri ad

Medianum monaſterium S. Hydulphi.

Quod cum alio ad *Verdunum* vrbem celebri congregationi Ordinis noſtri *D. Benedicti* nomen dat, non ſolum per *Lotharingiam*, ſed quasdam etiam *Galliae* prouincias, *Burgundiam* nempe & *Campaniam* patenti. Ipſa etiam per *Gallias* cum *Cluniacenſi* expanſa congregatio *S. Mauri* eumdem famigereratiſſimae congregationis ſuae ſuſpicit parentem & inſtitutorem venerabilem P. *Deſiderium* a Cvria : quod eius epitaphium teſtatum facit apud S. Vitonvm *Verduni*, vti etiam *Philip.* François e praecipuis reformationis propagatoribus, ſancti ac docti aſcetae, quod pii ab eo editi libri teſtantur. Superſunt etiam codices P. a Cvria manu deſcripti, inter alios methodus ediſcendae linguae hebraicae. Vidimus horum virorum in monaſterio *Mediano* imagines, atque ſingulari ſolatio fuit, ipſo profeſto S. Hydvlphi eo nos adtigiſſe, quam proxima die feſtiuitatem, quatenus quidem potuimus, in ſacro cum aliis ſodalibus habitu ornare conati ſumus, religioſiſſimo abbate *Huberto* Barrois, quocum multa nobis de rebus theologicis in *Gallia* nunc controuerſis fuit ſermocinatio, miſſam pontifi-

calem

calem decantante; ſacraque S. HYDVLPHI lipſana ſumus venerati, quae in argentea arca ſeruantur, quam periti quique ad ſeculum ſaltem duodecimum referunt, qua geſta ſancti pontificis exhibentur figuris extantibus, ſeu opere anaglyptico. Doctiſſimis eas notis hiſtoricis illuſtrauit Reu.mus BELHOMMIVS, eiusdem monaſterii abbas, in *Antiquitatibus montis Vogeſi, Argentinae* editis an. 1733. in 4. p. 47. & ſeqq. Infra arcae operculum iſta comminatio inſculpta legitur:

HAC SI ME TVNICA QVISQVAM NVDAVERIT VLTRA:
CONQVERAR HOC IVSTIS IN DEXTRA PARTE FVTVRIS.

Senonenſe.

Aderat illi ſolemnitati cum monachorum *Senonenſium* caterua etiam abbas D. FANCHET, nepos ac ſucceſſor ſcriptis ſuis celeb.mi abbatis CALMETI, qui nos ſecum in ſuum *Senonenſe* abduxit monaſterium, & ſtudia noſtra pro viribus iuuit. In vtroque monaſterio bibliotheca non tam mole quam ſelectu eſt inſignis, & in *Senonenſi* monaſterio imprimis nummotheca, inſuper variis naturae & artis curioſitatibus cura CALMETI aucta, poſt cuius bibliothecam *Lotharingicam* nihil opus eſt ſingulatim recenſere.

Fla-

Flauiniacense.

Idem in monasterio *Flauiniacensi* reperimus, cui tunc adhuc praefuit celeberrimus D. *Remigius* CEILLIER, qui (postquam an. 1718. *Apologiam doctrinae moralis SS. PP.* edidisset contra BARBEYRACIVM, qui in praefatione ad GROTIVM *De iure naturae & gentium* Patres corrupisse doctrinam euangelii adseruerat) vltra quadraginta annos in adornanda *Bibliotheca ecclesiastica noua* post DV-PINIVM, BENEDICTO XIV. Pontifici commendatissima elaborauit. Dum aderam, vigesimus tertius tomus sub prelo erat, vigesimus quartus sub manu. Integrum opus viginti octo tomis se comprehensurum sperabat, sed morte praeuentus imperfectum reliquit. Proposuerat, ad calcem voluminis vltimi, binas edere BENEDICTI XIV. epistolas, alteram latino, gallico alteram ad se datas sermone. Earum exemplum, vt ad me transmisit, operae pretium fuerit, atque dignum memoria & amicitia viri immortalis hic exscribere. *a)* Intercessit mihi quippe non paucis

a) BENEDICTVS P. P. XIV. Dilecte Fili, salutem & apostolicam benedictionem. Per manus dilecti Filii nostri Cardinalis PASSIONEI septemdecim recepimus volumina tuae *Bibliothecae Ecclesiasticae*, meritasque ex corde referimus gratias. Non erat opus nobis incognitum, cum honorificam eiusdem mentionem feceri-

cis annis cum eo litterarium commercium, ac mutua ſtudiorum communicatio, quae in praeſentia non potuit non eſſe iucundiſſima.

Inter alia cimelia oſtendit is mihi idololum aureum, nuperrime e muris veteris caſtelli prope *Flauiniacenſe* erutum, cum bacillo & angue in circum voluto, vt ſolet *AEſculapius* in manu geſtare. Animal quadrupes, canis vt videtur, ad latus dextrum, ad ſiniſtram bipes eſt gallus. Monaſterium iſtud *Flauiniacenſe* ſec. X. ſub ODDONE I. fundatum, diſtinguendum eſt ab altero eius nominis in *Burgundia*, vbi celebris

HVGO

mus in nonnullis noſtris operibus prelo datis, & ſignanter in epiſtola noſtra praefixa editioni Martyrologii *Romani*. Opus tuum nobis viſum eſt perpolite ſcriptum, & ex his, quae hucusque in eo legimus, ſano non inſano criterio abundant, medelasque parant vulneribus apoſtolicae Sedi & veritati impactis in aliis quibusdam *Bibliothecis* praecedenter editis. Sexdecim volumina nobis commodata Domino reſtituemus, & ſeptemdecim a te nobis dono data in noſtra bibliotheca priuata reponemus; idemque fiet de aliis voluminibus a te edendis, ſi ea nobis dono dederis. Agemus cum Cardinali PASSIONEO de modo ad te transmittendi volumina a nobis edita, quae pro animi tui ingenita bonitate ſperamus tibi grata eſſe futura; & dum te plenis vlnis amplectimur tibi apoſtolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum *Romae* apud Sanctam Mariam maiorem die 4. *Septembris* 1751. Pontificatus noſtri anno duodecimo.

Inſcriptio: *Dilecto Filio Remigio* CEILLIER *monacho Benedictino e Congregatione Sanctorum Vitonis & Hydulphi.*

HVGO *Flauiniacensis* abbas fuit, antea tamen in hoc *Lotharingico* monachus.

Flauiniaco acceptis a Reu.mo abbate litteris ad amicos *Parisienses*, hanc in vrbem iter ingressus sum via plane regia, quae peregrinantibus perinde commoda ac iucunda accidit, ac *Gallorum* ciuilitas, morumque facilitas, animusque officiosus, & supra vulgi opinionem sincerus aduersus eos, quos aliquo loco habent, inque amicitiam recipiunt. Plena relinquitur apud *Gallos* ea libertas, quae definitur a CICERONE potestas viuendi vt velis; non licentiam viuendi intelligo, nec laudo, sed indulgentiam quamdam suo ingenio viuendi cum humanitate coniunctam. Promtus vbique est aditus atque congressio cum litteratis. *Parisii.*

En François.

BENEDICTVS P. P. XIV. Dilecto Filio salutem & apostolicam benedictionem. Nous avons reçu par les mains du Cardinal PASSIONEI le XVIII.e tome de votre savante *Histoire génerale des autheurs sacrés & ecclesiastiques*, accompagné aussi *de l'Apologie de la Morale des Peres de l'Eglise*; deux ouvrages heuresement sortis de votre plume, dont nous vous rendons trés distinctement nos remercimens, vous assurant que nous admirons toujours de plus en plus votre vrai merite soutenu & fortifié par votre infatigable application aux études sacrées & profitables au bien de l'Eglise. C'est pour vous marquer cette sincere disposition de notre part & pour procurer en vous la continuation de votre zele, que nous vous donnons avec une tendresse paternelle notre benediction apostolique. Datum *Romae* apud Sanctam Mariam maiorem die 4. *Iulii* 1753. Pontificatus nostri anno XIII.

Parisii.

Id vero *Parisiis* primum erat, vix salutato hospite, quae mea esset de controuersiis, quas *Vltramontanas* vocant, animi sententia. Quibus ego, vos, aio, perinde ac *Itali* pro indole inferbuistis, *Germanus* fors sanguine frigido (*de sang froid*) medium se opportune interponat. Exposui tum meam *de communione potestatis inter summos ecclesiae pastores pontificem Romanum & episcopos* per orbem catholicum mentem, paullo etiam feruentius pronuntians, oppositas in vtraque parte opiniones schismati fauere, ordinemque inuertere charitatis & vnitatis a Christo positum in collegio apostolorum, quod episcopi repraesentant, non excluso PETRO in suis successoribus. Esse hanc adieci ipsissimam contentionem factam inter apostolos, *quis eorum videretur esse maior*: theologi esse, ex verbis Christi rem agere dicentis: *Vos autem non sic*; pii autem christiani, cum Christo rogare coelestem Patrem, *vt sint vnum.* Persimiles contentiones D. PAVLVM in *Corinthiis* damnasse *quod vnusquisque vestrum dicit: ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephae: ego autem Christi. Diuisus est Christus?* Hactenus, addo, acerrimos libertatum *Gallicanarum* vindices *Romanam*

nam

nam ſedem centrum vnitatis agnouiſſe. Quid inde conſequatur palam eſſe.

Exprobrabant mihi, *Ianſeniſmum* phantaſma, aiunt, illud, ceu in rerum natura exiſtat, nominare me ſubinde in opere theologico, cuius tunc priores quatuor partes in lucem prodierant. Reſpondi, *Ianſeniſtam* me neminem denunciaſſe aut nominaſſe in theologia mea, qui quinque propoſitiones propugnet: apud nos autem *Ianſeniſtas* dici etiam Iansenii defenſores, atque Qvesnelli: de quo me iterum inceſſebant, quod bullam *Vnigenitus* in eccleſia receptam edixerim. Reſpondi, de ſenſu propoſitionum determinato, vnde poſſit eſſe regula fidei, nihil me ſtatuere: *Gallicanos* praeſules receptionem bullae illius grauius iam etiam vrgere, quam ipſum *Romanum* pontificem. Namque acciderat, dum *Pariſiis* degebam, vt Sacramenta moribundis iuſſu archiepiſcopi negarentur, eam receptionem detrectantibus. Vniuerſim vero, quod controuerſias *de gratia* ſpectet, non diffitebar, me in nonnullis capitibus deceptum fuiſſe ab ipſis theologis *Gallis*, Tovrnelio imprimis, cui apud nos plurimum ea in re defertur, quod agitandae cauſſae *Ianſenianae* primum *Duaci*, deinde *Pariſiis* ab exordio adfuerit, mihique a celebri Praelato *Gal-*

lo,

lo, quem ea de re, antequam manum admouerem operi theologico, consulueram, fuerit hisce commendatus verbis: „Quant a ce que „vous demandez, qu'on vous marque les ar-„ticles controuersés en *France* pour la theolo-„gie, si vous avez chez vous la theologie de „TOVRNELY, vous y apprendrez toutes les „controverses dans nos ecoles. Cet auteur „explique fort bien & avec nettété les diffe-„rentes opinions de nos theologiens &c." Quantae ad haec verba in TOVRNELIVM vociferationes! hominem, aiebant, venditum *Iesuitis*, ac versipellem, qui ad extremum mutarit etiam sententiam, dum se spe episcopatus deiectum intellexerat.

Propositum mihi fuit in reditu ex *Galliis* mutare positiones quasdam meae *Theologiae mysticae*, nisi abbas *Mediani* monasterii, tunc praeses congregationis *SS. Vitoni & Hydulphi*, *Humbertus* BARROIS, qui pro doctrina S. AVGVSTINI quibusdam editis opusculis egregie certauit, dissuasor consilii fuisset cum *Germanis* theologis, atque quibusdam etiam *Italis*: etsi postea *Italiam* peragratus non minus acres doctrinae S. AVGVSTINI *de Gratia* defensores vbique locorum, *Romae* praecipue inuenerim: neque etiam in *Germania* desunt, crescetque eo-

eorum numerus. Reu.mus *Io.* de MOLINA in Miniſtrum generalem Ord. S. FRANCISCI *Mantuae* electus, in litteris encyclicis *Romae* die 4. *Octobris* anni 1762. datis, ſerio diſtricteque praecipit de tuenda in quaeſtionibus *de natura, gratia*, & *praedeſtinatione* S. AVGVSTINI doctrina.

Regrediendum iam eſt ad rem litterariam, litteratosque *Pariſienſes*, doctiſſimos imprimis ſodales ex congregatione S. MAVRI, praecipuum ornamentum ac fulcrum ſolidioris eruditionis, quam fere iam faſtidit volubile *Gallorum* ingenium, delicati magis quam ſolidi in ſelectu & cultura bonarum artium ſaporis, vt ipſi ſagaciores confitentur; quique ſeuerioribus ſtudiis animum intendunt, poſthaberi lucubrationes ſuas & labores pro commodis & incrementis reipublicae litterariae, conqueruntur; neque adeo dolent, deeſſe aequos aeſtimatores, quam typographos & bibliopolas, qui in ſuas curas & impenſas ſuſcipiant egregia opera potius, quam ludicra quaeque & curioſa ad gentilitium genium compoſita. Iam ſatis eſt, tenebris addicere luce digniſſimos praeſtantiſſimosque libros, ſi latino ſermone ſint perſcripti. Sic lingua haec, quam propriam ſibi ſemper dicauit orbis litterarius, neglectui deſpicatuique habe-

tur

tur prae gallica, proiectitia linguae latinae prole, quae quam etiam eleganter excomatur, ſemper puerile quid ſapit, nec adaequat maieſtatem, vim, & proprietatem rerum, quae ſunt palmaria doctarum lucubrationum argumenta, ſacra praeprimis & antiquaria.

Memini, me ex doctiſſimo abbate CEILLIERIO audiiſſe, ſe, cum duo priora volumina *Bibliothecae ſcriptorum eccleſiaſticorum* latine conſcripta *Pariſios* detuliſſet, neminem reperiſſe, qui in ſe reciperet editionem, niſi gallice redderet, proſequereturque opus, eiuscemodi ſcilicet, quod hiſtoriam criticam, atque analyſes complectitur omnium antiquorum monumentorum eccleſiaſticorum, quae aut latina ſunt, aut ex graeca potiſſimum lingua in latinam iamiam accurate a viris doctiſſimis translata. Fruſtra fuerunt ex meis etiam ſyncellitis congreg. *S. Blaſii*, qui opus iſtud in linguam latinam conuertere tentarent, quod digne nemo praeſtare poſſit, niſi eundem prope in ſe ſuſciperet laborem, quo ipſe perfunctus eſt auctor, ipſa nimirum ſingula autographa ſyllabatim perlegendo, vt aptae & genuinae fierent analyſes, ſeruata vi & proprietate verborum.

Id longe expeditiſſimum futurum ſibi fuiſſe, vt palam eſt, profitebatur diligentiſſimus

Ceillierivs, ſi latinas verbum pro verbo analyſes reddere licuiſſet; tum vero facile acci-diſſet, interpretationem etiam gallicam parare pro gentilibus ignaris linguae latinae; exteri enim nos etiam alias melius ſemper latina latine legimus, quam circumſcriptionibus gallicis infuſcata. Id quod idem locum habet in omnibus illis ſcriptionibus argumentorum ſeu materiarum, in quibus docti ſolummodo verſantur, quarum notiones & ſignificatus verborum proprii ciuitate latina pridem ſunt donati. Aliquando neceſſariae emergunt cauſſae alia vtendi lege.

Exemplo ſit nouus tractatus de re diplomatica, quem gallice contra *Gallos* quosdam omnem rei antiquariae fidem laceſſentes poſt latinum P. Mabillonii elaborandum inſtituerunt duo indiuidui ſtudiorum ſocii e congregatione S. Mavrii P. Tovstain & P. Tassin, qui coniunctis etiam viribus nouam editionem operum S. Theodori *Studitae* adgreſſi ſunt. Immenſus autem labor, quem in nouo opere diplomatico ſuſceperunt atque praematura mors P. Tovstain in cauſſa ſunt, cur nondum Theodorvs lucem adſpexerit. Necdum tomus ſecundus diplomatices perfectus erat, cum mortem oppeteret P. Tovstain. Adiunxerant qui-

dem

dem identidem ſocium ſuperiores congr. *S. Mauri* Patri Tassin, ſed alter & ipſe praemature e viuis exceſſit, alter exſpectationi non reſpondit, vt P. Tassin conſultius exiſtimaret in ſe ſolum transferre laborem improbum, vixque ferendum humanis humeris onus; cui equidem propemodum ſuccubuit eo ipſo tempore, quo *Pariſiis* eram hoſpitio coniunctus eius cellae, in qua graui decumbebat morbo.

Maximus fuit apud omnes de viri huius valetudine luctus, qui perſpiciebant animo, quantam in eius morte iacturam faceret res litteraria. Palam quippe eloquebantur, ſiquidem quiscunque alius Doctorum *Pariſienſium* e vita eriperetur, qui aliquid noui operis eruditi infectum relinqueret, alios futuros qui coeptam perficerent telam; huic autem grandi operi diplomatico neminem iam parem fore. Neque vero leuis potuit eſſe animi mei dolor, qui totus ſtudio rei antiquariae tum eram addictus, nouum etiam adgreſſus diplomatices, muſicae nimirum, genus: quod dum ex me audiuit, quantum fractae corporis animique vires permiſerunt, delectauit optimum virum, praeſertim dum intellexit, ex notis muſicis vetuſtis certa quaedam antiquitatis criteria conſtare, eorum ſeculorum potiſſimum, quorum ſcriptu-

rae difficilius inter ſe diſcernuntur, ſeculi noni videlicet & decimi, maxime vero vndecimi & duodecimi. Quum enim ſeculo vndecimo lineolas primum ad diſcriminandum notarum muſicarum ſitum excogitarit GVIDO *Aretinus*, perinde fixum ratumque eſt, ac ſi annorum epocha in MSS. adiecta eſſet, quando in codicibus liturgicis, & ſi qui alii cum notis muſicis ſunt exarati, lineolae ductae comparent, MSS. illa poſteriora GVIDONE *Aretino* eſſe, qui vixit adoleſcente ſeculo vndecimo. Peroptarat vir ſummus ex vaſtis aduerſariis ſuis, quae ad rem meam facere poſſent, ſeligere, ſed deſtitutus robore haud valuerat. Et hoc eum in deplorato ſtatu moerens reliqui, dum in *Germaniam* redii.

Sparſus eſt poſtea apud nos de ipſa morte Patris TASSIN rumor, firmabaturque apud me ob diuturnum eiusdem ad litteras meas ſilentium. Quo de cum mihi ſermo eſſet cum amico quodam *Italo* tunc *Germaniam* peragrante, res ceu aſſerta in nouis litterariis *Florentinis* a doctiſſimo LAMIO eſt denunciata, dum ego breui poſt comperi, P. TASSIN conualeſcentem poſtremam manum operi diplomatico impoſiturum. Nec ſpes fefellit, prodiit enim iam ſextus ac vltimus conſummatiſſimi diplomatici

matici operis tomus. Certior autem factus de morte P. *Prudentii* MARAN, cauſſam falſae famae de morte P. TASSIN animaduerti.

Cum *Pariſiis* eſſem, P. MARAN editioni operum S. ATHANASII inſudabat, quam adhuc ante fatum abſoluit, Eidem debemus opera S. IVSTINI, S. CYPRIANI, ac tertium tomum operum S. BASILII. Praeterea ſcripſit de diuinitate Verbi latine librum maxima refertum eruditione, eundemque contractum gallice edidit tribus tomis in forma duodecima. Scripſit etiam diſſertationem gallicam, cui titulus: *Diſſertation ſur les Semi-Ariens*; item librum gallicum inſcriptum: *Doctrine de l' ecriture & des Peres ſur les miracles*: alium *des grandeurs du Meſſie* aduerſus P. BERRVIER *Ieſuitam.*

Superuixit huic P. *Vrſinus* DVRAND, ſocius olim itinerum & laborum P. *Edmundi* MARTENE: tum vero, cum *Pariſiis* degerem, continuationi litterarum pontificum *Romanorum* incumbebat, prae caeteris omnibus, quos impaluiſſe chartis ſocios vidi, vegetior, octogenarius iam, vt ſciſcitanti mihi reſponſum eſt; additum vero: cauerem dicere ei, quod tam profectae eſſet aetatis, ne forte de impenſo quiddam remitteret ſtudio ac diligentia: quod feſti-

uum admodum ac iocundum auditu fuit, virum hunc adeo ſui immemorem aetatem ſuam in otio litterario conſumpſiſſe, vt dediſceret dies vitae. Quidquid vero rei ſit, teſtem ego eius cito doctiſſimum P. *Franciſcum* CLEMENT, qui edidit duas diſſertationes gallicas de *Pentateucho Samaritano*, a P. *Mauritio* PONCET in viuis adhuc agente, & P. *Antonio* RIVET defuncto, ſcriptas, ſed a ſe in multis emendatas. Cuius etiam P. CLEMENT eſt tomus vndecimus *l' Hiſtoire litteraire de France.* Tomum duodecimum cum P. *Carolo* CLEMENCET concinnauit; ab hoc eodem tomus decimus eſt elaboratus, poſt mortem ſcilicet P. *Ant.* RIVET, quae an. 1749. accidit, poſtquam priores nouem tomos digeſſiſſet. Scripſit idem P. CLEMENCET vtiliſſimum librum, cui titulus *l' Art de verifier les dattes.* Item *l' Hiſtoire de Port-Royal X. Voll.* in forma 12.ma *Refutation de la fable de Bourgfontaine. Lettres au S.r Morenas ſur ſon abrégé de l' hiſtoire eccleſiaſtique.* Praefatio, quae praefixa eſt bibliis gallicis P. SABBATIER, eſt eiusdem P. CLEMENCET.

Cum illis, quos hactenus viuos *Pariſiis* ſodales laudaui, quotidiana mihi conſuetudo fuit in monaſterio *des Blancs-Manteaux* (quod fuit olim *Wilhelmitarum*) vbi in otio litterario degebant,

gebant, ego vero hoſpitabar. *San-Germanenſes* enim nonnihil de perſona mea principio ambigui eſſe ſunt viſi, quod nullas abbatis mei peculiares ad Superiorem Generalem detuliſſem commendatitias. Eſt is Reu.mus DELRUE, iam quartum in ſuo officio ac dignitate confirmatus, quod fieri ſolet ſingulis trienniis: qui nulli operae in promouendis litterarum ſtudiis parcit, ac meis etiam plurimum hactenus fauit. Ex *San-Germanenſibus* praecipua erga me humanitate vſus eſt P. BREZILLAC. Abſoluit is *Hiſtoriam veterum Gallorum* a P. *Iacobo* MARTIN inceptam. P. *Vincentius* DE LA RVE *operibus* ORIGENIS poſt auunculum ſuum P. *Carolum* DE LA RVE vltimam manum impoſuit. P. *Franciſcus* HENRI *Galliam chriſtianam* perfecit, cuius iam tum vndecimus tomus eſt editus. P. HAVDIQVET *Collectionem hiſtoricorum Gallicorum* adornat; tum decimus tomus ſub prelo fuerat.

Plures ſodales congregationis *S. Mauri* operas partiuntur in condendis *Hiſtoriis ſingularium prouinciarum*, quae ſolent eſſe probata ſinceris authenticisque documentis, & accurata opera. P. SALARAC iam abſoluerat *Hiſtoriam Burgundiae.* P. HOVSSEAV *Hiſtoriae prouinciarum Turonenſis & Andegauenſis* incumbebat;

HistoriaeBiturciensi P. BRETIEVX; *Historiae Picardiae, Historiae prouinciae Pictauiensis* P. FONTENAV; *Historiae Laudunensis* P. BVGNIATRE; *Campaniae* P. ROVSSEAV; *Normanniae* P. LE NOIR; *Guienniae* P. DE VIENNE; P. *Tussanus* DV PLESSIS edidit *Historiam Meldensem* satis elegantem, sed mendis erroribusque refertam, *Historiam Curiacensem* parui aestimatam, *Topographiam Caletensem* satis accuratam, tribus tomis in forma quarta. P. BOVROTTE parat *Topographiam Ouitanensem.* P. BERNETTI scripsit *Dictionarium Picturae & Sculpturae*; edidit *Systema peculiare de Mythologia*, in quo ad alchymiam omnia reuocat: *Opus inauspicatum.* Nunc *Genealogiae Noalliorum* insudat. Sanctius opus suscepit P. MASSANE, *Dissertationes in Scripturam sacram* a P. GALBAVT inceptas absoluendo. P. DVBVSQVE parat nouam editionem *Operum* S. AMBROSII. P. CASTEL operam dat editioni PHOTII, sed per decursum demum multorum annorum perfecturum se sperat vir in flore aetatis constitutus. De quo ego insignia quaeuis ominatus sum ex erudita, placidissimaque conuersatione in monasterio *S. Dionysii* prope *Parisios* cum eo habita.

Instituebatur tunc regio illo in coenobio cursus philosophicus iuniorum. Paradoxum vero mihi

mihi fuit audire ex iuuene professore philosophiae (cum eum ad lectionem & studium philosophiae nouae eclecticae in *Germania* excultae hortarer) esse suam nationibus propriam & peculiarem philosophiam. Aderant mecum alii professores ex *S. Germano*, cum quibus iocunde degebam. Nec abs re fuerit narrare, quod aliquando, dum priuatim in mensa considebamus, confabulabamur. Aderat inter nos procurator rei domesticae. Quem vt animaduerti multo sale perfricari, partes ego curatoris suscepi, &, vt aio, iure merito pro more *Germaniae* nostrae. Erat haud pridem, pergo, apud nos in monasterio *D. Blasii* monachus congregationis vestrae *S. Mauri*. Is, cum confidentius nos inter colloqueremur, id sibi permirum videri apud nos *Germanos Benedictinos* dicebat, eos qui curant res domesticas, prae illis, qui litterarum studiis insudant, in honore haberi. Respondi, me prandio sumto responsum daturum. Cum igitur tolleretur mensa, ciuiliter is oeconomum salutauit, pro lauto prandio gratias persoluens; tum ego manu prehensum compellaui, veluti dicam impingens, quod mihi officium istud humanitatis haud praestiterit; respondit ille, hoc sibi visum debere ei, qui pararit conuiuium. Tum ego, eo nos, inquam, *Germani* consilio erga illos,

qui

qui omnia, quae ad viuendum neceſſaria, ſubminiſtrant, gratos nos & officioſos exhibemus, dum incurioſi nos & quieti in cellis noſtris ſtudiis placide vacamus. Pro commento hoc me procurator *San-Dionyſianus* plurimum amauit. Ego vero ex animo viri cauſſam egi, qui vltra centum monachis quotidianum ſuppeditat victum in hoc regio totius *Galliae* florentiſſimo monaſterio, inde a *Merouingicis* temporibus, vt nihil volupius potuerit eſſe videre, quam tot DAGOBERTI praeſertim regis chartas, diplomata ſeu praecepta, quae largitionum monaſterio factarum fidem adſtruunt in papyro etiam *AEgyptiaca*, quae poſt DVBLETVM curatius MABILLONIVS, & laudati auctores *Tract. dipl.* partim ediderunt, partim recenſuerunt, vindicaruntque contra GERMONIVM, exteri etiam, ac inter alios *Iuſtus* FONTANINVS.

Quis ergo dubitet, *Galliarum* reges ampliari voluiſſe locum, in quo ornamenta ſuae inaugurationis, ipſaque corpora poſt mortem depoſita eſſe volebant ad S. DIONYSII tumulum, de quo ſtudioſe indagaui: cumque indigitaretur mihi hiatus in columna templi poſt altare princeps, id vnum pro *San-Emeranenſibus Ratisbonae* monachis (qui corpus S. DIONYSII ab ARNVLPHO imperatore ſublatum, apud ſe repoſi-

tum

tum contendunt) dixi mirum videri, venerandum adeo ac incomparabilem thesaurum absconditum occultari, vbi caetera omnia tam magnifice ostententur in armario, sacrarioque non facile vlli per orbem Catholicum secundo.

Aderam in festo D. PETRI tutelaris loci cum S. DIONYSIO. Patebat tum altare princeps, totum ex auro coelato, gemmatoque tam splendide ac copiose, vt lapidum singulorum descriptio grande volumen impleat. In officio summo epistola, & euangelium veteri more in ambonibus fuerunt decantata, diaconus & subdiaconus sub vtraque specie, quod aliis etiam festis, singulisque dominicis diebus fit, communicabant. In praecipuis etiam quibusdam festis totum graece celebratur Missae officium ab antiquissima aetate, vt vetusta sacramentaria produnt. Ex quibus tamen vetustius est latinum sec. IX. in quo oratio dominica inter alia cum notis musicis legitur, quas delineaui pro historia musica: dumque domum postea redux eius genuinum cantum; notis recentioribus explicatum, *Parisios* remitterem, facile a Reu.mo Superiore Generali non tantum accuratiorem etiam scripturae delineationem, quam petii pro mea diplomatica musica, sed ipsam tabulam aeri incisam obtinui.

Iam

Iam memoraui, *San-Germanenſes* ſodales principio nonnihil de me dubitaſſe; vnde in bibliothecam admiſſi variis modis in re antiquaria peritiam tentarunt. Exhibito inter caetera pſalterio notis TIRONIS exarato, haeſi paullum, fateor, cum nullum antea monumentum eiuscemodi meos ſubierit oculos, nec ſtatim, quod eo de codice legeram, in animum venit. Steti nonnihil, ora tenui, dum ecce redeunt imagines notarum eiuscemodi, quas aeri inciſas non ſemel videram. Ohe! exclamo: Notae *Tironianae*, notae *Tironianae* ſunt! Itaque non ſolum conciliaui mihi ſodalium animos ac ſtudia, ſed aliorum etiam per vrbem litteratorum, ad quos illi de me retulerunt vltra meritum laudes.

Liberrimus mihi erat ad bibliothecam regiam acceſſus etiam praeter conſtitutos *Martis* & *Veneris* dies, vſusque promtiſſimus, quod maximam iam partem catalogus typis eſſet excuſus, eſtque numerus MSS. plurimum auctus acceſſione bibliothecae *Colbertinae*, quemadmodum *San-Germanenſis* magnum accepit incrementum ex praeſtantiſſimis MSS. bibliothecae *Coislinianae*. In regiam etiam bibliothecam dudum translata ſunt MSS. bibliothecae *Mazarinae*, quae eſt inter praecipuas vrbis bibliothecas, certis etiam diebus omnibus ſtudioſis aperta, veluti illa Canonicorum *S. Victo-*

ris,

ris, ac nouiſſime ciuica, vt praeteream bibliothecas publicas aduocatorum, doctrinae chriſtianae, facultatis medicae. Inter praecipuas, quas frequentaui, litteratorum etiam cauſſa, ſunt *S. Genovefae*, *Patrum Oratorii*, *Sorbonae*, *Ieſuitarum*, ducum *Rohanicorum* prope monaſterium *Benedictinorum des Blancs-Manteaux*, quibus maximae commoditati vſuique eſt, paulloque ante laudatis eruditiſſimis Patribus ex congregatione *S. Mauri*. Hi cum P. Priore conuentum ſeu chorum eruditorum faciunt, qui mihi iocundiſſimus rebusque meis litterariis peraccommodus fuit. Eroque, dum viuam, memor officiorum, quae omnes illi mihi certatim impenderunt, praeſertim P. *Franciſcus* CLEMENT fidiſſimus comes per vrbem. Semel is edoctus a bibliothecario regio, virum quemdam doctum ingenti ſtudio antiquae muſicae graecae incumbere, eo me deduxit. Inuenimusque in quodam domus angulo abſtractiſſimum decem iam, vt aſſeuerabat, annis indagando veterum trium muſicorum generum *Enharmonici*, *Chromatici* & *Diatonici* diſcrimini totis ingenii viribus incumbere, nec tamen eo profeciſſe, vt aliquid dignum luce publica, ad quod eum ſtudioſe hortabar, proferre poſſit. Dici non poteſt, quanto geſtierit gaudio, dum inſperato me videt, auditque id genus ſtudii excolere, in quo ſe vnum

ac

ac ſolum operam ponere putarat. Contulimus ſententias, cantando etiam animi ſenſa expreſſimus, de genere potius quodam mixto ex *Diatonico* & *Enharmonico*, non quale quidem vulgus muſicorum *Chromaticum* eſſe cenſet hodiernum muſicae ſyſtema, ſed ſubtilius quoddam vſu interuallorum *Enharmonicorum* ad veterum mentem, quod tamen accommodari poſſit ſimpliciſſimis modis muſicae eccleſiaſticae in genere *Diatonico*, vt quo paucioribus varietatibus neuma muſicum (vt vocare ſolebant ſcriptores muſici melodiam) conſtat, eo aptius ſit. Sed haec longius abeunt a meo inſtituto *hiſtoriae Muſicae eccleſiaſticae*, in quo etiam celebris abbas Le Bevf elaborauit *Pariſiis*, quem tum graui decumbentem morbo, vehementer dolui conuenire pro libitu haud potuiſſe. Propoſitum ei erat, amplum tractatum *de origine & progreſſu Cantus eccleſiaſtici* edere; eamque in rem collectanea multa ac varia fecerat, quorum epitomen tantum quandam an. 1741. edidit *Pariſiis*.

Taceo de aliis doctiſſimis lucubrationibus digniſſimi academiae ſcientiarum ſocii: cuiusmodi tres ſingulare vrbis *Pariſinae* ſunt ornamentum, academia nimirum linguae gallicae, deinde academia inſcriptionum & liberalium

diſci-

diſciplinarum (*Belles lettres*) tertia academia ſcientiarum κατ' ἐξοχήν. Quarum prima vetuſtior, duae alterae ſub magno LVDOVICO cum bonis litteris effloruerunt, eduntque ad hunc vſque diem docta ſua commentaria. Sparguntur per orbem litterarium academici ſocii, nec ſolum *Gallia* aut *Pariſiis* continentur, etſi Senatus academicus, cuius ſunt ſtati in Lupara regia conuentus, in vrbe conſiſtat, in quam vti in aliis rebus omnibus, ita etiam in litterariis robur veluti ac ſplendor *Galliarum* collectus habetur, vt recte vniuerſae *Galliae* compendium dici poſſit.

Compendium.

Quod nomen eſt vrbis, famigeratiſſimae imprimis ſub ſtirpe *Carolingica*, cuius adeundae deſiderium inflammauit bibliotheca percelebris monaſterii *S. Cornelii* antiquiſſimis MSS. praeſertim *liturgicis* referta, quae inter *antiphonarium* & *reſponſale* ſeu liber officialis. Codex picturis, litteris purpureis ac aureis magnifice exornatur, quibus paſſim notae muſicae inſcriptae ſunt: ſcriptus eſt ſec. IX. Ex eo antiphonae, verſus, reſponſoria, quae ad antiquum curſum eccleſiaſticum pertinent, in noua operum S. GREGORII editione a *San-Maurenſibus* adornata, ſunt deſumta.

Mart. Gerbert. Iter Gall. Ll *Mon-*

Monast. Clareuallense, Fauernense.

Diuertimus etiam ad monasterium *Clareuallense* tum religionis caussa, cum etiam studio, ac contentione, asserti aliquid de libris S. Bernardi de musica indagandi. Sed monachis adseuerantibus, bibliothecam in cumulo iacere ob recentem magnifici monasterii structuram, destructo veteri, nec vllum videre librum licuit, nec adloqui hominem, qui notitiam eiuscemodi rerum aliquam haberet. Sic vero omnia comparata reperimus, vt vere tumulum S. Bernardi inuenisse me ingemuerim. Pretiosissimas sacras reliquias, ex oriente per expeditiones sacras allatas, ornat tum habitus S. Bernardi, cum praecipue eius sepulchrum, super quod celebrato summo mane Sacro in calice S. Bernardi, iter repetii *Lingonas* versus; inde ad monasterium *Fauernense* perrexi, de quo grande miraculum superiore seculo ineunte circa S. Hostiam factum iam narraui in *Itinere Allemannico*.

Luxouium.

Isthinc *Luxouium*, quod primum S. Colvmbanvs monasterium exstruxit, venimus, vbi eiusdem generis thermae calidae sunt, quales in *Plombaria* aliquot leucis distante. Salubres

lubres etiam tunc mihi fuerunt. Deſcripſit eas ſingulari libello abbas CALMET. Reperta ante paucos annos eſt *Luxouii* vrna oſſibus plena, quod eſt reconditae antiquitatis *Romanae* monumentum, quando adhuc cremari cadauera, ac in vrnis condi oſſa conſueuerunt. Reperta ſimul ſunt inſtrumenta veterum ad ſcribendum in cera & cortice. Quae vnacum aliis antiquis monumentis, ac MSS. antiquiſſimis in bibliotheca conſpexi ſumma cum voluptate, imprimis vetuſtiſſimum lectionarium *Gallicanum* quod prae gaudio exiliens dum reperit *I.* MABILLONIVS, hac inuentione permotus, opus de *liturgia Gallicana* adgreſſus eſt.

Mons ſanctus Romarici.

Abhinc plana per *Gallias* patet via a *Vogeſi* faucibus ac montanis, tot ſanctis coetibus a prima religionis chriſtianae liberiore propagatione certatim conſtitutis celeberrimi; vt dum ethnica ſuperſtitione Deus eſt habitus *Vogeſus*, chriſtiana religione iure merito diuus ac ſanctus dici poſſit, quomodo ſingulariter *mons ſanctus* vocatur, vbi S. ROMARICVS vixit, ac celebre fuit caſtrum *Hauendum*, palatium *Auſtraſiis* & *Carolingicis* regibus frequentatum. Vnde ſunt, qui, perperam quidem, celebris in

Argouia caſtri *Habsburgici* originem nomenque deducunt, atque adeo origines *Habsburgo-Auſtriacas.* In eo monte adhucdum monachi S. BENEDICTI perſiſtunt, poſtquam, parthenone ab *Vngaris* deſtructo, Sanctimoniales (quae ſunt hodie Canoniſſae ex nobili proſapia ſub principe CHARLOTTA *Lotharingica* in ſingulis domibus priuatim degentes) ſec. X. deſcendiſſent in amoeniſſimam vallem ad oppidum *Remiremont* pagi *Habendenſis*, quam ſubiuimus, veſtigia indagantes veteris viae *Romanae*, cuiusmodi eſſe volunt vicum.

L'Etrée veſtigium veteris viae Romanae.

L'*Etrée*, ex ſtrata via nimirum compoſito nomine, quod pluribus adhuc *Galliae* locis inhaeret, quae ad ſtratas olim vias *Romanorum* ſita ſunt ex mente SCHOEPFLINI. Hic autem locus inter *Romarici* & *Buſſanum* montem eſt, haud procul a *Moſellae* fontibus ad *Vogeſi* radices, *Moſa*, *Arari*, *Ello*, *Morta* eodem ex monte originem capientibus, quem

Frankenberg

Adpellant, *Galli Framont*, qui vero a latere occiduo *Vogeſi* habitant *Donon*; ex ſenten-

ſententia vero TRITHEMII & aliorum *Franken-berg* dictus eſt a primorum *Francorum* regum a PHARAMVNDO vſque ſepultura, coniectura facta ex reliquiis variarum ſculptarum imaginum, quae tamen potius *Romanae* antiquitatis peritis ſimulacra cenſentur Deorum Dearumque.

Tan.

Ad eius radices proceſſit vetus illa *Romana* via; nunc etiam ad *Moſellam* per *Vogeſi* iugum regio plane opere complanata eſt via ad vallem S. AMARINI. Inde ad oppidum *Tan* itur, vbi vetus eccleſia, ac turris eſt inſignis, quam compendium vocant *Argentinenſis* operis exquiſitiſſimi, quantum tulit *Gothica*, quam vocant, ſtatuaria, vbi etiam praeter ſpem, occaſione Sacri faciendi monaſterium PP. *Franciſcanorum* obeundo, ac dum interim in hoſpitio prandium pararetur, bibliothecam ſubeundo, ad rem noſtram liturgicam non proletaria inuenimus. Hinc per *Enſishemium*, *Briſacum*, iuga montium, ex altera *Rheni* ripa *Vogeſo* aemula domum repetiimus.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM.

A.

B.

 tum.

F.

F.

G.

I.

K.

L.

P.

R.

S.


T.

X.

FINIS.

Corrigenda.

Pag. 1. lin. 15. pro & lege *ut.* p. 38. lin. 12. pro *monasteris* lege *monasteriis.* p. 70. lin. 26. pro *denuato* lege *denudato.* p. 146. lin. 3. pro *inquiores* lege *iniquiores.* p. 222. lin. 3. pro *sibi* lege *sibi.* p. 229. lin. 11. & 12. pro *vitorum* lege *vitiorum.* p. 262. lin. 17. pro *molindinarum* lege *molindinorum.* p. 276. lin. 25. pro ȣ lege τȣ̃. p. 438. lin. 2. pro *Vindobensi* lege *Vindobonensi.*


D M
HIC SITVS EST
L AEL VRBICV
QVI VIXIT AN
VN M V D V
VNO AVG LIB
PP STATVRG
XI CAES ECVN
P DVLCISSIMF
Scala quator Pedum Fig.
Tab. I.

Page 43

Page 514.

INCP PROLOG SEPTĒ EPISTOLR̄

Non ita ordo ē apud graecos qui integre sapiunt et fidem rectā sectantur. Epistularum septem quae canonicae nuncupantur. sicut in latinis codicib. inuenitur. quod quia petrus prim̄ ē in numero apostolorū. primae sint etiam eius epistulae in ordine ceterarum. sed sicut euangelistas dudum ad ueritatis lineam correximus. ita has proprio ordine dō nos iuuante reddidimus. Est enim prima earum una iacobi. petri duae. iohannis tres. et iudae una. quae si ut ab eis digestae sunt. ita quoque ab interpraetib. fideliter in latinum eloquium uerterentur. nec ambiguitatē legentib. facerent. nec sermonum sese uarietas inpugnaret. illo praecipue loco ubi de unitate trinitatis in prima iohannis epistula positum legimus in qua etiā ab infidelibus translatoribus multum erratum ēē fidei ueritate conperimus. trium tantum modo uocabula. hoc ē aquae sanguis et spš. in ipsa sua editione ponentes et patris uerbiq. ac spš testimonium committentes. in quo maxime et fides catholica roboratur et patris et filii et spš scī una diuinitatis substantia conprobatur. In ceteris uero epistulis quantum a nrā aliorum distet editio. lectoris prudentiae derelinquo. sed tu uirgo xpi eustochium. dum a me inpensius scripturae ueritatem inquiris. meam quodam modo senectutem inuidorum dentib. conrodendam exponis. qui me falsarium. corruptoremq. scārum pronuntiant scripturarum. sed ego in tali opere. nec aemulorum meorū inuidentiam pertimesco. nec scāe scripturae ueritatem. poscentib. denegabo.

EXPLICIT PROLOGUS

Et haec ē uictoria quae uincit mundum. fides nrā. quis ē qui uincit mundū. nisi qui credit qnm ihs ē filius dī. Hic ē qui uenit per aquam et sanguinem ihs xps. Non in aqua solum. sed in aqua et sanguinē. Et sps ē qui testificatur. qnm xps ē ueritas. qm tres sunt qui testimonium dant. sps aqua et sanguis. Et tres unum sunt.


Tab. 44

g C a






Diser Stab ist 1. Schuh 11 dergleichen zoll Lang, breit $\frac{3}{4}$ zol



Tag. 65

Page 105.



cum essit disponsata mater eius maria ioseph ante-
quam convenirent inventa in utero habens de spu sco
Joseph autem uir eius cum esset homo iustus et nollet
eam traducere seduoluit occulte dimittere eam Haec
eo cogitante ecce angelus dni insompnis apparuit ei
dicens ioseph fili dauid nolitimere accipire mariam
coniugem tuam quod enim exea nascet(ur) de spu sco ÷



Tab. V. Ex Cod. San-B..


Page 105

INdicat̄ modus dictus est quia per eum seu lo
quendo seu scribendo q̄c q̄ rem ostentes
pronuntiamus INdicat̄ q̄ q; modus ē ex In
praesenti tem pore pl mae per sonae nūm
sing litter ultimis generae intellegunter ut uno
uno ex secunda ae uñ per som lit coniugat̄
colligūntur quia in ipsis coniugat̄ plenius
referentur Imperatiuus dictus est q p
eum quid sit f aciendum imperamus cuius
proprium est quia neque praeteritum
tempus neque prima potius habere per
sonam nemo enim aut sibi ipsi solum quā
aut cuiquam in praeteritum imperat̄

Tab. II




Incipit liber bresith quē nos genesim
In principio creauit deus celū dicimꝰ j.
et terram. Terra autem erat inanis et
vacua: et tenebre erāt sup̄ faciē abissi.
et sp̄s dn̄i ferebat̄ sup̄ aquas. Dixitq̄
deus. Fiat lux. Et facta ē lux. Et vidit
deus lucem q̄ esset bona: ⁊ diuisit lucē
a tenebris. appellauitq̄ lucem diem ⁊
tenebras noctem. Factūq̄ est vespe et
mane dies unus. Dixit q̄ꝫ deus. Fiat
firmamentū in medio aquaꝝ: ⁊ diui-
dat aquas ab aquis. Et fecit deus fir-
mamentū: diuisitq̄ aquas que erāt
sub firmamento ab hiis q̄ erant sup̄
firmamentū. et factū ē ita. Vocauitq̄
deus firmamentū celū: ⁊ factū ē vespe
et mane dies secūdꝰ. Dixit vero deus.
Congregent̄ aque que sub celo sūt in


DEO·INVICTO
SOLI·TEMPLVM
A SOLO·RESTI
TVIT·VALERIVS
VENVSTVS·V·P·P
P·P·SIC·VTI·VOTO
AC·MENTE·CON
CEPERAT·RED
DITVS·SANTATI
V S L L·M

Pag. 112

Tab IX.



Joh Haas del. et sculp.

P. 295

Tab. X.